Edward J. Conroy
Rome. Nov. 187

INSTITUTIONES

LITURGICAE

AUCTORE

ALOISIO MARINGOLA

PRESBYTERO NEAPOLITANO

AD USUM SEMINARII NEAPOLITANI

Volumen II.



NEAPOLI
EX TYPIS AD SIGNUM ANCHORAE
Largo S. Marcellino n.° 2.

MDCCCLXV

LIBER DECIMUS

DE FESTIS DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI ET BEATISSIMAE VIRGINIS MARIAE.

CAPUT I.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI.

I. In codice Sacramentorum (1) Ecclesiae Romanae a Venerabili Cardinali Thomasio edito, Festum hoc, de quo agimus, non Festum Circumcisionis appellatur, sed Festum Octavae Domini. Simile inditum est nomen

(1) Durandus, *Rationale Divinorum Officiorum*, Caput LXI et seqq.; Gretserus, *de Festis*, Caput VIII et seqq.; *Thomassinus de dierum festorum celebratione commentarius historicus et dogmaticus*, Liber II Caput IV et seqq.; Benedictus XIV, *de Festis Domini nostri Iesu Christi et Beatae Mariae Virginis* Liber I Caput I et seqq.; Pouget, *Institutiones Catholicae*, Tomus secundus, sectio quarta Caput II; Sandini, *Historia Familiae sacrae*, Caput I et seqq., Tillemontius, *Notae ad Vitam Iesu Christi;* Martene, *de antiqua Ecclesiae Disciplina in divinis celebrandis Officiis*, Caput X et seqq.; Florentinius, *in Martyrologium;* Bellotte, *Observationes ad Ritus Ecclesiae Laudunensis*, pag. 800 et seqq.; Gerbert, *Principia Theologiae Liturgicae*, Caput IX et seqq.; Gavanto, *Thesaurus sacrorum Rituum*, Tomus I Pars IV Tit. I et seqq.; et Tomus II, *Pars prima Sectio sexta* Caput I et seqq.; Gotti, *Veritas Religionis Christianae*, Tomus IV *pars prima* Caput IX et

huic Festo in Kalendario Romano quod vulgavit Ioannes Fronto. Ex quibus Bailletus in Historia hujus diei arguit, haud ita vetus hoc Festum esse. Ad argumenta quae affert, accedit quod in Libris Iuris Canonici Festum hoc itidem non Circumcisionis, sed Octavae Domini appellatur, ut videre est *in Canone Pronunciandum de Consecr. dist. 1.* Attamen in eodem corpore Iuris, Festum hoc etiam Circumcisionis Domini nominatur, ut videre est in Cap. *Conquestus de Feriis.* Libri antiquiores Liturgici et Martyrologia, vel *Octavas Domini*, vel *Circumcisionem Domini* vel utrumque, ut pluraque Martyrologia commemorant.

II. De hujus solemnitatis antiquitate apud Graecos pauca quidem testimonia, sed vetustiora feruntur; quae utinam certae auctoritatis essent, plura nemo jure requireret. Chrysostomi orationem recenset Fabricius *Bibliotheca Graeca* T. VIII p. 86 *in Circumcisionem et Simeonem*, cujus tamen titulus est εισ Υπαπαντην, quam Montfauconius plane a Chrysostomo abjudicat; eredit vero opus Amphilochii, cui et tribuit Combefisius, quam Surius tamen a Metaphraste esse duxerat. Atque ut hujus Festi antiquitatem luculentius demonstrent, qui hoc argumentum susceperunt, afferunt ex Concilio Turonensi ann. 567 Canonem 17, tom. V, Collectionis Labbeanae pag. 857 ubi haec leguntur: *Ad calcandam Gentilium consuetudinem Patres nostri statuerunt, privatas in Kalendis Ianuarii fieri Litanias, ut in Ecclesiis psallatur, et hora octava in ipsis Kalendis Circumcisionis Missa Deo propitio celebretur.* Concilium illud foedas superstitiones innuit, quas Kalendis Ianuarii in honorem Iani et Streniae Deae ethnici celebrabant. Kalendae Ianuarii solemnes olim fuere; in iis enim novi Consules magistratus inibant, et novus annus inchoabatur. At Christianis, quia primitiis sanguinis a Domino nostro Iesu

seqq.; Billuart, *De Mysteriis Christi et Beatae Virginis, Dissertatio secunda Articulus primus et seqq.;* Graveson, *de Mysteriis et annis Christi Servatoris Nostri Dissertatio I Paragraphus primus et* seqq.; Trombelli, *Mariae Sanctissimae Vita ac gesta cultusque illi adhibitus*, Tomus III Dissertatio XXIII; Butler, *delle Feste*, Cap. II et seqq.; Incontri, *Spiegazione delle Feste*, Caput IV et seqq.

Christo in Circumcisione effusi consecratae ac nobiliori purpura illustratae, sacrosanctae sunt redditae. At vero sicut eas celebrandi diversa fuit ratio Gentilibus, ac Christianis; ita diversus, imo et contrarius fuit ritus et colendi modus utrisque. Sicut enim illi multiplicatis Diis suis profanis sacrificiis, auctis superstitionibus, indecoris corporis motibus choreas ducentes, dapium publicarum ingluvie, nefandis cruentisque spectaculis foedabunt potius eas, quam colebant: ita isti contra summa eas sanctitate ac animi puritate transigere studebant, atque ut illorum vincerent impietates, ac in Deum injurias in se ipsis quodammodo vindicarent, carnem indictis jejuniis castigabant, et Litaniis quibusdam et oblationibus offensum Deum placare satagebant. Hinc S. Ambrosius *Sermone 18 de Kalendis Ianuarii: Ergo*, inquit, *Fratres, omni studio Gentilium festivitates et ferias declinemus, ut quando illi epulantur et laeti sunt, tunc nos simus sobrii atque jejuni; quo intelligant laetitiam suam nostra abstinentia condemnari.* Et S. Augustinus in Psalmum 98: *Per istos dies ad hoc jejunamus, ut quando ipsi laetantur, nos pro illis gemamus.* De jejunio celebrari solito eo die ab Ecclesia agit Ordo Romanus Cap. 20, et Albinus Flaccus de *Divinis Officiis* Cap. 4. Perduravit ejusmodi religiosus ritus in Ecclesia quousque Gentilium superstio permansit, qua demum abolita, Ecclesia spiritali gaudio exultans laetitiam sumpsit pro luctu. In vetustis quibusdam Missalibus binae Missas hujus diei reperiuntur, altera de Beatissima Virgine, de Circumcisione altera. Et Durandus Scriptor XIII saeculi in *Rationali* Lib. III Cap. 15 testatur aetate sua duas hac die Missas celebrari solitas de Circumcisione, et Beata Virgine, quod quidem nunc abolitum est. Verum inde factum est, ut in Festi hujus, tum Officio, tum Missa plura contineantur, quae ad Beatissimam Virginem spectant.

III. Quamquam Salvatoris nostri Circumcisio ad ea mysteria spectat, quae Salvatoris vitam reddidere admirabilem, nobisque eximiae praebuere exempla virtutis; quis enim non admiretur Christum impollutum atque innocentem, ipsumque Unigenitum Dei ac verum Deum, se illi subdere legi, quam Deus Abra-

ham filiis imposuit, ut a Gentibus secernerentur, fierentque atque agnoscerentur Dei populus, atque a Gentibus segregati? Vulgata Pictorum consuetudo est, ut dum Iesu Christi Circumcisionem exhibent, puerum Christum in Sacerdotis manibus referant. Sed quod ad Sacerdotem Circumcisionis ministrum attinet, id ex arbitratu atque ingenio Pictorum provenit. Nulla scilicet afferri potest ad eum ritum comprobandum legis jussio, nulla probabilis consuetudo; immo ex contrario exempla non pauca multo aliter se habuisse declarant. Ab Abhramo filium suum fuisse circumcisum, tum alios viros domus suae, perspicue assequimur, abfuisse vero ab hoc ritu Sacerdotem, cujus nulla mentio deinceps fit. Sephora ipsa filium suum aeque circumcidit. Iosue universum populum circumcidit. Iudaeas mulieres filios suos Antiochi tempore circumcidisse nos docent Libri Machabeorum. Et ne ab Evangelio ipso discedamus ex Capite IX Lucae v. 60 novimus, non in Templo, in quo suis muneribus Sacerdotes fungi consueverant, sed in ipsis Zachariae aedibus, praesente matre, quae eo tempore in *sanguine purificationis suae* domi manebat, Ioannem fuisse circumcisum. Neque vero in eo ritu describendo ulla mentio Sacerdotum fit, sed tantum vicinorum et cognatorum. His positis quaeritur, quis puerum Iesum circumcidit? Nulla cognatorum, nulla amicorum mentio fit, dum pueri Iesu circumcisió describitur. Superest itaque ut vel Maria, vel Ioseph ministri fuerint circumcisionis Iesu. A Maria fuisse circumcisum scribunt, Auctor Libri *de vera circumcisione* inter apocrypha Hieronymi T. V *edit. Maurinae*, et auctor Libelli *de Lamentatione Virginis* inter apocrypha D. Bernardi. At haec spuria sunt omnique auctoritate vacua. A Iosepho circumcisum fuisse Christum, probabilius censet Serry cum aliis recentioribus. Moventur ex S. Ephraem Syro *Serm. de Transfiguratione*, ubi trahens argumentum, Christum habuisse veram carnem ex eo, quod fuit circumcisus, ait: *Si non erat caro, Ioseph quem circumcidit?* Quidquid censeat pictorum vulgus, Christum in Templo circumcisum describentium, in Bethleeme circumcisum eum puto. Nulla scilicet lex praecipiebat ritum hunc in Templo peragi:

immo nullum habemus exemplum, quo assequamur eumdem ritum in Templo peragi consuevisse: contra plurima exempla habemus, quibus extra Templum circumcisionem agi consuevisse, discemus. Abraham domi circumcisus est, uti legitur in Libro Gen. Cap. XVII v. 23. Sephora in diversorio, dum iter ageret, filium suum circumcidit. Quid quod expressissime nos docte Epiphanius vetustus sane Scriptor, circumcisum fuisse Christum in urbe Bethleem? Bethleemi inquit, *Haeresi XX sub Titulo de Incarnatione Christi Domini* §. 1, *in lucem editus, atque in specie circumcisus, Hierosolymis oblatus est, ibique a Simeone inter brachia susceptus*. Traditio Christianorum Orientalium, in ipso specu Bethlemitico circumcisum Iesum affirmat. Ut diem discamus, quo circumcisus est Iesus, satis est ut eum Evangelii locum adeamus, in quo Christi circumcisio describitur, sic enim se habet locus ille: *Et postquam* inquit Lucas Cap. II v. 21 *consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer: vocatum est nomen ejus Iesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur*. Voluit enim Deus, Iesum ipsum parere legi, octavum ab ortu pueri diem circumcisioni destinanti, haec enim Abraham ejusque posteris indixit Deus: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis*.

IV. Pluribus ex causis voluisse Christum circumcidi, dicit S. Epiphanius *Haeresi* 30, quae est Ebionitarum. Prima ut se carnem vere induisse monstraret. Secunda ut circumcisionem quam Deus olim instituerat, ad adventum usque suum merito observatam, exemplo suo comprobaret. Tertia ut probaret, se esse de genere Abrahae, qui circumcisionis mandatum acceperat in signum fidei, quam de ipso habuerat. Quarta ut ea perfunctus, eam non esse amplius necessariam ostenderet, sed solam circumcisionem cordis. His ex Epiphanio adductis alias tres rationes adjungit S. Thomas 3 part. quaest. 37 Art. 1. *Prima est ut obediendi virtutem nobis suo commendaret exemplo: unde et octava die circumcisus est, sicut in lege erat praeceptum. Altera ut quia in similitudinem carnis peccati advenerat, remedium, quo consueverat caro mundari, non respueret. Tertia ut legis onus in se sustinens, alios a legis*

onere liberaret, *secundum illud Galat*. Cap. IV Misit Deus filium suum, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret.

CAPUT II.

DE FESTO EPIPHANIAE.

I. Epiphaniae Festum, cujus mentionem faciunt Acta S. Philippi Heracleae Episcopi et Martyris apud Ruinartium, celeberrimum facit triplex Iesu Christi apparitio seu manifestatio; adoratio scilicet ejus per Magos, Baptismus, et primum miraculum quod contigit in Cana Galileae. Triplicem hanc Iesu Christi manifestationem semper hac die recoluisse videtur Ecclesia Latina, ut patet tum ex Hymno Prudentii quem ad Divina Officia solet adhibere, tum ex S. Paulino, *Carmine IX de S. Felice;* ex Gregorio Turonensi, Lib. II *de Miraculis S. Martini* Cap. 26 *et de Gloria Martyrum* Cap. 87; ex S. Isidori Libro II de *Divinis Officiis* Cap. 26 et aliis. Epiphania manifestationem significat*: Epiphania graecae linguae vocabulo manifestatio dici potest ;* verba sunt Divi Augustini *Sermone* 203 alias 64 de Diversis. Idem ait S. Bernardus *Sermone* III *de Epiphania* : *Solemnitas igitur hodiernae diei ab apparitione nomen accepit. Epiphania quippe apparitio est. Hodie ergo apparitio Domini celebratur.* In Breviario Mozarabum hoc festum inscribitur *Apparitio Domini*. Gotho—Hispani utraque appellatione aut *Apparitionis Domini*, aut *Epiphaniae* promiscue utebantur. S. Hieronymus Epiphaniam vocat diem illum, quo Iesus Christus baptizatus fuerat, ob acceptum testimonium manifestatae gloriae suae. Alii vocant *Theophaniam,* quae vox Dei praesentiam significat, propterea quod Pater praesentiam suam in Baptismo Filii manifestaverat. In Oriente, ubi Festum hoc celebrabatur in honorem Baptismi Iesu Christi, appellabatur *Sancta Lumina*, eo quod Baptismus vocaretur *Illuminatio*. Ceterum cum prisca traditione didicerimus Magos fuisse Reges, insequentibus temporibus dies *Epiphaniae* Festum Regum est appellatus. Inficiari nemo potest, inter Festivitates Ecclesiae maximam fuisse

Epiphaniam. Hinc Ammianus Marcellinus Lib. XXI refert, Iulianum, qui deinde fuit Apostata, cum Christianis die Epiphaniae in Ecclesiam ingressum, quo die Viennam Allobrogum Parisiis reversus esset: *Feriarum die quam celebrantes mense Ianuario Epiphaniam dictitant, progressus in Ecclesiam, solemniter numine adorato, discessit.* Sanctus Gregorius Nazianzenus *Oratione XX* refert de Valente Imperatore, qui licet Arianus, Festi hujus solemnitati assistebat, ne videretur a Catholica Religione defecisse. Theodosius Imperator tanta Festum hoc veneratione prosecutus est, ut a litibus aliisque civilibus negotiis abstinendum jusserit septem dies ante, totidemque ab isto Festo, et toto hoc dierum spatio quoddam Festi perpetui genus in Imperio constituerit.

II. Epiphania inter praecipuas solemnitates semper habita fuit, adeo ut Virginum consecratio in Epiphania praesertim olim celebraretur ex Gelasii Papae Decreto in Epistola 9 ad Episcopos Lucaniae, et Baptismus olim maxime in Galliis frequentaretur. Hinc in nonnullis etiam Ecclesiis remansit benedictio solemnis aquae in Epiphania. Ex hac aqua Graeci in Ecclesia non solum aspergebantur et potabant, sed etiam domum deferebant plenos calices, cui Deus hanc largiebatur benedictionem, ut multis annis incorrupta permaneret. Praeterea qui ad Iordanem olim habitabant populi, in memoriam et honorem sacri Christi baptismatis, qui in eo hac die a Ioanne tinctus est, in eumdem fluvium descendere ac sese abluere solebant. Neque id in solo Iordane fluvio fieri consueverat, sed pluribus aliis in lócis Orientales populi fluvios fontesve benedicebant, atque in eos sese immergebant, quasi proprium renovaturi aut Christi imitaturi baptismum. In quibusdam Ecclesiis hoc Festum Vigilia et jejunio praeeunte celebrabatur. Nunc vero Vigilia praeit tantum sine jejunio. Matutinum hujus diei Invitatorio caret, et initium fit ab Antiphona et Psalmo, ad significandam gentium alacritatem, quae ut primum stella illuxit, in viam se illico dederunt, ut monet Durandus Lib. VI Cap. 16 vel quia psalmus *Venite exultemus*, quo utimur in Invitatorio, in hoc Officio canitur in tertio No-

cturno, ideoque minime visum est in uno eodemque Officio eumdem Psalmum semel et iterum canere, quas omnes rationes refert et probat Gavantus sect. 6 Cap. 7. Infra Octavam vero dicitur Invitatorium nomine Magorum, alios invitantium ad adorandum Christum, uti ex Durando Lib. VI Cap. 16. In pluribus tamen Ordinariis Monasticis praecipitur Invitatorium, et *Venite*, ut videre est in novo Breviario Cluniacensi apud Carthusianos; dicitur etiam in Ecclesia Nannetensi et Rotomagensi, ubi ad singulos *Venite* versiculos repetitur *Christus apparuit, venite adoremus.* Ad Matutinum Psalmi sunt proprii, ut fieri solebat in magnis solemnitatibus, cum Antiphonis a Psalmis desumptis. Lectiones primi Nocturni ab Isaia desumptae designant Gentilium vocationem ad fidem, progressum, gloriam et exaltationem Ecclesiae, Evangeliumque per universum mundum fore diffundendum. In Lectionibus secundi Nocturni S. Leo Festum Nativitatis a Festo distinguit Epiphaniae, aitque, brevi intervallo unum ab altero distare; aperteque declarat praecipuum Epiphaniae objectum vocationem esse Magorum, et in iis et per eos omnes populos et Imperium Romanum, et omnia Regna ad cognitionem Iesu Christi vocata fuisse significat.

III. Singularis est hac die Missa in Ambrosiano Missali, in qua praeter Epistolam, quatuor habentur Lectiones ex Veteri Testamento. Ad Missam hujus diei quod spectat, in antiquo Missali annorum circiter 500 Bibliothecae Colbertinae N. 442, praeter Epistolam habetur et Prophetia. Ea insuper fuit antiqua Ecclesiae Gallicanae consuetudo, ut parem Epiphania Domini cum Natali ejusdem haberet solemnitatem, unde et nocturnas ejus Vigilias ad lucem usque diei producebant. *Natali Domini et Epiphania*, inquit S. Caesarius in *Regula ad Virgines, ab hora tertia noctis usque ad lucem vigilandum est.* Nocturnae Epiphaniorum Vigiliae apud veteres Monachos percelebres omnino extiterunt. Missae solemnem praemittebant processionem in cappis. Francorum Reges olim exemplo Magorum aurum, thus et myrrham ad Altare offerebant ex Nangii Gallico continuatore ad annum 1378. In Ordinario Ecclesiae Lemovicensis hic ritus praescribitur. Aliquando etiam tres

dies primi post Epiphaniam feriati erant, aeque ac ii post Pascha, et hoc adnotatur in antiquis Ritualibus Thomasii, ubi Statio prioris diei fiebat ad S. Petrum ad Vincula, Statio secundae ad S. Anastasiam, et tertiae ad SS. Ioannem et Paulum.

IV. Antiquissimus est Ecclesiae mos, ut die festo Epiphaniae quotannis Paschatis dies in Ecclesiis tam Occidentis, quam Orientis denuncietur. Constat id primo quidem ex Concilio Aurelianensi IV Can. 1. Extant et de eadem disciplina denunciandi Epiphaniae Festo Paschatis diem alii Canones in variis Conciliis editi. Servatum religiose hunc ritum fuisse, ut Diaconus post solemnem Evangelii recitationem in Missa, Festa mobilia populo denunciaret, docent nos antiqua manuscripta Pontificalia. In Missale Ambrosiano legitur: *Lecto Evangelio, Diaconus annunciat Pascha Resurrectionis.* At vero quantum ad hujus institutionis originem, est illa plane VI saeculo antiquior, utpote suam ducens originem a Concilio Nicaeno I in quo cum decretum fuisset contra Quartodecimanos Festum Paschatis uno eodemque die, eoque Dominico celebrandum esse, quaestio deinceps agitari coepit de ratione diei Paschatis inveniendi. Cum enim, uti ad annum CCCXXV docet Cardinalis Baronius, non omnes eamdem inirent computi rationem, ac inde periculum immineret, ut licet fideles omnes die Dominico celebraturi Pascha forent, tamen diversi id facturi essent diebus Dominicis, quum Alexandria sub Ptolomaeis Principibus, ac sub Romanis deinceps, viris scientiarum peritissimis abundaret, inprimisque Mathematicis et Astronomis, inde factum est, ut hujus urbis Antistiti injuncta olim provincia fuerit, cujusque anni paschalem diem investigandi, de quo Romanum Pontificem certiorem faceret, ut per eum reliquae Orbis Ecclesiae illum discerent. Quod quidem illius munus Sanctus Leo Magnus Epistola 94 Marciano Imperatori scribens, his verbis exponit: *Paschale festum, quo Sacramentum salutis humanae maxime continetur... Statuerunt itaque Sancti Patres occasionem hujus erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino Episcopo delegantes, quoniam apud Ægyptios hujus supputationis antiquitus tradita esse videbatur peritia, per quam qui*

annis singulis dies praedictae solemnitatis eveniret, Sedi Apostolicae indicaretur, ut hujus scriptis ad longinquiores Ecclesias indicium generaliter percurreret. Cyrillus ipse Alexandrinus in Prologo quem scripsit pro Cyclo XCV annorum, satis innuit ritum hunc sive consuetudinem , ut Alexandrinus Episcopus Romano Pontifici proximum Paschatis diem significaret. Perseveravit mos iste in Ecclesia Alexandrina, quandiu Catholicae communionis ibi sederant Episcopi ; postquam enim haeresiarchae intrusi sunt, interceptum quoque hujusmodi fuit officium.

V. Ante Concilium Nicaenum, celebratum anno CCCXXV, viguisse antiquum Ecclesiae usum, ut a Romano Pontifice, ut alias omittam, Paschalem diem Ecclesiae Gallicanae quaererent, aperte deducitur ex Canone primo Concilii Arelatensis, quod celebratum est anno Christi CCCXIV ubi ita Patres S. Silvestro Papae inquiunt: *De observatione Paschae, ut uno die, et tempore per omnem orbem observetur, et juxta consuetudinem litteras ad omnes tu dirigas.* Ut uno igitur eodemque die per totum orbem Pascha celebraretur, dirigebantur ad omnes Episcopos litterae, quae id potissimum indicarent. Praeterea non mirum esse debet , si in pervetustis Ecclesiae monumentis solum de nunciando die Paschatis mentio fiat. Ceteri quidem dies festi mobiles progressu temporis additi sunt, praesertim vero dies festus Corporis Christi, qui diu post annum millesimum celebrari coepit in universa Ecclesia, Urbano IV Pontifice Maximo, uti auctores docent.

VI. Magorum adventum et adorationem narrat S. Matthaeus Cap. II. Refert Magos ab Oriente Hierosolymam venisse ; percunctatos ubi natus esset Rex Iudaeorum ; se enim stellam in Oriente conspicatos ideo venisse, ut eum adorarent. *Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum.* Variae sunt de hac Stella sententiae. Nonnulli putant, fuisse astrum novum micans in aere ; nonnulli, Angelum corporea luce emicantem in astri figuram ; nonnulli Spiritum Sanctum sub assumpta astri specie ; ceteri flammeum aliquod phaenomenon in media aeris regione , juxta ea quae plene habentur apud Calmet *in sua Dissertatione in Ma-*

gos, qui Iesum adoraturi venerunt. Nonnulli Patres asserunt, Stellam hanc non fuisse ex genere earum, quibus Caelos videmus ornatos, sed divinam quamdam virtutem, quae non tantum aspicientium oculos sui fulgoris radiis illustraret, sed et mentes illorum divina luce perfunderet, atque ad Iesum Christum natum perquirendum excitaret, uti plene habetur apud Cardinalem Baronium *ad annum primum Christi num.* 35. Denique nonnulli tenent, eam aut fuisse aliquod meteorum ab Angelo efformatum in modum et speciem stellae, ingenti lumine perfusum, ipso ab Angelo ex Oriente in Occidentem motum in media aeris regione, ut Magis signaret iter, ad instar Columnae ignis quae filios Israel per Desertum deduxit; vel fuisse stellam de novo creatam, non in coelo, sed in aere vicino terrae, quae secundum divinam voluntatem movebatur, uti perspicue docet Divus Thomas *3 part. quaest. 36* art. 7 cui adhaeret auctor, licet heterodoxus, Fridericus Spanhemius *in Dubiis Evangelicis Dub.* 27 pag. 297 num. 8. Keplerus, Tycho et alii, qui solo ductu rationis naturalis de praedicta stella locuti sunt, docuerunt eam non fuisse ex antiquis stellis a principio creatis, sed stellam a Deo modo supernaturali formatam. En verba Tychonis Tom. I *Progymnastum: Stella illa, quae in Oriente Magis apparuit, non erat de caelestium astrorum genere etc. Fuit potius peculiare, atque admirandum Dei opus.* Quod autem non omnes, qui in Oriente stellam illam viderant, ad Iesum Christum adorandum cum Magis profecti sint, ideo contigit, quia vel mysterium non capiebant, vel aliis distenti curis ire nolebant, vel etiam Magorum reditum praestolabantur. Magi vero ortum Salvatoris ex signo illius stellae cognoverunt ex vaticinio Balaam *Num.* Cap. XXIV v. 12 *Orietur stella ex Iacob,* cujus Balaami posteri ipsi fuere. Accessit continua majorum traditio, et huic etiam illustratio superna; prout cum aliis Patribus, quos Suarez *in 2 part. disput. II Sect. 5 et 6* citat. Ceterum haec stella prope Hierosolymam se oculis Magorum subtraxit: dimissis autem ab Herode ad Christum quaerendum iterum apparuit, eosque adduxit in Bethleem; minime vero eosdem reduxit in Orientem. Plura de

Stella Magorum docte et erudite praeter alios disserunt Calmetus, Cornelius a Lapide, Mayr, Suarez et Salmeron.

VII. Magorum numerus longa jam aetate ad tres definitus est. Id tam quam certum ubique constituit S. Leo Magnus *Sermone* 1 4 5 6 7 8 *de Epiphania*; luculenter adstruit S. Caesarius *Sermone 139 in Appendice* Tom. V S. Augustini. Beda, Rupertus Abbas, et Interpretum post illos turba, quin et communis atque unica nostra aetate ferme apud Ecclesiam recepta sententia, paria docent. Nomina Magorum, ut docent Bollandistae Tom. I Maji pag. 7 inaudita fuerunt usque ad exitum saeculi duodecimi. *Nullus enim scriptor vel Graecus, vel Latinus profertur per tot saecula, usque ad Friderici Barbarossae tempora*, *qui nomina nunc vulgata usurparit.* In *Collectaneis*, quae exstant T. III Operum Venerabilis Bedae pag. 481 et eidem perperam adjudicantur, Magorum primus, qui Melchior dicitur, senex, canus, promissa barba et capillis perhibetur: secundus nomine Gaspar juvenis, imberbis, rubicundus: tertius, qui Balthasar vocatur, fuscus, integre barbatus. Hinc fortasse hauserunt pictores, ut Magorum unum colore subnigro, ceteros albo effingerent. Zacharias Episcopus Chrysopolitanus, saeculo XII natus in *Historia* Scholastica contendit eos hebraice nuncupatos *Apellium*, *Amerum*, *Damascum*, scilicet fidelem, humilem, misericordem. Petrus Comestor graece vocat *Malagat*, *Galgalat*, *Saracin*, quas voces interpretatur, Nuncium, Pium, Gratiam. Anno 1638 fuit in Gallia, qui edito volumine persuadere tentaverit, Magos non alios fuisse, quam Henochum, Eliam, et Melchisedechum e terrestri Paradiso ad Christi praesepe a Stella deductos. Quod commentum refellunt Theophilus Raynaudus, *in Diptychis Marianis part. 5 puncto* 8 *num.* 25; et Petavius, Lib. I *de Opificio sex dierum* Cap. IV § 3 pag. 24; Lamy, *Harmonia Evangelica* Lib. I Cap. II; Bailletus, *in Historia adorationis Magorum* num. 2; Honoratus a S. Maria, *Animadversiones in regulas, et usum critices* Lib. III Diss. IV Art. II; Calmetus, *in Dissertatione de* Magis; Sandinus, *in Historia Familiae Sacrae* Cap. III; contraque docent de Mago-

rum nomine nihil nobis esse compertum. Quod quidem non eo dictum volumus, ut Coloniensis Ecclesiae piae traditioni quidquam detrahatur, quae Ecclesia, ut testatur Bollandus ad diem sextam Ianuarii, Magos sub nominibus Melchioris, Balthasaris, et Gasparis veneratur; eorumque corpora Galesinius, *in Notis ad Martyrologium* pag. 13; et Saxius, *in Historia Corporum SS. Gervasii et Protasii* num. 38 referunt Constantinopolim allata, inde ab Eustorgio Episcopo Mediolanum avecta, post sexcentorum septuaginta annorum cultum, quem in Basilica ab eodem Episcopo aedificata fideles illis tribuerunt, tandem sub Friderico Oenobardo illinc amota, et ab Episcopo Reinoldo Coloniam asportata.

VIII. Ad professionem Magorum quod spectat, nos plane non latet, Patrum quamplures in ea fuisse persuasione, viros illos Magiam, curiosas artes, astrologiam judiciariam exercuisse. Alia tamen sedit de professione Magorum opinio apud alios Patres et Interpretes multos, persuasos nihil diabolicum in eorum studiis reprehendendum, quippe qui magiam tantum naturalem callerent. Tertullianus *De Idolatria* innuere videtur, astrologicae scientiae cognitione Magos de adventu Iesu Christi certiores factos fuisse. Propius tamen vero nos arbitramur, Magos illos viros fuisse sapientes, veri Dei cultores, qui, uti Iob et ejus amicis multi interpretum Regiam illis tribuunt dignitatem. Id autem permagnum huic opinioni pondus affert, quod in Epiphaniae Festo de Magorum adoratione Ecclesia Davidico illo utitur vaticinio Psalmi 71: *Reges Arabum et Saba dona adducent*: idque a priscis temporibus. Quamquam autem textus ille aeque ac Isaiae oraculum: *Ambulabunt Gentes in lumine tuo, et Reges in splendore ortus tui*, de Regibus ethnicis, barbarisque gentibus intelligatur, tamen Ecclesia quae vaticinia illa ad Magorum adorationem accommodat, satis aperte declarat, propensiorem se ad eam sententiam esse. Tertullianus in Libro adversus Iudaeos Cap. 9 disputans de Magis, in eam partem fertur oratione, ut dicere videatur, illos Reges fuisse. Verba ejus haec sunt: *Reges Arabum, et Saba dona offerrent illi: nam et Magos Reges fere habuit Oriens.* Caesarius vero Arelatensis *Sermone* 139

in Appendice Sermonum S. Augustini idem docet tanquam vulgo receptum. Ait enim § 3: *Illi Magi tres Reges esse dicuntur.* Et S. Gregorius Magnus in Libro Antiphonario: *Rex magnus natus est Israel, et venerunt Reges terrae adorare eum. Et obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham.* Multo etiam evidentius quam ceteri, huic veritati testimonium perhibet Pascasius Radbertus *Espositionis in Matthaeum* Lib. II his verbis: *Magos Reges extitere.* Iure igitur ac merito Magos Christi adoratores Reges fuisse, *Fidelium pia traditio tenet*, ut ait Baronius ad annum Christi I § 30.

IX. Cujates fuerint, ac unde venerint Magi adoratores, inquiri potest, qui a Matthaeo simpliciter *ex Oriente* venisse dicuntur. Quadruplex ea de re circumfertur opinio. Prima Chaldaeos illos fuisse, et ex Chaldaea venisse ponit. Altera Magos ex Mesopotamia venisse opinio ponit, illosque ex posteris Balaami fuisse, qui Iesum Christum sub Stellae symbolo oriturum praenunciaverat, Num. Cap. XXIV. Ita Origenes et Basilius Magnus. Tertia Magos Arabes ex Arabia accersit opinio, non deserta illa quidem et petraea, sed ex felice, quae Iudeae comparatione Orientalis est. Hanc sententiam sequitur Tertullianus Libro adversus Iudaeos Cap. 9, et Lib. III contra Marcionem Cap. 13. Davidica illa afferens verba: *Et dabitur ei de auro Arabiae*; et illa: *Reges Arabum et Saba dona offerent ei.* S. Iustinus *Dialogo cum Triphone* Magos Arabes vocat. Huc accedit, ut nuper innuimus, Arabiam Felicem ad Iudeae Orientalem plagam positam esse; et Matthaeum scripsisse, Magos ab Oriente profectos; ejusque regionis munera Aurum, Thus, et Myrrha attulisse. Grotius Tom. VI *Criticorum sacrorum* pag. 71 et 72 ad ea Sancti Matthaei verba, *ab Oriente*, vetustissimam fuisse ait Christianorum opinionem, Magos ex Arabia venisse. Postrema sententia tenet, Magos et Persas fuisse, et ex Perside venisse contendit. Quam et tuentur S. Ioannes Chrysostomus, Clemens Alexandrinus, ac ipse etiam Divus Thomas 3 part. quaest. 36. Quo potissimum tempore in Iudaeam venerint, non una est Chronologorum sententia. Septem hoc in argumento opiniones extant. Prima biennio integro, aut certe exacto fere biennio a

Christi ortu, Magos Bethleemem pervenisse arbitratur. Altera post annum expletum. Tertia post duos, aut tres fere menses, seu ut ipsis hujus opinionis Vindicis verbis utar, *aliquot post purificationem septimanis*. Quarta proxime, aut certe non multum post Mariae purificationem. Quinta non multum ante purificationem, VII scilicet, aut, si vis, VI Kal. Febr. Sexta tertio decimo post Iesu Christi ortum die. Septima denique, eo ipse die, quo natus est Iesus, aut certe haud multo post. Multo major eorum est numerus, qui VI Ianuarii diem Magorum adventu sacrum volunt. Plerique scilicet tam Historici, quam sacri Interpretes, et Scholastici pro hac parte decertant, et ad hanc opinionem afferendam vindicandamque anno 1760 valde elegantem dissertationem edidit Cl. P. Liberatus Fassonius Scholarum Piarum. Et re quidem vera ab antiquissimis usque temporibus VI Ianuarii die, Epiphaniae Festum Ecclesia celebrat, atque in eam diem mirabili quadam consensione Ecclesiae omnes Occidentales conveniunt. Quod si veteres Patres consulis, idipsum edoceberis. Ad rem audiatur S. Augustinus *Sermone* CCIII de *Epiphania* Cap. I: *Dominus noster Iesus Christus ante dies tredecim natus, a Magis hodie traditur adoratus.* Scholasticorum princeps S. Thomas idipsum inculcat. Haec ex plurimis seligo S. Doctoris verbis: *Magi*, inquit, III part. *quaest. XXXVI art. 6, pervenerunt ad Christum decima tertia die nativitatis ejus, quo die Festum Epiphaniae celebratur.* S. Thomam porro reliqui Scholastici sequuntur. Censent aliqui, Magos invenisse et adorasse Christum in eadem spelunca ac praesepio in quo reclinatus fuerat post ortum. Ita sensisse videtur Chrysostomus, *Homilia 6 et 7 in* Matthaeum; Hieronymus, *Epistola* 14 17 18 et 27; Augustinus, *Sermone II de Epiphania;* et alii recentiores, inter quos Baronius ad annum 1 num. 34: *Constans*, inquit, *insuper est de his Sanctorum Patrum sententia, Magos Bethleem advenientes in Praesepe, ubi natus est, Christum Dominum reperisse, id Chrysostomo, Augustino, Hieronymo saepius et alii fere omnibus attestantibus. Unde summo jure redarguuntur qui aliter senserunt, ea levi ratione permoti, quod Matthaeus nullam de praesepe fecerit mentionem, sed di-*

xerit eos intrasse domum, quasi vero non sit divinae Scripturae satis frequens phrasis, locum quemlibet ad habitandum tamen accommodatum, quantumlibet exiguum, domum appellare. Non his tamen flecti se sinunt alii litteratissimi Theologi, et Scripturarum Interpretes. Maldonatus, Petrus de Marca, Florentinius, Torniellus probabilius putant, Beatissimam Virginem jam se domum aliquam antro vicinam recepisse.

X. Cum inter praecipua, quibus Christi divinitas demonstratur, argumenta illud etiam esse soleat, quod ab adhibita Christo puero a Magis adoratione repetitur, omnem impendunt operam veteres novique Ariani, ut illud evertant, ostendantque hoc tantum intendisse Magos, quum *intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus et procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis* etc., ut civile ei obsequium deferrent. At vero, nonne, dum Evangelista Matthaeus nos docet adoratum tantummodo fuisse Christum, neque ullam Mariae et Ioseph mentionem facit, satis indicat, praestantiam aliquam multo sublimiorem ea quae in Maria et Ioseph resideret, detectam fuisse in puero Iesu, eamque ob causam illi tantum adorationem adhibuisse, et munera delata obtulisse? *Et procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham.* Quae erat porro praestantia haec sublimior, nisi ea, quae Iesum Christum supra creaturam quamlibet efferebat, ideoque Divinitas, quam cum in Christo tantummodo agnovissent, huic soli adorationem, et mystica munera tribuerunt? Sed quid multis est opus, quandoquidem unanimi constantique consensione nos docent Patres, Divinitatem Iesu Christi et agnitam fuisse a Magis, et muneribus, quae eam testarentur, affectam? Et sane Iustinus in *Dialogo cum Triphone Iudaeo* Ephesi habito, conceptis verbis affirmat, ut scribit Honoratus a S. Maria, *Magos ad praesepe accedentes e tenebris Idolatriae in veri Dei lucem vocatos fuisse.* Dignus est autem qui audiatur Eusebius, apud quem Magi, in primo Historiae Libro, Herodi regi significant, incredibili se efferri studio natum puerum, *utpote Deum, adorandi.* Dignus Gregorius Nazianzenus *Oratione* 38, qua nos ad imi-

tandam religionem Magorum, perspectamque omnibus pietatem etiam atque etiam hortatur in haec verba: *Cum stella curre, cum Magis dona offer, aurum, thus, et myrrham, ut Regi, ut Deo, ut tua causa mortuo.* Neque post Eusebium et Gregorium praetereundus est de Latinis auctoribus Aquilinus Iuvencus, qui de Evangelica Historia quatuor conscripsit Libros, Constantini Magni nomine insignitos, religiosus poeta, et ita mysteria munerum explicans:

Aurum, thus, myrrham Regique Hominique Deoque:

quod quidem pulchrius fortasse dixerit, ut singulae sententiae cum singulis apte cohaereant,

Aurum, thus, myrrham Regique Deoque Hominique
Dona ferunt.

Fuere autem hi versus ab Hieronymo in suos deinde commentarios cum laudis praefatione translati, cumque olim nostris omnibus in ore essent, passimque mandarentur memoriae, perfacile hic apparet, Christianum populum in ea versatum fuisse sententia, Magos Iesu Christo vota suppliciter nuncupasse, et quid de illius natura, ac divinitate sentirent, suis etiam testatum muneribus reliquisse. Insuper Magos ad Iesu Christi pedes abjectos ejus Divinitatem probe agnovisse, et religione, qua decuit, maxima coluisse, testificantur Hieronymus, Augustinus, Maximus Taurinensis, Paulinus, Prudentius, Sedulius, Cassianus, Cyrillus, Petrus Chrysologus, Arnobius, Gelasius, et ut mittam reliquos, Eusebius Emissenus (1). Traditum adeo constanter fuit, ita ut, Magos Divinitatis honoribus Iesum Christum prosecutos fuisse, possimus affirmare, hancque esse primam Ecclesiae totius antiquitatem. Perspicue hoc enunciatur in *Collecta* diei Epiphaniae, qua ita oramus: *Deus, qui Unigenitum tuum Gentibus, Stella duce, revelasti.* Quae *Collecta* in *Sacramentariis* antiquioribus reperitur. Ecclesia quoque divinam hanc adorationem canit in Hymno Epiphaniae, qui incipit: *Crudelis Herodes Deum* etc.

(1) Vide Fassoni *De Cultu Iesu Christo a Magis adhibito Dissertatio.*

ubi tria munera distinguit, quorum alterum thus est, Iesu Christo tanquam Deo oblatum. Deinde perplacet mihi ratio illa altera, quae auctores habet Athanasium de Graecis, de Latinis Augustinum et Fulgentium, complures antea Iudaeorum Reges fuisse natos, immo etiam obiisse, neminem tamen quaesitum a Magis, nemini ab exterarum nationum hominibus, dum in cunis vagiret, venerationem adhibitam. Magos igitur pueri Divinitas rapuit, non regia movit auctoritas.

CAPUT III.

DE SANCTISSIMI NOMINIS IESU FESTO.

I. Secunda post Epiphaniam Dominica celebratur Festum Sanctissimi Nominis Iesu. Ineunte saeculo decimo quinto, cum Ecclesia Catholica diro schismate laboraret, et factiosorum hominum turbis Italia misere vexaretur, Sanctus Bernardinus Senensis, ex Ordine Sancti Francisci, Italiae oras percurrere coepit, et, ut ad morum correctionem, et poenitentiam populos invitaret, atque ad spem veniae obtinendae meritis Salvatoris nostri, ac Mediatoris inter Deum et hominem Iesu Christi excitaret, in fine Concionis tabellam proponere consuevit Sacratissimum Nomen Iesu circumductis radiis ornatum prae se ferentem, cui ut populus venerationem impenderet, hortabatur. Actus hic *reprehensibilis* a nonnullis habitus est: quare, accusato apud suprema Urbis Tribunalia Summumque Pontificem Sancto Bernardino uti novi cultus inductore, celeberrima de ea re disputatio inita est anno 1427 in Basilica Vaticana. At, egregie causam Sancti Bernardini tutante alio Instituti Franciscani Alumno Sancto Ioanne de Capistrano, nedum Sanctus Bernardinus sicut innocens dimissus est, sed cultus Nominis Iesu ab eo propagatus ope tabellae supra recensitae, approbationem a Sede Apostolica reportavit, ut plene referunt Sanctus Antoninus, *3 part. tit. 22 Cap. 7 § Sanctus;* Marcus Ulyssiponensis, *3 part. Historia Francorum Lib. II* Cap. II; Bzovius, *in Annalibus Minorum T. V ad annum Christi 1427* pag. 183; Raynaldus, *in Annalibus ad annum*

Christi 1432 num. 24; *Continuatores Bollandiani*, *in Vita Sancti Bernardini ad diem 21 Maji*, pag. 308 *et sequentibus*; Baillet, *in Vitis Sanctorum*, *in Vita Sancti* Bernardini tom. II pag. 335 num. 6: ideoque in tertia Lectione Officii proprii, quod in Ecclesia universali recitatur die festo ejusdem Sancti haec habentur: *Bernardinus urbes atque oppida concursans in nomine Iesu quem semper in ore et in pectore gerebat, collapsam pietatem, moresque verbo et exemplo magna ex parte restituit.* Vindicato ab objectis ritu Cultus erga Nomen Iesu, Frater Bernardinus de Bustis celeberrimus Concionator Seraphicae Familiae omnem operam navavit, ut hujus Nominis Cultus particulari Officio in Ecclesia coleretur. Itaque Officium Nominis Iesu composuit idque obtulit Sixto IV et ejus immediato Successori Innocentio VIII, teste Wadingo in Opere cui titulus: *De Scriptoribus Ordinis Minorum*, *in verbo Bernardinus de Bustis,* ubi inquit penes se extare Codicem autographum memorati Officii praedictis Summis Pontificibus oblati. Quae quidem res etsi tunc infecta mansisset, suum tandem habuit complementum sub Clemente VII qui ad preces Franciscani Ordinis per Litteras Apostolicas in forma Brevis expeditas die 25 Februarii anno 1530 instituit solemne Festum Sanctissimi Nominis, celebrandum tum per Viros, tum per Moniales ejus Ordinis quotannis die 14 Ianuarii cum recitatione praedicti Officii, quemadmodum videri potest apud Wadingum *in Annalibus ad annum 1530* num. 10 et 11 T. VIII. Ab Ordine Seraphico ejusdem Officii recitatio ad alios postea Religiosos Ordines extensa est: a Monachis quippe Carthusianis anno 1643 recitabatur secunda Dominica post Epiphaniam, sicuti colligitur ex eorum Breviario dicto anno typis Lugdunensibus edito. Auctoritate quoque Congregationis Sacrorum Rituum in Regnis Hispaniarum, aliisque locis et regionibus idem Officium celebratum est: cumque Carolus VI Augustissimus Imperator sanctae memoriae Clementi XI et deinde sanctae memoriae Innocentii XIII enixe supplicasset pro hoc eodem Officio ad universam Ecclesiam extendendo, re bene discussa in Sacrorum Rituum Congregatione, die tandem 29 Novembris 1721 responsum fuit pro ex-

tensione Officii alias concessi ad Ecclesiam universalem pro secunda Dominica post Epiphaniam.

11. Hujus Sacratissimi Nominis impositio provenit a Deo per ministerium Angeli: inquit enim Sanctus Paulus in Epistola ad Philippenses Cap. II v. 9: *Propter quod Deus exaltavit illum, et donavit illi Nomen, quod est super omne nomen:* et Sanctus Lucas in Evangelio Cap. II vers. 21 ait: *Vocatum est Nomen ejus Iesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur.* Iesu nomen, quo Christus in Circumcisione nuncupatur, idem est, quod Gabriel Angelus Mariae et Iosepho nunciaverat. Eo autem nomine continentur excellentissime cetera quibus Messias in Scriptura distinguitur, veluti *Emmanuel*, Dominus nobiscum; *Iedidiah*, dilectus Deo, Pacificus, Princeps pacis, Pater futuri saeculi, Angelus Testamenti, Christus Domini, Iustus, Oriens, Sol justitiae. Omnes hasce appellationes complectitur unicum Iesu vel Salvatoris nomen; quaeque sub variis nominibus promissa fuerant, Iesus absolutissime implevit, quippe qui salus, pax, felicitas et solatium est omnium qui sibi credunt. *Nomen est*, inquit Apostolus ad Philippenses Cap. II v. 10 *super omne nomen; ut in nomine Iesu omne genuflectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum.* Hoc enim est nomen quod infinite superat omne aliud nomen. Unde est apud Graecos epitheton Dei ὑπρωνομος, idest, quo nihil excelsius nominari potest. Pulchra sunt verba Divi Bernardi in Cantica, Sermone XV n. 6: *Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Iesum.* Augustinus quoque *Confessionum* Lib. III Cap. IV scribit, se antequam ad Catholicae Ecclesiae castra venisset, cum Ciceronis Opera Philosophica legeret, a terrenis rebus avocatum ad caelestium rerum contemplationem rapi sensisse. *Et hoc solo in me tanta flagrantia refrigebat, quod nomen Christi non erat ibi. Et quidquid sine hoc nomine fuisset, quamvis litteratum, et expolitum, et veridicum, non me totum rapiebat.* In Veteri Lege quidam etiam hoc eodem nomine sunt appellati, quorum opera temporalem salutem quispiam consequutus esset. Itaque filius Nave appellatus est Iesus, qui populum Israeliticum ex Aegypti captivitate per Moysem libera-

tum suo ductu et consilio, cum Moysi successisset, in promissionis terram traduxit. Idem fuit nomen filio Iosedech Sacerdotis, et Syrach, qui Christum Dominum Servatorem nostrum praefigurarunt. Quamobrem Divus Thomas 3 part. qu. 37 art. 2 ad 2 ait: *Ad secundum dicendum, quod his qui fuerunt ante Christum, potuit convenire hoc nomen Iesus secundum aliquam aliam rationem, puta quia aliquam corporalem et temporalem salutem attulerunt. Sed secundum rationem spiritualis et universalis salutis hoc nomen proprium est Christo, et secundum hoc dicitur esse nomen novum.* In Missa SS. Nominis Iesu, quamvis in pluribus Missalibus impressa servetur Sequentia, quae incipit: *Lauda Sion Salvatoris Iesu nomen, et amoris*, haec tamen non est dicenda nisi a Fratribus Minoribus S. Francisci, tum quia in concessione antea facta Societati Iesu anno 1701 1 Octobris, dicitur expresse: *Exclusa tamen Sequentia;* tum quia post hanc universalem concessionem, Missa Romae impressa non continet dictam sequentiam.

CAPUT IV.

DE DOMINICA SEPTUAGESIMÆ, SEXAGESIMAE, QUINQUAGESIMÆ ET DE FERIA QUARTA CINERUM.

I. Sancta Mater Ecclesia, ac mundus diversis planeque oppositis itineribus animos fidelium ad celebrandos Quadragesimae dies paulatim adducunt. Ecclesia tribus Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae, et Quinquagesimae diebus antea propositis, viam nobis ad Quadragesimam aperit. Hae tres Hebdomadae ad poenitentiam sunt destinatae, et juxta diversum Ecclesiarum ritum ordinantur ad Quadragesimale jejunium. Qui Sabbato non jejunabant, ut fiebat in Oriente, anticipabant Quadragesimam una hebdomada, quae *Sexagesima* nominabatur; qui neque feria quinta neque Sabbato jejunabant, anticipabant eam duabus hebdomadis, quas appellabant *Septuagesimam;* qui denique neque feria quinta majoris hebdomadae, neque Sabbato Sancto jejunabant, duos hosce dies aliis quatuor adjungebant diebus, ut

quadragenarium complerent numerum, talemque hebdomadam appellabant *Quinquagesimam*. Septuagesimae, Sexagesimae, et Quinquagesimae diebus moerorem praefert Ecclesia. In Divinis Officiis *Alleluja* non amplius utitur, cujus loco, *Laus tibi Domine* etc. subrogatur, quod humilitati nostrae et calamitati, quae a primo parente in nos derivata est, aptissime convenit, uti Martene et Gavantus recte perpendunt. In dimittendo autem *Allelvja* non unus fuit omnium Ecclesiarum usus. *Nam*, ut ait Durandus Lib. VI Cap. 24 *quidam in ipso Sabbato dimittunt Alleluja ad Sextam, quidam ad Nonam, quidam ad Vesperas, quidam vero ad Nocturnum hujus diei. Rectius tamen dimittitur in Vesperis, quia tum dies incipit quoad diurna officia, quia nox praecessit, dies autem appropinquavit.* Insuper per eos dies Psalmi *Dominus regnavit*, et *Iubilate etc.*, qui plurima laetitiae signa continerit, minime recitantur, sed alii Psalmi, *Miserere*, et *Confitemini* adhibentur, qui ad tristitiam et moerorem concitandum prope facti videntur, sicut Sarnellius *Epistola octava* Libri VI primus omnium advertit. Non dicitur amplius *Te Deum*, quia tempus tristitiae est, quo solemnitatis et laetitiae cantica supprimuntur. In Ecclesia Turonensi S. Martini servatus est usus dicendi *Te Deum* usque ad Dominicam Passionis. Ecclesia incipit in Septuagesima legere Genesim, ut nobis ob oculos ponat hominis lapsum in persona Adae, ejus exilium e Paradiso ubi illum Deus collocarat, poenitentiam illi impositam ad expiandam culpam, et promissionem Mediatoris et Reparatoris ejus peccati. Olim per hasce tres Hebdomadas singulis diebus habebantur Antiphonae propriae ad *Benedictus*, et ad *Magnificat* desumptae ab Evangelio cujusque Dominicae; hodie habentur tantum ad *Magnificat*. Ex sacris Annalibus exploratum habemus piam consuetudinem quadraginta Horarum per tres dies a Quinquagesima usque ad Feriam quartam Cinerum saeculo decimo sexto primum coepisse, ut Fideles hoc pacto, neglectis mundi illecebris, ad sancta opera incenderentur, Deumque Bacchanalium criminibus gravius iratum mitigarent: constat etiam ex Baccio, in *Vita S. Philippi Nerii* Lib. I Cap. 14 num. 7 S. Philippum postremis Bacchanalium diebus solemnem

ad septem Urbis Ecclesias magna populi frequentia supplicationem ob easdem causas instituisse.

II. Initium Quadragesimae vocabatur *Caput jejunii;* atque ita vocata est Feria quarta Cinerum. Primus iste jejunii dies adeo solemnis est, ut proprium Officium nulli cedat solemnitati, quae eo die possit occurrere, ne Patrono quidem Ecclesiae. Videsis S. Basilium, et antiquos Patres de primo die jejunii disserentes, ut intelligas, quanta populorum frequentia convolaret ad Ecclesiam, ut ibi per preces et praedicationem tam salutare tempus inchoaret. Quoad Cinerum caeremoniam, haec erat quondam ratio peccatores poenitentiae addicendi. Tertullianus in *Libro de Poenitentia* poenitentem describit conspersum cinere: *Horrore cineris concineratum prosternis in medium.* S. Ambrosius *ad Virgines lapsas* Cap. VIII poenitentiam alicui virgini indicens, lugubre praescribit vestimentum, cilicium et cinerem: *Totum Corpus cinere aspersum.* Cinerum igitur caeremonia ad publicos olim poenitentes tantum pertinebat. Publici vero poenitentes dicebantur quibus publica poenitentia erat imposita ob publica crimina. Sapienter hoc enim ab Ecclesia institutum est, ut qui publice deliquit, publicam luat poenitentiam, quae non solum ipsi prosit ad salutem, sed etiam ceteris ad exemplum. Dionysius Petavius, in *Animadversionibus ad haeresim 59 Epiphanii* Tom. 2 pag. 248; Iuenin, de *Sacramentis* Cap. 7 art. I; Carolus Witasse, *de Poenitentia;* existimant etiam peccatis occultis, sex prioribus saeculis, impositam fuisse poenitentiam publicam. Sirmondus contra, cui plurimi adhaeserunt, in *Historia Poenitentiae publicae* Cap. 2 pag. 82 Tom. IV Opp. affirmat gravioribus tantum criminibus publicis ipsam poenitentiam fuisse impositam: quod vir clarissimus probat primum argumentis ex Augustino depromptis. Nam Sanctus Pater Capite 85 *Enchiridii* docet in actione poenitentiae eum qui crimen commisit, a *Christi corpore separari.* At in Epistola 54 ad Macedonium num. 153 docet eos a societate Altaris removeri, *quorum crimina manifesta sunt.* Proximo capite quarto pag. 488 confirmat Sirmondus sententiam suam auctoritate Canonum, qui vetant ne ob occulta delicta imponatur publica poeniten-

tia. Inculcant et ipsam disciplinam poenitentiae publicae pro publicis criminibus imponendae Patres Concilii Tridentini, Sessione XXIV *De Reformatione*, Cap. VIII. Praxim disciplinae, de qua nos agimus, passim post Tridentinum fuisse et in aliis tum Provincialibus, tum Dioecesanis Conciliis injunctam, docet Iueninus in Dissertatione VI De poenitentia, et alii docti viri.

III. Caput jejunii, ut diximus, appellata fuit feria IV Cinerum. Poenitentes eo die debuisse ad Ecclesiam pergere, atque vilibus indutos vestibus, nudis pedibus vultibusque in terram demissis, Episcopo, vel ejus Poenitentiario se in Ecclesiae foribus praesentare, docent prisci auctores et antiqui Libri Pontificales. Quod poenitentiam publicam et solemnem agentes non solum cum poenitentiam postularent, sed toto illius peragendae decursu, sumptuosis depositis vestibus, lugubres assumerent, saccumque induerent, ac vultu ad terram demisso, nudis incederent pedibus, praeclarissimum testimonium affert S. Hieronymus in Epistola ad Oceanum. Multa sunt in ea Epistola, quae veterem poenitentiae etiam a Nobilibus peractae disciplinam spectant. Mutabant itaque vestes, qui publicam poenitentiam suscipiebant, ejusque disciplinae adeo tenaces antiqui Patres fuerunt, ut poenitentiam ipsam postulantibus minime imponerent, nisi prius crinem tonderent ac vestes mutarent. Cautum id quidem fuit ex plurimis Synodis, praesertim vero ex Agathensi anni DV Can. XV. Nudis pedibus, et vultibus ad terram demissis comparuisse jam olim poenitentes, omnes pene Libri manuscripti Pontificales nos docent. Fuit et ille jam olim mos, ut Poenitentes non modo, ubi initio Quadragesimae Episcopo se praesentabant, nudis pedibus adessent, verum etiam in poenitentiam pedibus nudis circa Ecclesias circuirent.

IV. Illud nunc investigandum est, quisnam olim daret poenitentiam; Episcopus ne, an vero Sacerdos? Certe si pristinam, disciplinam inspiciamus, dare poenitentiam ad Episcopum olim pertinuit: idque cautum est ex variis Canonibus, uti fuse probat Ioannes Dartis in suo *De Canonica Disciplina circa poenitentiam*, Opusculo, Cap. XXVI. At quamvis olim Episcopus ipse Dioeceseos suae generalis esset Poenitentiarius, ad eumque solum

spectaret poenitentiae leges ponere, Canones condere, publicam poenitentiam decernere; illud nihilominus liquet, quod vel primis Christi saeculis, saeviente, quae vivissima fuit, Decii in Christianos persecutione, ut scribit Socrates Lib. V *Historiae*, Cap. XIX, *Ecclesiarum Episcopi Canoni adjunxerunt, ut in singulis Ecclesiis Presbyter quidam Poenitentiae praeesset.* Iam olim ergo fuit in Ecclesia Presbyter, quem vocant Poenitentiarium. Non enim primo institutus fuit ab Innocentio III in Synodo Oecumenica Lateranensi IV, uti quidam autumant. Si enim retroflectamus vestigia in superiores aetates, ut scite observat in sua Veteri ac Nova Ecclesiae disciplina vir clarissimus Thomassinus, Parte I Lib. II Cap. X Num. V, obvius nobis prodibit Confessor generalis cujusque Dioeceseos. Erant insuper Romanis Pontificibus sui Poenitentiarii ante Innocentium III et ante Concilii Lateranensis IV tempora. Decretum in Concilio Oecumenico Lateranensi de Penitentiariis ubique terrarum statuendis conditum fuit. Post memoratum Concilium IV Lateranense vix Synodos invenies, in quibus de Presbytero Poenitentiario mentio non fiat. Voluit tandem Concilium Tridentinum Sessione XXIV Cap. VIII, ut Penitentiarii munus in perpetui Beneficii et Dignitatis gradum eveheretur.

V. Ritus aspergendi cinere poenitentes desumptus est quidem a Veteri Testamento, in quo passim legitur, Iudaeos in moestitiae indicium sacro opertos cinere se conspersisse. Hunc morem ėt primos Christianos servasse, cum de suis criminibus poenitentiam agerent, docent nos Tertullianus Libro *De pudicitia*, Cap. V. Pro varietate Ecclesiarum variae et erant olim Orationum formulae, quibus cineres benedicebantur, uti in antiquis manuscriptis Missalibus et Pontificalibus videre est. Illud quoque de cineribus istis adnotandum censeo, quod nempe non modo ab Episcopo benedicerentur, sed etiam aqua benedicta aspergerentur, ut pro comperto habemus ex plurimis Pontificalibus. Ex dictis deducitur, quod passim eruditi scriptores docent, sacros cineres, quibus initio Quadragesimae omnes adspergi solemus, ad solos publicos olim poenitentes pertinuisse, subsequentibus autem temporibus aliquos pietate insi-

gnes voluisse participes esse harum publicarum humiliationum, et cinere sacro etiam conspergi cum publicis poenitentibus ; idque demum in communem jam transisse consuetudinem saeculo scilicet XII ac XIII. Processio fiebat die ipsa initii Quadragesimae ad producendos poenitentes ad fores Ecclesiae, fiebatque nudis pedibus. Una cum sacris Cineribus imposita fuisse poenitentibus et cilicia, testantur non modo antiqui manuscripti Libri Pontificales, et Patres, ac Synodi, verum etiam veterum poenitentium exempla, quos iis indutos in poenitentiae indicium, apud Scriptores Ecclesiasticos legimus. Hujus habitus rationem hanc reddit S. Hieronymus in Cap. III *Lamentationum Hieremiae. In Cilicio quippe asperitas, et compunctio peccatorum, in cinere autem pulvis ostenditur peccatorum.* Olim quoque cum aegrotis poenitentia imponebatur, servari in iis debuisse cineris atque cilicii ritum , aperte constat ex Concilio Toletano III anni DLXXXIX Can. XII. Ut autem ad diversos istius diei usus revertamur, cernitur in diversis Ordinariis, quod Benedictio cinerum fiebat ad Altare, vel super mensa ad hoc praeparata; in pluribus Monasteriis quidquid benedictorum cinerum supererat, asservabatur pro morientibus, qui super cinerem extendebantur. In Parochialibus Ecclesiis non incipiebatur Benedictio cinerum, antequam facta esset in Cathedrali, et antequam Episcopus vel alter loco Episcopi praedicasset. Quibusdam in Ecclesiis distribuebantur Poenitentibus aliisque Fidelibus cineres ante Missam, et cum cineribus dabatur etiam aqua benedicta.

VI. Varios antiquos Ordines ad imponendam poenitentiam in Quadragesima, in quibus praeter orationes, ac preces mentio fit septem Psalmorum poenitentialium una cum Litania dicendorum, legere est apud Morinum in calce Librorum, *De Poenitentia* et apud Martenium Lib. I *De antiquis Ecclesiae Ritibus* Cap. VI Articulo VII. Antiquam consuetudinem ejiciendi ab Ecclesia poenitentes initio Quadragesimae canentibus Clericis: *In sudore vultus tui*, testatam habemus in plurimis Pontificalibus Libris De usu habendi ab Episcopo sermonem ad poenitentes, ostendendo ipsis, *qualiter Adam propter peccatum ejectus est de paradiso, et multa ma-*

ledicta in eum congesta sunt; et qualiter ejus exemplo ipsi de Ecclesia ad tempus ejiciendi sunt, legere est quidem non modo in manuscriptis fere omnibus antiquis recentioribusque Pontificalibus Libris, verum etiam in Agathensi Concilio apud Burchardum, Ivonem, et Gratianum, Can. *In Capite*, *Distinctione quinquagesima.* Quantum ad orationis studium, corporisque afflictationem, piaque varia opera a Poenitentibus exercenda, innumera pene extant apud antiquos Patres testimonia, exemplaque illustria apud priscos scriptores Ecclesiasticos. Oratio hujus diei, *Concede quaesumus* extat apud Micrologum Cap. III pro die Cinerum: qui dies in quamdam festi speciem evectus est, ut videre est in Concilio Suessionensi an. 853 ad hoc, ut populus matutinis Officiis interesse teneretur. Cum autem singulis Quadragesimae diebus habeantur Evangelia propria, ita etiam singulis diebus ad *Benedictus*, et ad *Magnificat* habentur Antiphonae propriae ab iis Evangeliis desumptae. In Adventu et in Quadragesima Papa non dicit in Missa *Pax vobis*, sed *Dominus vobiscum*, ut patet in cunctis Ordinibus Romanis. Nunc genuflectitur ad Horarum preces, quod alias singulis feriis fiebat: verum hodie tam genuflexio, quam preces reservatae. sunt ad dies jejunii unde istae preces *Orationes flebiles* sunt appellatae.

CAPUT V.

DE DOMINICA PALMARUM.

I. Dominica Palmarum diversis (1) nominibus est appellata, ab aliquibus *Hosanna* propter multitudinis Iesum Christum Hierosolymam intrantem excipientis acclamationes, ab aliis *Dominica Indulgentiae*, ut in vita

(1) Catalano, *Pontificale Romanum Commentariis illustratum*, Pars tertia Titulus IV; et *Caeremoniale Sanctae Romanae Ecclesiae*, Liber II Caput XXXVIII, LI, et LV; Martene, *de antiquis Monachorum Ritibus*, Liber III Caput 13 et seqq.; Pouget, *Institutiones Catholicae*, Tomus II sectio quarta Caput II; Dartis, *de Canonica disciplina circa Poenitentiam*, Caput XXVI; Sirmondus, *Historia Poenitentiae publicae*, Ca-

S. Gebehardi et S. Udalrici propter indulgentias quae hac die solemniter concedi solebant. Alii eam appellabant *Pascha competentium*, quia Catechumenis explicabatur Symbolum. Et re vera in Gallia vetus mos erat hodierna die explicandi Symbolum Catechumenis, ut praecipit Concilium Agathense Can. 13: *Ut Symbolum ante octo dies Paschae competentibus praedicetur*: et in Missali Gothico Missa appellata est *Missa in Symboli traditione*. Mediolani hoc fiebat Sabbato praecedenti. Alii eam appellant *Capitilavium*, eo quia baptizandis caput, praesertim pueris lavabatur. At vero communius vocata est *Dominica Palmarum*. Triumphalem Christi Domini ingressum in Hierusalem in Palmarum Olivarumque benedictione, et in hujus diei Processione nobis proponit Ecclesia. Sacrae solemnitatis initium sumitur ab illis verbis, *Hosanna filio David*, etc. Non ubique inveniuntur pro benedictione Palmarum quinque Orationes: duas tantum memorat Alcuinus quae aetate sua dicebantur, post quas fiebat distributio Palmarum,

put I et seqq.; Orsi; de Chrismate confirmatorio, Dissertatio; Copeti, *Discorsi di Liturgia*, Discorso V; Morinus, *de Sacramento Confirmationis* Caput V; Ortelius, *duplex lavacrum in Coena Domini fidelibus exhibitum*, Pars prima Caput I et IV, et pars posterior Caput VI; Baltellus, *Ritus annuae ablutionis Altaris majoris Sacrosanctae Basilicae Vaticanae in die Coenae Domini*, Caput V, VI, et VII; Berti, *Historia Ecclesiastica sive Dissertationes Ecclesiasticae*, Tomus 1, Dissertatio VI; et de *Theologicis Disciplinis*, Lib. XXIX Capite XX; Menochius, *de Vita Christi*, Caput III et seq.; Honoratus a S. Maria, *Animadversiones in Regulas et usum Critices*, Tomus II Liber III Dissertatio I et seqq.; Curti, *de Clavis Dominicis*, Caput II et seqq.; Borgia, *de Cruce Vaticana*, pag. 80; Venuti, *de Cruce Cortonensi* Caput VIII; Collius, *de Sanguine Christi* Lib. III Disputatio XI; Maldonatus, *in Evangelia;* Chiffletius, *de Linteis sepulchralibus*, Cap. XXXIV et seqq.; Lamy, *Harmonia Evangelica*, Lib. V Cap. 26 et seqq.; Ayala, *Pictor Christianus*, Lib. III Cap. 15 et seqq.; Quaresmius, *Elucidatio terrae sanctae*, Lib. V Caput II et seqq.; Gretserus, de *Sancta Cruce*, Liber II Caput XX et seqq.; Trombelli, *de Cultu Sanctorum*, Tom. II part. III *de Cruce* appendix, *Sectio* II Caput I et seqq.; Bellenghi, *De Reliquiis* Iesu Christi, Caput I et seqq.; Essich, *de tenebris tempore saluliferae passionis Orbi suffusis Dissertatio;* Ducange, *Glossarium mediae et infimae Latinitatis* verbo *Cereus Paschalis*.

et interim cántabatur *Pueri Hebraeorum*. Duas habet Missale Bituricense, Augustodunense, Lingonense, et Ordinarium Laudunense. Non pauci unicam dumtaxat. Complures orationes seu collectas ad Palmas benedicendas continet antiquus Ordo Romanus. Ex precibus quae Romae hodie sunt in usu, videtur, uti observat Grancolas, quod Missa propria pro hac benedictione dici soleret. Quod remanet, vera Missa est usque ad Canonem; Antiphona *Hosanna* est tanquam Introitus, una dicitur Collecta una Epistola, Graduale, Evangelium, habetur etiam Praefatio, et Sanctus. Affirmat Martene satis audacter in opere cui titulus: *De antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis Officiis* Cap. 20 num. 2 nullum hujus ritus benedicendi Palmas reperiri vestigium ante octavum nonumve saeculum. Cui sententiae magnam adfirmare fidem videtur Kalendarium Romanum octavi saeculi a Frontone editum, ubi sermo quidem fit de hac Dominica, sed de Palmarum benedictione omnino siletur. Verum fallitur sapientissimus vir. Etenim in Sacramentario S. Gregorii Magni, a clarissimo Menardo edito, hujus Benedictionis mentionem fieri apertissime liquet in Oratione, quae Communionem praecedit, in qua Deo dicitur, ut quemadmodum fideles se illi offerebant eo die cum frondibus Palmarum et Ramorum, ita vellet eos post mortem recipere palmis victoriae praecinctos, et bonorum operum fructibus exornatos. Praeterea uno tantum post Gregorium saeculo hic ritus in Anglia vigebat, teste Aldhelmo in Libro: *de Laudibus Virginis* Cap. 15. Quod si rem altius repetere placet, eumdem ritum, etiam Gregorio antiquiorem, in Ecclesia Occidentali fuisse inveniemus. Nam in Sacramentario Gelasii Dominica Sexta Quadragesimae habet hunc titulum: *Dominica in Palmis de Passione Domini*. Quo titulo sane docemur jam tunc in Romanam Ecclesiam Palmarum ritum invectum fuisse. In vetustissimo Kalendario Ecclesiae Romanae, quod ipsemet Martene postea evulgavit T. IV *Thesauri Anecdotorum*, quodque ipse eruditissimus vir labente quarto vel ineunte saeculo V scriptum existimavit, haec leguntur: *Dominica in Palmas ad S. Ioannem in Lateranis*. Nulli itaque dubium esse debet, quin hic ritus antiquissimus sit

in Ecclesia Romana. Antiquum quoque fuisse in Oriente Palmarum festum, deducitur ex Vita S. Euthimii a Cyrillo Scytopolitano scripta, in qua legitur, quod Solitarii qui in desertum secedebant post Epiphaniam, ut ad festum Paschatis se pararent, ad Monasterium suum revertebantur ad Festum Palmarum celebrandum, quod erat in Capite hebdomadae, qua Dominicae Passionis Mysteria celebrantur. A Clero procul dubio Monachi isti didicerant hoc festum celebrare.

II. Processio in quibusdam Ecclesiis hac die duplex erat, scilicet Palmarum et Dominicalis solita. Ita docet Rupertus in *Libro V de Divinis Officiis* Cap. 8. Cruxque plerisque in locis per totam Quadragesimam sacris in Processionibus non deferebatur, in ista discooperta apparebat et aliquo modo triumphabat, uti videre est in variis Ordinariis. Atque ut triumphalis gloria Crucis amplius demonstretur, non solum in processione, sed per totum diem aut magnam illius partem denudata manebat: id quod Carnotense Ordinarium S. Ioannis etiam ad altaria et capsas extendit. Nonnulli praeter Crucem, etiam sacrum Evangelii textum, tamquam Christi personam exhibentem cum solemni pompa deferebant. Meminit hujus ritus vulgatus Alcuinus in Libro *de Divinis Officiis*. In Anglia et quibusdam aliis regionibus non solum in figura, sed in ipsa rei veritate Christo debitus honor impendebatur, delata hac in processione summa cum reverentia sacrosancta Eucharistia. Ita decernunt statuta Lanfranci Cantuariensis Archiepiscopi, ita praescribit Missale antiquum Ecclesiae Sarisberiensis. Processio dirigebatur ad aliquam Ecclesiam aut locum, ubi lecto Evangelio et facto sermone, rami benedicebantur, si tamen id prius factum non fuisset: aut indulgentiae solemnes, seu benedictio impertiebatur: saltem is erat quarumdam Ecclesiarum usus. Tandem qui praecipuus videtur fuisse processionis hujus scopus, in statione fiebat Crucis adoratio, iteratis crebris ante ipsam genuflexionibus, quibus pium subjungebant osculum. Ita fere habet antiquus Ordo Romanus. Benedictio et distributio Palmarum pluribus in locis fiebat extra Urbem: quapropter erant Cruces prope vicos et villas. Atque ut repraesentetur quod

fecit Salvator, fit egressus ab Urbe, et ingressus solemnis ac veluti triumphalis cum ramis arborum. In reditu processionis ad valvas Ecclesiae cantatur hymnus *Gloria laus*, cujus auctorem faciunt Theodulphum Aurelianensem Episcopum, quem cum ille esset Andegavis, ut ajunt, vinctus in carcere, transeunti cum processione Ludovico Pio Imperatori cecinisse supponunt, cujus modulatio suavis iratum ita demulsit Imperatorem, ut vinculis absolutum libertate donarit. Verum hoc validissimis rationibus refutat Menardus *in Notis ad S. Gregorii Sacramentarium*. Doctissimus P. Martene non negat tamen hunc hymnum a Theodulpho fuisse compositum et quidem ad usum Ecclesiae Andegavensis, maxime cum illum sub illius nomine citasse videatur Lupus Abbas Ferrariensis Epistola XX. Hujus hymni, qui longe prolixior est in veteri Missali Albiensi et in Pictaviensi Pontificali, quinque aut sex dumtaxat strophas dicimus. Ostium Ecclesiae aperitur quod antea erat occlusum, ut hinc intelligamus clausum fuisse hominibus coelum, Adamo peccante, et nonnisi Iesu Christi morte fuisse reseratum. Verba sunt Amati Pouget in *Institutionibus Catholicis* Tom. I part. 2 sect. 4 Cap. 2. Hoc ipsum adfirmat Eveillon in suo Libro: *de processionibus Ecclesiasticis*, Cap. IX ubi inter alia ait: *Sacerdos fores Templi, seu portas Civitatis pulsans, et impacta Cruce aperiens Christum exprimit virtute passionis suae portas Caeli aperientem, et de diabolo victoriam in Cruce reportantem.*

III. Ad Passionem igitur nonnihil veteris simplicitatis retentum est in legendo Evangelium sine *Iube*, sine *Dominus vobiscum*. Non petitur benedictio, quia auctor benedictionis extinctus legitur; eademque de causa neque luminaria deferuntur, neque thus adhibetur, ex *Ordine Romano:* quia fervor devotionis in Apostolis tepuerat. Nec dicitur *Dominus vobiscum* in detestationem male salutantis Iudae. Omnis antea solemnitas in tanta moestitia tollitur. In Consuetudinibus Cisterciensium ad illa verba *Emisit spiritum*, signatur ritus osculandi terram. In Ordinario Carthusianorum traditur, quod ad hunc locum dicitur: *Adoramus te Christe, et benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redimisti mundum.*

Legitur Passio quatuor Evangelistarum, juxta ordinem temporis, quo eam scripserunt; incipiturque per S. Matthaeum, et terminatur per S. Ioannem. Martene in Libro III *de antiquis Monachorum Ritibus* demonstrat Passionem olim privatis in Missis non recitatam fuisse a Monachis, sed ejus loco Evangelium de Iesu Christi in civitatem ingressu. In Missali Gothico non dicitur hodie Passio, neque feria tertia, neque quarta subsequenti, sed tantum feria quinta. Ad totam Missam tenebantur Rami in *Ordine Romano*; unicaque dicitur Oratio, quae a Sancto Ambrosio accepta est. Notae illae † C. S. non sunt antiquae, auctorem habent incertum, et putat Gavantus, eas significare *Christum, Chronistam, Synagogam*, alii *Christum, Cantorem, Succentorem*, nam Diaconi dicuntur hodie Cantores Passionis in Caeremoniali. Vox autem Succentor, non est nova aut recens in Ecclesia Latina, nam laudatus Gavantus illam legit inter Dignitates Cathedralis Aversanae in Istrumento celebrato cum Fratribus Minoribus anno 1234 quod habetur apud Lucam Wadingum *in Regesto Pontificio ad calcem Annalium Minorum anno 1235 Bulla* 27.

IV. Ingressum quem Christus Dominus triumphantis more Hierosolymam fecit, hic breviter examinamus. Ante istum praemittit Matthaeus Cap. XXI. v. I: *Cum appropinquassent Hierosolymis, et venissent Bethphage ad Montem Oliveti, tunc Iesus misit duos Discipulos dicens eis: ite in Castellum, quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam et pullum cum ea: solvite et adducite mihi. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet: et confestim dimittet eos.* Adductis per Discipulos juxta Christi mandatum asina et pullo, dicit Evangelista Matth. Cap. XXI v. 7 quod *imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt.* Et hinc coepit plaudentibus turbis, quae praecedebant et sequebantur, triumphalis modo ingressus Christi Hierosolymam. In hoc impleta sunt vaticinia Isaiae Cap. LXII v. 11 et Zachariae Cap. IX v. 7 *Exulta satis filia Sion: jubila filia Ierusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi justus et Salvator.* Ramos etiam in via projiciebant, sed non est existimandum in tanta quantitate projecisse, ut impedirent transeuntes, cum

ad honorem hoc facerent, quemadmodum etiam apud nos in quibusdam solemnitatibus pavimentum frondibus spargi consuevit. Sed quarum arborum rami ad triumphi hujus laetitiam praecisi fuerint, silent quidem Matthaeus et Marcus; solum dicentes, quod *caedebant ramos de arboribus:* sed Ioannes Cap. XII v. 13 id expressit dicens : *acceperunt ramos palmarum* : et Versio persica habet ramos *ex arbore olivae succidebant* ; et ritus Ecclesiae hoc confirmat, quae quotannis celebrans hunc Salvatoris ingressum, vocat diem celebritatis hujus *Dominicam Palmarum*, et ramos palmarum et olivarum fidelibus in memoriam distribuit. Cumque via qua Christus incedebat, utpote Montis Oliveti, esset hinc inde olivis referta, fit ut ex palmis et olivis ramos abscinderent, quibus Christo turbae occurrerent. Accedit etiam mystica significatio, quia palmae ramus victoriae Symbolum est, et in publicis laetitiae caeremoniis veluti cum victor aliquis in urbem excipiebatur, palmae ipsi praeferebantur : et I Machabeorum Cap. XIII v. 51, nec non II Mach. Cap. X v. 7 habetur quod purgatis ab abominationibus arce Hierosolymitana et Templo, ramos palmarum in laetitiae signum ei, qui loca mundaverat, praeferebant. Oliva etiam symbolum pacis est; quare in signum Dei post diluvium placati, Columba ad Arcam reversa detulit ramum virentis olivae, Gen. Cap. VIII v. II. Congruebat igitur, ut Christo triumphatori, Regi pacifico, cum ramis palmarum et olivarum turbae occurrerent.

V. De acclamationibus quibus Iesu Christo ingredienti plaudebant, difficultas est de illa voce *Hosanna Filio David*, *Hosanna in altissimis*, quam repetebant Turbae ergo Christo occurrentes clamabant, laudantes scilicet Deum prae laetitia, et hoc, ut dicit Lucas Cap. XIX v. 36 propter multas virtutes et miracula, quae viderant ab eo facta, et praecipue propter suscitationem Lazari. Clamabant ergo *Hosanna Filio David.* De hac voce multae auctorum interpretationes sunt. Clemens Alexandrinus *Lib. I Paedagogi* Cap. 5 eam significare ait *Lucem, Laudem et Gloriam:* Hilarius *Redemptorem.* Quidam apud Theophylactum, *Hymnum:* Iustinus q. 50 *excellentem magnificentiam.* Verum S. Hieronymus,

quo nemo ex Patribus Hebraicae linguae peritior. *Epistola* 145 ad Damasum notat, quod vox *Hosanna,* seu *Hosianna* idem est ac *Salva, quaeso,* seu *obsecro.* Qui subinde notat, quod haec precandi formula *Hosanna*, seu *Salva quaeso,* graece *O Domine,* familiarissima erat Hebraeis, et creberrime in Synagogis legebatur, ut in Psalmo 117: *O Domine salvum me fac, o Domine bene prosperare, benedictus qui venit in nomine Domini.* Quia enim credebant verba haec referri ad Messiam repromissum, ideo omnibus vel etiam pueris nota erant, et ab ipsis frequentabantur. Unde fit ut, Christo ingrediente Hierosolymam, omnes; etiam pueri ut notat Matthaeus Cap. XXI v. 16, conclamarent *Hosanna filio David*, eum divino instinctu Messiam promissum praedicantes. Notat etiam Iansenius, quod illa vox *Hosanna* seu *salva quaeso*, usurpata a populo, et a Discipulis, fuit vox exultantium et bene precantium Christo, quasi dicerent: *Salva, quaeso, Domine, Regem nostrum*, seu *bene ei prosperare,* velut si Rege adveniente, dicat populus: *Vivat Rex, Prospera, quaeso, Domine Regem.* Unde addebant: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, idest, qui venit missus non a se, sed a Domino. Hisce igitur plausibus comitatus Christus more triumphantis Hierosolymam ingressus est, cujus triumphi exitum ita Matthaeus enarrat Cap. XXI v. 10: *Et cum intrasset Hierosolymam commota est universa Civitas, dicens: Quis est hic? Populi autem ajebant: Hic est Iesus Propheta a Nazareth Galileae. Et intravit Iesus in Templum Dei, et ejiciebat omnes vendentes et ementes in Templo.* Huc plausus et acclamationes desiere. Ingressus ergo Iesus Hierosolymam triumphali pompa, statim perrexit, non in arcem Sion, quasi Regem saeculi ageret, sed in Templum Dei, ad cujus gloriam venerat promovendam, cumque illud vidisset humanis commerciis profanari, zelo Dei accensus inde ejecit profanatores.

CAPUT VI.

DE MATUTINIS TENEBRARUM, QUAE QUARTA, QUINTA ET SEXTA FERIA VESPERI RECITANTUR.

I. Officium nocturnum Tenebrae nuncupatur, quia noctu dicebatur; et nomen hoc quod huic triduo remansit, proprium erat Officii quod quotidie noctu dicitur. Ex omnibus antiquis Ordinibus Romanis patet, quod media nocte dicebatur, *Ad Vigilias in media nocte:* et in aliis signatur: *In galli cantu*, duabus post mediam noctem horis. Hae tenebrae igitur erant Officium ordinarium, quod ubique media nocte canebatur. Multae causae extitere, quibus illius modi pervigilia nocturna sublata sunt. Verum multa ante saecula mos introductus, exemplo etiam Romanae Ecclesiae praeunte, ut ea Matutina cantentur post prandium, ut apparet ex Ordine Romano Iacobi Cajetani Cap. 82. Totius nostri Officii Ordo describitur ab Amalario Lib. IV Cap. 12. Non a suavibus illis invocationibus Officium incipit, quibus Deum oramus, ut canendis ejus laudibus labia nobis aperiat. Nullum in iis Invitatorium; Psalmi hymno illo *Gloria Patri* carent omnes; nulli Hymni, non Benedictiones, non Capitula; ut rerum omnium oblitam Ecclesiam, et ab omni alia cogitatione avocatam, in eo tantum versari merito dixeris, ut de peccatis humani generis ingemiscat, et Iesu Christi Redemptoris cruciatibus illacrymetur. Lectiones primi Nocturni a Lamentationibus Ieremiae desumptae sunt: quibus Propheta Hierosolymae deflet excidium, multoque gravius super sceleribus, quibus Deum civitas illa irritaverat, ingemiscit. Nos illud hic tantummodo observabimus, in Lamentationibus ex Ieremiae Threnis desumptis voces illas occurrere *Aleph*, *Beth*, *Ghimel*, quod acrostice compositae, primae stropharum omnium litterae servent Alphabeti Hebraici ordinem. Ordo hic in versione Threnorum in alium ex Hebraico sermonem cum minime retineri potuerit, Ecclesiae placuit, ut sua cuique Strophae initialis littera Hebraica praemitteretur, ut optime observat Mazzinellus in Officio Hebdomadae

Majoris pag. 94. In fine Lectionum non dicitur *Tu autem*, sed *Ierusalem convertere;* estque fructus a lectione percipiendus, nempe adstantium conversio, et ad poenitentiam exhortatio. Ista exhortatio est in Ordine Romano. Repetitur *Ierusalem* ad exemplum Iesu Christi Matth. Cap. XXIII *Ierusalem, Ierusalem, quoties volui.* Lectiones Hieremiae repraesentant nobis animam pro peccato captivam, non secus ac miserum et afflictum populum, Babylonica captivitate detentum. Ad secundum Nocturnum in Sermone S. Augustini virtus apparet Passionis Christi, qui inimicorum injuriis expositus, per Crucem suam triumphavit, cujus signo totus *Orbis devictus est.* Lectiones tertii Nocturni ad Eucharistiae institutionem referuntur; sed Responsoria praecipuas Passionis Christi circumstantias memorant, ejus agoniam in horto, et Iudae traditionem.

II. Durante Tenebrarum Officio ponitur ante Altare candelabrum triangulare cum pluribus cereis, qui successivo ordine in fine cujusque Psalmi extinguuntur. Quindecim ponuntur super candelabrum cerei, juxta quindecim Psalmos Officii, et in fine cujusque Psalmi unus extinguitur. *Tot cerei ad Nocturnos, et extinguuntur per singulas Lectiones*, teste Udalrico in Consuetudinibus Cluniacensium. In Ordine Romano cereorum non signatur numerus: in Codice Ratoldi Corbejensis, in quo Romanus signatur usus, traditur, quod tota Ecclesia clarificanda sit, et triginta octo cereis illustranda: *Ecclesia omni lumine sit decorata, idest, triginta octo luminaribus.* In statutis Lanfranci vigintiquinque praecipiuntur cerei, ut ad singula Responsoria extinguatur unus: aliis in locis extinguebantur omnia lumina ad Matutinum, et relinquebantur ad Laudes solummodo lampades ante Altare. De luminibus in cujusque Psalmi fine extinguendis loquitur Amalarius Fortunatus Lib. IV *de Ecclesiasticis Officiis* Cap. 22. Et Libro *de Ordine Antiphonarii* Cap. 44 ait consuetudinem fuisse in Ecclesia, ut Feria Quinta et Sexta, et Sabbato majoris hebdomadae lumina extinguerentur. De luminibus, expleto quolibet Psalmo, extinguendis agit Martene, et confirmat ejusmodi consuetudinem *de antiqua Ecclesiae Disciplina* Cap. 22 §. I num. 2. Quin-

decim candelae accenduntur in Candelabro triangulari, ad fidem de SS. Trinitate denotandam; quae tunc vigebat in Beatissima Virgine, Apostolis, et tribus faeminis Mariae nomine insignitis, uti ex Ioanne Beletho Cap. 101, Rupertus Lib V *de Divinis Officiis* Cap. 26 tradit in his Matutinis etiam ultimam candelam ea aetate extingui consuevisse; et Cap. 28 docet, post extincta omnia lumina, e silice extundi novum ignem: ac per priorem quidem candelarum extinctionem significari necem Prophetis ab Iudaeorum populo illatam, quo crimine gens illa excaecata fuit; per extinctionem ultimae innui Christi Domini mortem, qua Iudaeorum mentes magis magisque oppletae tenebris fuerunt; novo autem igne, qui extunderetur e silice, novum significari lumen, quod profectum a Christo, de quo scriptum est in Evangelio: *Petra autem erat Christus*, mentibus Christianorum illuxit. Observat Mazzinellus in Officio *Hebdomadae Majoris* pag. 85 ideo singulas candelas ex intervallo subinde extingui, quod, cum tempus quo Christum mori oportuit adventaret, Discipuli, remisso pristino illo animorum ardore, passim huc illuc aufugerint, promissis non steterint, ac fere omnes ut fuga suae saluti consulerent, Magistrum suum deseruerint. Addit idem auctor, candelam illam, quae sub Altari servatur accensa, pulchre Iesum Christum significari, quem e Coelo delapsum ut universum mundum a multis retro jam saeculis in tenebris jacentem suo lumine illustraret, scelesti homines et ingrati extinguere aut obscurare conati sunt; sed cum maxime credebant illum obscuratum aut omnino sublatum, tum maxime reviviscentem surgentemque viderunt ad immortalitatem et splendidissimo lumine coruscantem ab universo mundo praedicari et conspici. Alii hunc ritum hoc modo interpretantur. ajunt cereos illos sensim extinctos imaginem esse Apostolorum, qui lux mundi dicuntur in Evangelio, et qui tempore passionis Christi fugerunt et veluti extincti sunt. Cereus in anguli; vertice positus Christum specialius designat. Is absconditur accensus, ut designetur mors Christi, manente semper ineffabiliter divinitate tam cum corpore, quam cum anima. Abscondito hoc cereo fiunt supplicationes, ut impetretur

effectus mortis Christi, tum cereus iterum profertur, ut iterata hac cerei absconditi ostensione, Christi resurrectio designetur.

III. Candelae debent esse ex cera communi non alba, ex Caeremoniali Episcoporum Lib. II. Cap. 22 quia color est obscurus, et in Altari sex ejusdem generis cerae. Candelabrum triangulare a latere Epistolae collocandum est, ut in Caeremoniali citato loco, quia sinistrum cornu Altaris est, quod in Missa Hebraeos significat, ad quos primo venit Christus. Versus ille, *Christus factus est* etc. erat in Breviariis mss. antiquis, et in edito anno 1550, cum eadem distributione in tres partes, pro triduo, quam nos hodie adhibemus, et ad omnes Horas. Psalmus *Miserere*, et Oratio humili voce dicuntur in Breviariis mss. ad designandum Apostolorum timorem, ex Durando. Oratio dicitur non a stante, ut alias, Sacerdote, sed genuflexo, ex Caeremoniali Episcoporum Lib. II Cap. 22 ad imitandum Iesu Christi humilitatis exemplum: neque salutatione Sacerdotali utimur, hoc est, *Dominus vobiscum* ad detestandam salutationem Iudae. Fragor denique fit, et strepitus, qui significant tenebras in Christi morte cum terraemotu. Candelas Altaris extinctas cum aliis significare docet Rupertus Lib. V Cap. 26 Prophetarum mortem et Iudaeorum caecitatem. De Oratione *Respice quaesumus Domine etc.* ut aliquid dicamus, est illa profecto antiqui ritus, ejusque non obscure meminit antiquissimus omnium Romanus Ordo I Cap. V. Dicendam ipsam Orationem in fine hujus Officii, praescribunt passim Ecclesiarum Ordinaria, ac Ritualia, ut omittam Durandum aliosque antiquos scriptores, qui eiusdem Orationis mentionem faciunt.

CAPUT VII.

DE FERIA QUINTA IN COENA DOMINI.

I. Feria quinta in Coena Domini, quam veteres scriptores *Natalem Calicis* vocant, adeo multiplici rituum varietate gaudet, nulla ut toto in anni curriculo dies ei valeat aequiparari. Diversis nominibus appellatur,

nempe *Dies in Coena Domini*, quia in Coena hujus feriae quintae Iesus Christus instituit Eucharistiam, *Dies lucis, dies panis, dies absolutionis, dies Mysteriorum, et dies Mandati*. Veterem fuisse Romanae Ecclesiae consuetudinem Feria V in Coena Domini absolvere et reconciliare poenitentes, diserte nos docet Innocentius I Pontifex Maximus in celeberrima ad Decentium Eugubinum Epistola Cap. VIII. Hinc illae SS. Patrum Homiliae ad reconciliandos poenitentes in Coena Domini: quales visuntur S. Eligii in Bibliotheca Patrum, et Abbonis Monachi in Spicilegii Tom. IX. Atque haec erat communis Ecclesiae Romanae praxis, aliarumque Occidentalium, quam videre est in omnibus passim Sacramentorum Libris. Verum in Mediolanensi alia obtinebat consuetudo, reconciliandi poenitentes feria sexta majoris hebdomadae, ut colligi potest ex Epistola XX S. Ambrosii, novae editionis, ad Marcellinam sororem. Eumdem pariter usum viguisse, in Hispania ex Concilii Toletani quarti Canone septimo constat. Eadem quoque praxis fuisse videtur in quibusdam Gallicanis Ecclesiis, teste Martene. Constat ex Sacris Canonibus, priscisque Patribus, quorum loca longum esset hic recensere, diligentissime attendisse ipsos, an Poenitentes sedulo ac fervide poenitentiam illis impositam peragerent; ut nimirum discernere possent, quinam essent in Coena Domini reconciliatione digni. Proprii autem juris solorum fuit Episcoporum et publicam poenitentiam imponere, ac publice poenitentes reconciliare, idque Presbyteris, atque adeo Chorepiscopis negatum erat. Ioannes Dartis in Opusculo: *De canonica disciplina circa Poenitentiam*, Cap. XXVI observat, potuisse Presbyteros ex consensu Episcopi, aut in ejus absentia, vel urgente necessitate, poenitentes reconciliare, uti aperte constat ex Concilio Africano circa tempora Bonifacii I habito, relato in Can. *Poenitentibus* XXVI Quaestione XXVII. Ad Missam insuper poenitentes sacris Altaribus restituebantur; quanam vero Missae parte, non satis constat. Saltem non una fuit omnium Ecclesiarum hac in re consuetudo. Nam aliqui ante Missam, quidam post Evangelium ante offertorium: immo nonnulli si Morino credimus post consecrationem reconciliabantur. Nam in Ordine Romano

et quibusdam aliis Sacramentorum Libris, poenitentium absolutio hora tertia ante Missam instituitur. Missa quae pro poenitentibus Feria quinta Coenae Domini mane cantabatur, propria quidem antiquitus fuit, eamque legere est in vetustioribus Sacramentorum Libris. Cumque in Litaniis dictum fuerit, *Omnes sancti Patriarchae et Prophetae,* tunc Episcopus mittit ad poenitentes duos Subdiaconos, candelas accensas in manibus ferentes. Forte instar Baptizatorum et Neophitorum dati sunt et Poenitentibus cerei, quibus significatur quod Apostolus ait ad Ephesios, Capit. V: *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino.* Significatur etiam ipsis cereis, debere poenitentes implere illud quod Christus Dominus in Evangelio Matthaei jubet Cap. V his verbis: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est.* Quidquid de memorati Ritus antiquitate sit, ut poenitentes cereos accensos in manibus suis teneant, eam reor esse causam, quod, ut testatur Concilium Tridentinum Sessione XIV Cap. II, poenitentia laboriosus baptismus a Sanctis Patribus appellatur.

II. Antiquissimus est ritus ille, qui in nostro Pontificali describitur, ubi mandat, Archidiaconum poenitentes Episcopo offerentem, hisce ipsum Episcopum debere alloqui verbis: *Adest, o venerabilis Pontifex, tempus acceptum.* Consentiunt cum hac Rubrica plures Libri Pontificales. Porro Episcopus ingreditur Ecclesiam, stans infra ostium, et tunc Archidiaconus inchoat Antiphonam: *Accedite ad eum et illuminamini: et facies vestrae non confundentur.* Si antiquissimos Sacramentorum Libros veteremque Romanum Ordinem, aliosque Pontificales manuscriptos ac pervetustos Codices consulamus, nihil habetur quod antiquum non sit in Ecclesia. Preces, seu Versiculi, *Iniquitates meas ego cognosco etc.* dicti quidem et olim fuerunt, sed ab Episcopo, et statim ac Archidiaconus eam recitavit lectionem *Adesto, o venerabilis Pontifex* etc., uti videre est in pervetustis Sacramentariis et in Ordine antiquo Romano, aliisque Pontificalibus. Quod spectat ad reconciliationis locum, communis omnium passim Ecclesiarum praxis extitit, ut Episcopus Ambone conscenso, super poenitentes in

navi Ecclesiae prostratos absolutionis formulam pronuntiaret. Qualis autem illa fuerit, indicant Sancti Patres, non indicativam, sed deprecativam prorsus extitisse; eam precis aut orationis nomine vulgo indigitantes. Id clare demonstrat S. Leo ad Timotheum Alexandrinum Episcopum, sic scribens Epistola 139 novae editionis: *Eos qui veritati aliquatenus restiterunt, reconciliandos Deo preces per Ecclesiae instanter acquiras.* Longe prolixiores sunt orationes atque absolutiones, quae in antiquo Romano Ordine et in priscis Pontificalibus recensentur, modo fere semper deprecativo juxta veterem Ecclesiae morem. Ceterum praetermittere non debemus absolutionem aliquando per dies plures repetitam fuisse. Trinae repetitionis habemus exemplum in Epistola Hugonis Rotomangensis Archiepiscopi apud Willelmum Malmesburiensem Libro I *Historiae Novellae.*

III. Ritus aspergendi Poenitentes aqua benedicta et thurificandi eos, extat in antiquo Romano Ordine et in aliis Libris Pontificalibus. Tandem cur Episcopus poenitentes thurificet, hanc arbitror esse causam, ut ipsos scilicet moneat, ut Christi sint bonus odor in omni loco. Antiquus est insuper ritus, ut Episcopus, ubi solemniter reconciliavit Poenitentes, eisdem benedictionem solemnem impertiatur. Variae afferuntur formulae hujus benedictionis in Pontificalibus Libris, in quibus etiam quaedam breves, quaedam prolixiores sunt. Quod spectat ad ritum impertiendae benedictionis manibus elevatis, et extensis, exempla de ea re habemus eximia in Veteri ac Novo Testamento; eaque innuit Isaacius Habert in Observationibus suis ad Pontificale Ecclesiae Graecae ad Partem XI Liturgiae Ordinationum, Observatione V. Hac manuum protensione significare videtur Episcopus, se Dei manum, hoc est potentiam implorare, ac velut dato signo, e caelo accersere ad munera gratiae suae. Fuit praeterea et olim ritus, ut Poenitentes in signum promissionis non peccandi imposterum et conversionis suae ad Dominum, manus attollerent; ejusque moris meminit quidem S. Eligius Homilia VIII in die Coenae Domini.

IV. Consecrandi Chrismatis ritus Apostolicae Traditionis est, cui testimonium perhibent veteres Patres

et antiqua Concilia, Tertullianus, Libro de *Baptismo*; S. Cyprianus, Epistola XX; Optatus Milevitanus, Libro septimo; S. Basilius, Libro *De Spiritu Sancto* Capite XXVII inquit: *Consecramus aquam Baptismatis, et Oleum Unctionis:* quod refert ad Apostolicam traditionem. Nemo est qui dubitet Chrismatis benedictionem annumeratam semper fuisse inter propria et praecipua Episcopalis ordinis munera. In Concilio enim Carthaginensi II anni 390 Tom. I Collectionis Harduini col. 952. Cap. 3: *Ab universis Episcopis dictum est; Chrismatis confectio, et puellarum consecratio a Presbyteris non fiant*. Carthaginense III anni 397 Cap. 36 ibid. col. 964 edixit: *Ut Presbyter, inconsulto Episcopo, Virgines non consecret, Chrisma vero nunquam conficiat*. Chrisma ab Episcopo consecratum esse debere confirmant Innocentius I Epistola I ad Decentium Eugubinum Episcopum; S. Gregorius Magnus, in *Sacramentario*; Ordo Romanus, Honorius Augustodunensis, Rupertus Abbas, Amalarius Fortunatus Libro *De Divinis Officiis*, Euchologia Orientalis, aut Pontificalia Occidentalis Ecclesiae. Chrisma ex prisco Ecclesiae more Feria V in Coena Domini consecrandum est. Huic mori testimonium perhibent Sacramentarium S. Gregorii Magni, Ordo Romanus, S. Isidorus Hispalensis, Auctor Libri *de Divinis Officiis,* Concilium Meldense, Canone XLVI. Moris hujus convenientes rationes afferunt; scilicet: Primo quod ante biduum Paschae Maria caput et pedes Domini unguento perfuderit. Secundo quod quinta Mundi aetate Christus ad nos venerit. Tertio quod ea die Agnus immolatus sit, et ejus sanguine postes obsignati. Addit S. Thomas, III P. Q. LXXII Art. XII ad III diem illum satis congruere materiis Sacramentorum praeparandis, quo fuit Sacramentum Eucharistiae institutum, ad quod omnia alia Sacramenta quoddammodo ordinantur. Haec disciplina de conficiendo Chrismate Feria V in Coena Domini, invaluisse videtur VII saeculo. Episcopos enim antea Chrisma consecrare potuisse *omni tempore* colligitur ex Canone 20 Concili Toletani IV quod sub initium saeculi V habitum est.

V. Inter varia officia quae celebrari in Ecclesia quotannis solent, nullum profecto videtur solemniori

ministrorum apparatu peragi, quam officium ipsum benedictionis oleorum et Chrismatis Feria V Coenae Domini. Quod spectat Presbyterorum numerum, non videtur ille olim status fixusque, sed quotquot praesentes reperiri poterant, Episcopo benedicenti sacris vestibus induti assistebant. Id innuunt vetustissimi omnium Sacramentorum Libri, qui de Presbyterorum assistentium numero nil prorsus definiunt. Certe S. Gregorius in suo Sacramentorum Libro nullam de Presbyterorum numero mentionem facit. Quando autem primum Presbyterorum numerus ad duodenarium redactus sit, difficile est definire. Si quis vero curiosius interroget, cur in ipsa Oleorum et Chrismatis consecratione ex jam communiter recepto Latinae Ecclesiae ritu duodenarius Presbyterorum numerus adhibeatur; rem ita explicat Lib. V *De Divinis Officiis*, Cap. XVIII Rupertus Abbas Tuitiensis: *Duodecim Presbyteri, qui ordinantur juxta Episcopum testes, et adjutores ejusdem Mysterii, duodecim Apostolos significant.* Ut planior fiat, simulque facilius, innotescat ratio huius numeri Presbyterorum; revocandum in memoria est, id prisco fuisse in more positum, ut quoties Episcopus solemne sacrum ageret, toties circum ipsum adstarent omnes Presbyteri suis induti vestibus sacris, ipsique concelebrarent, ut fit hodie in Ecclesiis Orientalibus: hujusque ritus vestigium habemus apud nos in Ordinationibus Presbyterorum. Adstabant quoque omnes Diaconi, Subdiaconi, ceterique de Clero, suis quique vestibus sacris induti. Proinde habemus hic venerandae antiquitatis vestigium. Presbyteri autem nunc adhibentur numero duodecim, ut expressius designetur numerus Apostolorum duodecim, quibus Iesus Christus distribuit Sacramentum Corporis sui, cujus hac die recolitur institutio. Diaconi vero et Subdiaconi adstant hic, inquit Pontificale Romanum, *ut ministri et spectatores.* Sunt autem numero septem, quia septem omnino Diaconos elegerunt Apostoli; ad quorum normam multae olim Ecclesiae non habebant Diaconos plures quam septem.

VI. Omnes pene Libri Pontificales ac antiqui Sacramentorum Codices mandant, ut Oleum quod Infirmo-

rum dicitur idest ad ungendum infirmos, priusquam Episcopus ea verba in Missa proferat, *Per quem haec omnia Domine semper bona creas*, offeratur ipsi benedicendum. Oblato Episcopo Olei infirmorum vase, exorcizat illud. Quam antiquus sit Oleorum exorcismus, patet ex antiquo Ordine Romano ex Codice Monasterii S. Albini Andegavensis, et ex aliis compluribus Libris antiquis Pontificalibus. Nullus est Sacramentorum Codex, vel Liber Pontificalis, in quo orationem *Emitte quaesumus Domine* ad benedicendum Oleum infirmorum non invenias; quam egregie explicat Amalarius Libro I *De Ecclesiasticis Officiis*, Cap. XII. Nullum alium liquorem infirmorum Oleo consecrando admiscendum, docet nos perpetua Ecclesiae traditio tum Latinae, tum Graecae. Neque enim mixtionem aliquam aut Euchologia Graecorum, aut Latinorum Pontificalia recensent. Quod autem in ipsa oratione benedictionis Olei infirmorum, ad finem ipsius legatur, *sit Chrisma tuum perfectum, Domine* etc. dicendum est, eo loci Chrisma generice sumi, nempe pro unguento, seu pro eo omni, quo quis ungi potest, non vero specifice, seu, ut sumunt Theologi, pro mixtura olei et balsami. Notanda praeterea sunt illa orationis verba, quibus de oleo dicitur: *Unde unxisti Sacerdotes, Reges, Prophetas, et Martyres.* Quod olim in Veteri Testamento Sacerdotes inungerentur, constat quidem ex Capite octavo Levitici, ejusque ritus fit etiam mentio Capite XIX Exodi. Unctionis Regum mentio fit passim in Libris Regum. Exemplum unctionis Prophetarum legi potest Lib. III Regum Cap. XIX. Uncti insuper dicuntur Martyres, percipiendo scilicet Confirmationis Sacramentum, cujus beneficio divinitus robur ad resistendum diabolo ejusque satellitibus perceperunt: uti videre est in variis Sanctorum Martyrum Vitis apud Bollandianos. Reportato ad Sacrarium sacro infirmorum Oleo, lavat Episcopus manus, et ad Altare accedens prosequitur Missam ab illis verbis: *Per quem haec omnia Domine* ut in Canone Missae, usque ad communionem divinae Eucharistiae, uti habetur in nostro Ponficali, et in quibusdam aliis. Peracta Communione redit ad suam Episcopus sedem cum Ministris suis, et aliis assistentibus, ipsoque ibi sedente, Archidiaconus

stans apud Episcopum dicit alta voce in tono lectionis: *Oleum ad Sanctum Chrisma;* et mox eadem voce et tono subiungat: *Oleum Catechumenorum*. Ampullae Olei Chrismatis Oleique Catechumenorum e Secretario seu Sacristia ad Altare deferuntur. In hac sacrorum benedictione Oleorum celeberrima prae ceteris fuit Processio. Observandum est quidem in hac Processione, ritum esse ipsam publicae oblationis, qua Sacerdotes et Ministri Ecclesiae nomine populi Christiani offerunt Episcopo Oleum ad benedictionem et consecrationem, juxta illud Exodi XXVII *Praecipe filiis Israel, ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum*. Observandum est secundo, proferri Oleum e Secretario seu Sacristia iuxta antiquissimum Ecclesiae morem, quo, ut scite, observavit Cardinalis Baronius, oblationes fidelium in Secretario primum deponebantur, ut ibi inspicerentur et examinarentur, an admittendae et ad Altarae deferendae, an repudiandae essent. Illud tertio observandum est, pertinere quidem ad sanctitatem Mysterii, quod celebratur, ut materia illius, Oleorum scilicet et balsami, reverenter et *cum omni decore*, ut vetus Ordo Romanus et antiqui manuscripti Libri Pontificales loquuntur, in hujusmodi Processione ad Altare ante Episcopum deportetur. Dignum quarto observatu est, non modo apud Latinos, sed et apud Graecos, in processione in qua deferebantur ampullae olei, sive unguenti, fuisse ipsas velo tectas. Quem ritum fuse enarrat Amalarius Libro primo De *Ecclesiasticis Officiis*, Capite XII.

VII. Summa cum solemnitate Ampullam Chrismatis consecrandi deferri olim ad Episcopum Consecratorem consuevisse, testantur pene omnes Libri Pontificales. Post delatas Ampullas, habebat Episcopus sermonem ad Clerum atque ad populum, consecrationi Chrismatis congruentem, uti constat ex ipso antiquo Romano Ordine aliisque plurimis Pontificalibus Libris. Post Orationes *Deus Mysteriorum caelestium*, et *Creaturarum omnium Domine procreator*, Episcopus miscet super Patenam, vel in aliquo vase balsamum cum modico olei de ampulla Chrismatis sumpti, dicens: *Oremus Dominum Deum nostrum* etc. Apud Latinos ex Oleo quidem et

Balsamo Chrisma confici, docent passim antiqui Sacramentorum Codices, prisci Libri Pontificales et scriptores Ecclesiastici. Graeci suum Chrisma, conficiunt ex Oleo, Balsamo aliisque herbis odoriferis, uti in Euchologio videre est, egregiis notis a Viro clarissimo Iacobo Goar illustrato. Etsi autem haec commixtio ex praescripto plurimorum Pontificalium ab Episcopo super Altare, vel supra Mensam prope ipsum Altare, juxta ritum nostri hodierni Romani Pontificalis, peragatur, ex Sacramentario nihilominus S. Gregorii Papae et ex quibusdam manuscriptis antiquis Pontificalibus, ante Missam fieri ab Episcopo debuit. Ceterum tradit Amalarius Libro primo *De Ecclesiasticis Officiis*, Capite XII odorem Balsami in Oleo opinionem bonarum virtutum late dispersam, operante gratia Spiritus Sancti, demonstrare; addi autem Oleo Balsamum, quia nitet in vultu Christi caelestis splendor. Idem docet Durandus Lib. VI *Rationalis Divinorum Officiorum*, Cap. LXXIV num. X ubi etiam ita inquit: *Sciendum est, quod Chrisma conficitur ex Balsamo, et Oleo propter mysticam rationem, quoniam per oleum nitor coscientiae designatur, juxta illud Evangelii: Prudentes Virgines acceperunt Oleum in vasis suis cum lampadibus* etc. *Per balsamum vero exprimitur odor famae per quod in Libro Sapientiae dicitur: Sicut Balsamus aromatizans dedi odorem.*

VIII. Ritus halandi in modum crucis super Ampullas antiquus est, et eum praescribit in suo Sacramentorum Libro S. Gregorius. Istiusmodi insufflationes antiquissimae sunt in Ecc'esia, earumque SS. Patres meminere, quos longo agmine Ioseph Vicecomes, aliique de Baptismi ritibus agentes afferunt. Sed et in Evangelio Ioannis legimus Capite XX. Christum Dominum insuflasse in Discipulos, ubi dixit: *Accipite Spiritum Sanctum.* Unde satis liquet, temere ac iniuste Protestantes Romanam Ecclesiam, propter hujusmodi ritus usum, superstitionis arguere. Postquam tam Episcopus, quam duodecim Presbyteri ter super ampullam Chrismatis in modum Crucis halarunt, mandat quidem Romanum nostrum Pontificale, ut Episcopus, legendo, exorcismum Chrismalem pronuntiet. Est autem, teste S. Isidoro Hispalensi Episcopo, exorcismus graece, latine

conjuratio, seu sermo increpationis adversus diabolum, ut discedat. Finito exorcismo, cautum est ex antiquo Romano Ordine, ac priscis Pontificalibus, ut Episcopus Praefationem dicat, et quidem excelsa voce, et descriptis versiculis, uti in Sacramentario S. Gregorii Papae habetur et in ipso Ordine Romano.

VIII. Antiquissimus quidem est ritus, ut benedicta Ampulla Chrismatis, ab Episcopo et ab aliis honorifice salutetur. Recensetur haec caeremonia in antiquo Romano Ordine, et in Libro Sacramentorum S. Gregorii, quam caeremoniam novatores redarguunt, tanquam idolatricam et ridiculam, quia salutatur res inanimata. Usitatissimum vero est in signum gaudii, exultationis et gratulationis, etiam res inanimas salutare aeque ac si viverent: sic S. Andreas Crucem a longe conspiciens ait: *Salve crux pretiosa:* sic Fortunatus Christi Crucem alloquitur his verbis: *sola digna tu fuisti ferre pretium saeculi:* et *O Crux ave spes unica:* sic idem salutat diem festum Resurrectionis, *Salve festa dies toto venerabilis aevo.* Sic Paula salutavit Betleem, cum eam primum vidit, ut refert S. Hieronymus in *Epistola de ejus obitu.* Sic S. Gregorius Nazianzenus quando Episcopatu se abdicavit Constantinopolitano, vale dixit Cathedrae, Templo, Domibus, Hospitalibus, Civitati, Oratione XXXII. Salutatio denique hujusmodi ad Chrisma dirigitur, quatenus Christi Symbolum est, ut docent Rupertus Abbas, Lib. V *De Divinis Officiis*, Cap. XVIII; et Amalarius Fortunatus, Lib. I Cap. XII. Salutata ab Episcopo et Presbyteris sacra Ampulla Chrismatis, Episcopus benedicit Oleum Catechumenorum. Meminit et hujus benedictionis Olei Catechumenorum Amalarius, Lib. I *De Ecclesiasticis Officiis*, Cap. XII; Innocentius III, in Cap. I *De sacra Unctione;* Honorius Augustodunensis, Lib. III Cap. LXXXI; Durandus, Lib. VI Cap. LXXIV; et ante ipsum Ioannes Belethus, in sua *Divinorum Officiorum explicatione* Cap. XCV. Post Orationem *Exorcizo te Creatura Olei*, Episcopus dicit hanc Orationem: *Deus incrementorum omnium.* Legitur et haec Oratio in Libro Sacramentorum S. Gregorii Papae, in Ordine antiquo Romano et in omnibus Pontificalibus Libris, ubi enarrant Ordinem benedicendi Oleum Cate-

chumenorum, idest ad Catechumenos inungendos. Illo siquidem Catechumeni inunguntur, ut munimentum habeant per hanc unctionem, ut non possit diabolus repedare, ut verba orationis demonstrant, quam scite omnes fere per partes Amalarius exponit Lib. I Cap. XII; et Durandus, Lib. VI Cap. LXXIV; ubi docent valere hujus olei unctionem ad tutelam, ut nimirum diabolus expulsus redire non audeat; legitur enim in Oratione: *Nullus spiritualibus nequitiis locus.* Omnes manuscripti Libri Pontificales, qui Romanum antiquum Ordinem sequuntur, mandant ut peractis nempe Chrismatis ac Olei Catechumenorum benedictionibus, *Ampullae eodem ordine, ac decore, quo ascenderant in Ecclesiam, redeant ambae in Sacrarium.* Mandat vero tam Liber Sacramentorum S. Gregorii Papae, quum vetus Ordo Romanus omnesque fere Libri Pontificales, ut dum sacrae ampullae ad Sacrarium deferuntur, prosequatur Episcopus Missam. Cum in Cathedralibus Ecclesiis, absente vel impedito Episcopo, Chrisma ac olea minime benedicantur, a viciniori solebant requiri, et tunc cum solemni processione recipiebantur.

IX. Sicuti debent Episcopi Sanctum Oleum Feria quinta Majoris Hebdomadae consecrare ac benedicere, ita pariter Dioecesani Oleum ipsum jam consecratum ab Episcopo suscipere tenentur. De illis dioecesanis agimus, quibus Sanctum Oleum necessarium est, videlicet de Parochis, qui habent Fontem Baptismalem: nam cum Benedictio ipsius facienda est Sabbato Majoris Hebdomadae, Chrisma et Oleum Catechumenorum necessario requiruntur. Idem Oleum exigitur, cum Baptismus administratur. Ad Episcopum pariter se conferre debent Praelati Regulares, qui ea facultate praediti sunt, ut Altaria, Patenas et Calices consecrare possint, et Campanis benedicere pro suis tantum Ecclesiis. Insuper Parochi Civitatis ac Dioecesis, Praesides Monasteriorum et Collegiorum Regularium, Confessarii Monialium qui Sacramentum Extremae Unctionis per se vel per alium administrare debent, Sanctum Oleum ab Epicopo Dioecesano petant necesse est: illisque penitus interdicitur ad alium Episcopum confugere, ut sacra olea percipiant. Gratianus Canones ejusmodi commemorat

De Consecratione Dist. 4. Id sancitur in *Capite Veniens de Praescriptionibus*; idemque monent Canonum Interpretes. Fuit sane mos antiquus, ut absentes Parochi non per homines laicos, aut per simplices Clericos, verum vel per Diaconos, aut Subdiaconos ab Episcopis suis Chrisma peterent ; uti constat ex Concilio Toletano, ex Concilio Carthaginensi IV, et ex Concilio Vasense canone III. Plura alia Concilia Martene memorat, et Cardinalis Ursius, qui multa erudite congessit in opere cui titulus : *Dissertatio Historica Theologica De Chrismate Confirmatorio* Cap, 6 in fine. Ut Chrisma, quod ipsi Parochi susceperunt, sub sigillo custodiatur, neque ulli donare praesumant pro aliqua necessitate, neque sub praetextu medicinae, non modo ex Libris Pontificalibus, verum etiam ex variis Synodis cautum est. Postremo cognitum satis est omnibus, quod tradit Clericatus *De Extrema Unctione* Decis. 105 num. 16: *Sexta tandem difficultas est, an possit administrari Sacramentum Extremae Unctionis Oleo benedicto veteri, idest annis praeteritis consecrato? Et respondent Doctores, valide posse, non autem licite; quia singulis annis vetus Oleum sacrum est comburendum, et novum consecrandum Feria quinta Coenae Domini.* Sed quis ignorat vetus Oleum comburendum, cum novum consecratum fuerit? *Vetus autem Chrisma* sic legitur in Pontificali Romano, *et Oleum Catechumenorum, ac Infirmorum, si quod remanserit in ampullis, ponitur in Lampadibus Ecclesiae ante Sacramentum, ut comburatur. Reliquum autem, quod est in Pyxidibus, sive Capsulis cum bombice, igni comburitur, et novum deinde cum novo bombice in Pyxidibus sive Capsulis imponitur.*

X. Quoad vero Missam, constat hac die olim fuisse consuetudinem ternas celebrandi, quarum prima erat pro Poenitentibus reconciliandis, secunda pro sacris Oleis benedicendis, tertia denique in memoriam instituti a Christo Domino Eucharistiae Sacramenti. Ternis autem illis caeremoniis in unum contractis sua quaeque unius Missae pars assignata est. Missa quae hodieque ipsa die celebratur, semper iam fuit ubique fere solemnis, etiam antequam Urbanus IV institueret Sanctissimi Sacramenti Festum, quod egregie in Opusculis suis

enarrat Angelicus Doctor. Teste eodem Doctore, usque ad praedicti Papae tempora, Feria haec quinta destinata erat ad praecipuum hujus Mysterii cultum, et appellabatur in *Coena Domini* et *Natalis Calicis*. Missa in Coena Domini tota in Eucharistiae institutione versatur. Ejus enim Introitu declarat Ecclesia, nulla re gloriari se magis, quam Domini nostri Cruce, cui vitam, salutem et resurrectionem suam refert acceptam. Oratio quae hodieque dicitur, *Deus a quo et Iudas* occurrit quidem in multis antiquis Ordinibus, tametsi in aliis desideretur. In Epistola narrat Divus Paulus se accepisse a Domino, Christum Iesum sacram celebrasse Coenam, et augustissimum Eucharistiae Sacramentum instituisse. Evangelio continetur historia ablutionis pedum. De disciplina, qua Hymno dicto *Gloria in excelsis*, Campanarum usus interdicitur, Bocquillot hujusmodi sonitum per eos dies omitti testatur, ejusque loco strepitum quemdam lignorum subrogari, ut primorum saeculorum apud posteros memoria conservetur, quibus fideles non ullo tintinnabulo, sed iisdem lignis obstrepentibus ad Divina Officia accersiri consueverunt: huic etiam sententiae congruere videtur Amalarius. In veteribus Ritualibus praescribitur, ut Campanae per hos dies sileant, quae cum Christi Praedicatores significent, ideo earum sonum intermittitur, quod Apostoli Iesum Christum in maximis cruciatibus Passionis arrepta fuga, deseruerunt. *Igitur ea hora*, inquit Rupertus Abbas Lib. V de *Divinis Officiis* Cap. 29, *qua Christus traditus est, recte signis Ecclesiae silentium indicimus, Christumque solum torcular calcantem, solum in ligno Crucis extenso corpore tympanizantem, testimonium veritati humili ac solitaria voce perhibentem, ligneo malleolo in tabula suspenso et personante populumque ad Ecclesiam invitante significamus.* Solitum pacis osculum hac die solet in Missa omitti, cujus rei rationem reddit vulgatus Alcuinus, ad vitandam scilicet salutationem pestiferam, qualem Iudas proditor exercuit, ut demonstretur quam injuriam passus est Christus a suo discipulo, et nos vitare erga fratres nostros debere. Superscribunt Alcuino Libri Pontificales et Missales pene omnes, qui propter fraudulentum Iudae o-

sculum pacem in Missa dari prohibent. Solum in crastinum diem Corpus Domini reservari, praecipiunt iam Codices omnes antiqui Missarum, Sanguine in Missa hujus diei penitus absumpto. In quibusdam Ecclesiis una cum sacra Eucharistia reconditam etiam fuisse constat in Sepulchro Crucem et sacrum Evangelii Codicem, uti patet ex variis Codicibus. Graeci etiam hac die reservant Eucharistiam non solum in sequentem diem, sed ad communicandos per totum anni curriculum infirmos.

XI. Ex veteri Ecclesiae disciplina universus populus, qui ad Missae Sacrificium convenerat, feria V majoris hebdomadae sacram Eucharistiam percipiebat. Id ex Sacramentario Sancti Gregorii colligitur, quod Hugo Menardus anno 1624 in lucem protulit, ubi haec leguntur: *Et communicat omnis populus ordine suo.* Neque solum pietate, sed praecepto fideles ducebantur, quemadmodum testimonio antiqui Canonis *In Coena Domini de Consecrat dist.* 2 aperte comprobatur. Mos tamen universim obtinuit, ut in Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis aliisque Regularium Ecclesiis Clerus universus illi Templo addictus, Eucharistiam sumat, dum res divina celebratur; Sacerdotes quidem collo pendentem, Diaconi vero a dextro ad sinistrum humerum stolam fluentem deferentes, quemadmodum Gavantus sacrorum rituum magister tradit. Ritus ejusmodi documentum nongentis abhinc annis ex Ordine Romano deprehenditur, ubi sic legitur: *Fractis autem oblatis, communicent Presbyteri primo, postea Diaconi, et ceteri omnes, et ita perficiatur.* Romani sane Pontifices omnem curam semper contulerunt, ut hunc ritum conservarent. ac reliquis omissis S. Carolus Borromeus in *Actis Ecclesiae Mediolanensis* Tom. I pag. 79 ita constituit: *Feria quinta in Coena Domini, singuli qui in Cathedrali, Collegiatave Ecclesia vel Dignitatem, vel Canonicatum obtinent, reliqui item singuli ejusdem Ecclesiae Clerici, Corpus Domini in solemni Missae sacro, quod illo die in Ecclesia fiet, sumant.* Caeremoniale quoque Episcoporum Lib. II Cap. 23 haec habet: *Deinde, antequam se purificet* (de Episcopo res est), *communicat primum Diaconum, et Subdiaconum, deinde omnes Canonicos paratos, et alios Sacerdotes de Ecclesia, qui stolam a*

collo pendentem supra cottam habere debent, denique omnes de Clero. Qui vero Episcopali honore fulgent, et ad Chorum suis insignibus ornati conveniunt, habita dignitatis ratione, in domesticis et privatis, vel in clausis Sacrarii Sacellis eo die rem divinam conficiunt. Si quis hujus instituti causam scire velit, statim ipsam explicabimus. Eadem feria V Sacrae Eucharistiae solemne festum celebratur, quam postrema Coena Christus Dominus instituit, quo tempore, juxta Concilii Tridentini sententiam, Sacerdotium quoque Apostolis instituit. Quare, sicut Divinus Salvator sibi primum, ac deinde Apostolis sacrosancta Mysteria tradidit, ita consentaneum fuit ut Sacerdos feria V majoris hebdomadae, suscepta divina Eucharistia, ipsam post universo Clero distribueret, qui Ecclesiae adscribitur, ubi Sacrum peragitur: *In vivam repraesentationem illius Sanctissimae Coenae quam Dominus noster Iesus Christus una cum suis Apostolis celebravit*, ut inquit Carthusiensium Ordinarium praeter plura Pontificalia.

XII. Altarium denudandorum ritus est antiquissimus, nam Liber Sacramentorum S. Gregorii Papae ita statuit: *A Feria V vespere nuda sint Altaria usque mane Sabbati*. Atque ex eo vetus Ordo Romanus de Officiis Divinis sanxit: *Cum autem Schola primam Antiphonam dicit: Calicem salutaris accipiam, statim duo Acolythi parati cum nigris casulis incipiant expoliare Altaria usque dum finitur Vespera, postea tollantur. A Vespera autem hujus diei, nuda sint Altaria usque in mane Sabbati*. Eumdem ritum commemorant omnium fere aetatum scriptores, Alcuinus, *Libro de Divinis Officiis, Tit. de Coena Domini*; Amalarius, *De Ecclesiasticis Officiis Cap. 12*; Rupertus Abbas, *Libro* V *de Divinis Officiis* Cap. 30; Belethus, *de Explicatione Divinorum Officiorum* Cap. 104; Honorius Augustodunensis, in *Gemma Animae* Lib. III Cap. 86; Guillielmus Durandus, in *Rationali Divinorum Officiorum* Cap. 104. Si quae in hoc ritu celebrando varietas irrepsit, temporis tantum ea fuit, sicut adnotavit Hugo Menardus in *Notis* ad *Librum Sacramentorum S. Gregorii* pag. 88 in haec verba: *Nudatio Altarium olim fiebat sexta feria, ut videre est in Regula Magistri manuscripta*

Cap. 43 in Concordia Regularum Cap. 56 § 4 *in qua feria sexta velamen, vel diversus Oratorii ornatus subtrahatur, simul et lucernae, et cicendeli totum intra Monasterium negetur aspectus.* Sed fuit diversa consuetudo; nam olim etiam in quibusdam locis nudabantur in Coena Domini, ut nunc, quemadmodum videre est in Ordine Romano de hac feria: *Statim duo Acolythi parati cum nigris casulis incipiant nudare Altaria*, ut nuper notavimus. Quod videtur etiam praescriptum Canone Octavo Concilii Toletani 16 ubi agens de Sancta Parasceve dicit: *Quando Altaria denudata persistunt;* nam το *persistunt* indicat eo die non fuisse denudata, sed pridie: juxta morem, qui etiam confirmatur ex Concilio Toletano 17 Canone secundo: *Ita ut nisi Coenae Domini celebritate, quando more solito, Altaria debent devestiri, eadem debent ostia reserari.* Expoliandi vero Altaria non una extitit consuetudo. Cassinenses enim sub Vesperarum initio haec nudabant, ut eorum Ordinarium nos docet. Cistercienses vero ante Vesperas, expleto pauperum Mandato. Anglicani Monachi mane post Capitulum, teste Dunstano in Concordia. Alii refectionis tempore hoc munus implebant, quod praesertim affirmant Consuetudines Germaniae S. Benigni, Lanfrancus *in Statutis*, et *Liber Usuum Beccensium.* Haec Altarium denudatio juxta Durandum Lib. VI Cap. 76 *Rationalis Divinorum Officiorum* significat primo recessum Discipulorum Domini, seu Apostolorum, unde: *Qui juxta me erant, de longe steterunt.* Secundo denudatio Altaris designat quod Christus fuit nudatus in Cruce. Tertio Altaris denudatio significat Iesum Christum divinitatis gloria nudatum. Lubet hac de re audire Amalarium *De Ecclesiasticis Officiis* Cap. 12 sic disserentem: *Restat adhuc unum in Romano Ordine, ubi praecipit, ut a V feria usque in Sabbato Sancto nuda sint Altaria; quod aliud non significat, ni fallor, nisi fugam Apostolorum, quam ipse Dominus testatur in Evangelio Ioannis. Nudatio Altaris,* inquit Belethus Explicatio Divinorum Officiorum Caput 104 *declarat, quod Christus in passione sua denudatus visus sit, et despoliatus illis signis, quibus ante in faciendis miraculis apparuerat gloriosus. Vel etiam Alta-*

ris nudatio repraesentat ipsam ac veram Christi nudationem, quando milites eum spoliaverunt . . . Altare igitur nudatur quoniam Christus a suis discipulis relinquitur. Omnium tamen disertissime hujusce ritus mysteria enumerat Rupertus Abbas, eaque duobus comprehendit capitibus.

XIII. Perantiquus et in utraque Ecclesia receptissimus mos fuit abluendi Altaria in die Coenae Domini. Meminere hujus ritus, tamquam pervetusti, totique olim Christiano orbi communis, graves et antiqui scriptores, scilicet Alcuinus, *de Divinis Officiis Capite de Coena Domini;* Amalarius, *Libro de Ecclesiasticis Officiis Cap. de Caena Domini;* Rabanus Maurus, *de Institutione Clericorum* Lib. II Cap. 36; Rupertus Abbas, *de Divinis Officiis* Lib. V Cap. 31; Guillielmus Durandus, in *Rationali divinorum Officiorum* Lib. VI Cap. 37. Non tantum antiquitus ubique lavabantur Altaria feria V in Coena Domini, ut statutum fuerat in Ordine Romano, sed alicubi agebatur hic ritus sequenti feria VI in parasceve , qua die ponitur ab Hugone de S. Victore in *speculo de Mysteriis Ecclesiae.* Quem morem innuit etiam Magister Regulae apud Menardum in notis *ad Librum Sacramentorum* S. Gregorii pag. 88. Veteres quoque Monachi Altaria lavandi consuetudinem antiquitus usurparunt, eaque , vel in die Coenae Domini , vel sequenti feria sexta in Parasceve, pro diverso Monasteriorum usu, lavare solebant. Nostra tamen aetate, cum plurimis aliis antiquis institutis hic etiam ritus in eorum monasteriis penitus obsolevit. In Coena Domini Altaria olim abluere consueverant Anglicani Monachi sub Dunstano. Alii eadem die, sed majoris Missae tempore . facta Corporis Dominici elevatione Altaria lavabant. *Post elevationem Corporis Christi,* inquit Ordinarium S. Petri supra Divam , *abluant Sacerdotes bini et bini Altaria per circuitum, dicentes: Circumdederunt me viri* etc. Compedienses, qui Vesperas in ipsa Missa feriae V in Coena Domini recitabant, ea finita, statim expoliabant ac abluebant Altaria. Alibi, et praecipue per Germaniam, agebatur hic ritus eadem die tempore refectionis , vel, si Monachi essent nimium impediti, differebatur in crastinum. Praecipuum tamen mysterium, quod in ea piis

fidelium mentibus recolendum proponitur, est memoria Dominicae Passionis, quemadmodum advertit Bellotte *in observationibus ad ritus Ecclesiae Laudunensis* pag. 809 n. 1. Id etiam perspicue designant sacrae preces, ac potissimum Psalmus XXI recitari solitus in Basilica Vaticana, dum Altare lavatur. Vini et aquae mysterium, quibus praecipue Altarium ablutio perficitur, Ita exponit Durandus in *Rationali Divinorum Officiorum* Lib. VI Cap. 76: *In plerisque locis lavantur Altaria vino, et aqua, et ramis fricantur. Lavantur ergo Altaria aqua, et vino ad notandum, quod Corpus Christi, quod est verum Altare, sanguine, et aqua in Cruce aspersum est, nam de ipsius latere exivit sanguis, et aqua, per quae genus humanum lotum est.* Rupertus vero de *divinis Officiis* Lib. V Cap. 31 sic interpretatur: *Idcirco Altaria lavari institutum est, quia Dominus Noster, quem Altare significat, de latere lancea militis perforato sanguinem, et aquam effudit. Ideo lavantur vino, et aqua. Vinum pro sanguine in Sacramento quoque Sacrificii, ipso Domino authore, adscitum est. Sanguinem, inquam, et aquam effudit de latere suo summus nostrae opifex salutis, quae prima sunt ejusdem elementa salutis: sanguine redimimur, aqua abluimur.* Hanc eandem interpretationem sequutus est Ioannes Beléth *in Rationali Divinorum Officiorum* Cap. 104: *Vini aqua commixti diffusio,* quae fit per mensam Altaris. *Significat communicationem virtutis Dominicae Passionis, et sanctificationem Ecclesiae quae unctione Sanguinis Christi dedicata fuit. Aspergilla vero cum ramentis in modum coronae, seu diadematis in vertice conglobatis, quibus utimur ad abluendum Altare, exprimunt coronam e spinis consertam, infixamque capiti Dominco. Speciem quoque flagrorum exhibent, et significare possunt immania flagella, quibus vindex, et assertor noster pro nobis saevissime discerptus est.* Utramque significationem proponit Durandus *in Rationali Divinorum Officiorum* Lib. VI Cap. 76. Spongiae, quae in Basilica Vaticana, multisque aliis Latini Ritus Ecclesiis, atque etiam apud Graecos in Altaris abstersione adhiberi solent significare videntur spongiam illam, quam calamo, vel arundini circum positam, aceto

plenam, Iesu Christi sitientis ori admovit unus ex adstantibus.

XIV. Redemptor noster Dominus Iesus antequam supplicium Crucis ultro adiret, in ultima Coena Apostolorum pedes aqua perpurgans, prima sacri istius lavacri fundamenta jecit, suo exemplo instructurus Ecclesiam, ut in paria humilitatis et charitatis officia sedulo incumberet; *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* Istud lavacri genus, quod hac die proponit Ecclesia, Iesum Christum agnovit auctorem, cujus exemplo instruimur mutua haec pietatis opera nos erga fratres nostros exequi oportere; sicut praeclare adnotavit Arnoldus Carnotensis Abbas Bonaevallis in Libro de *unctione Chrismatis* inter opera S. Cypriani: *Hodie*, inquit, *Christus pedes lavit Apostolis, et hoc solemni devotione omni tempore instituit.* Ritus sane omnium commendatione dignus quem summis laudibus extollunt Sancti Patres, Augustinus, *Tract.* 55 et 56 super *Ioannem; Ambrosius, Libro de Initiandis* Cap. 6; Bernardus, *in Sermone de Coena Domini;* Arnoldus, *Sermone de ablutione pedum;* Eligius Noviomensis Episcopus, *Sermone* 8; et fere omnes alii Patres. Hunc morem Zacharias Pontifex *Epistola ad Bonifacium* vocat *Catholicae traditionis regulam.* Caeremonia ista *Mandatum* appellatur, quia prima Antiphona, quae in ea cantatur, incipit per *Mandatum.* De certo abluendorum numero, nulla apud veteres occurrit mentio. Iuxta varias locorum consuetudines varia extitit Ecclesiae disciplina. In ipsa quoque Romana Ecclesia certus abluendorum numerus antiquis temporibus nequaquam elucebat. Saltem nullibi penes veteres Codices Romanos expressus est. In Hispaniis pariter nullus olim praescriptus erat numerus: neque enim istius meminerunt Concilium Toletanum XVII et Isidorus Hispalensis, sed generatim tantum in Coena Domini expiandos esse ab Episcopis et Sacerdotibus fidelium pedes decernunt. Ceterum si ad posteriores descendamus aetates, eae interdum Romae a Summis Pontificibus duodenarium numerum fuisse servatum non obscure demonstrant. Eumdem numerum duodenarium praescribunt Consuetudines S.Germani Parisiensis, S.Dio-

nysii Floriacensis Monasterii, et Ordinarium Cosentinum. Quod si Orientem lustrare velimus, statim nobis duodenarius hic numerus obvius erit. Constantinopoli si quidem hac feria quinta Imperator duodecim pauperibus solebat abluere pedes. Ritum describit Codinus in Libro: *De Officiis Aulae Constantinopolitanae*. Ecclesia Romana ab elapsis etiam temporibus tredecim pauperum pedes lavat, sed quos repraesentet numerus tertiusdecimus abluendorum non ita est facile explicatu. Gavantus, Piscara, Bissus, aliique tredecim enumerant, sed illorum nemo istius numeri causam aperit. Bauldry asserit ad minus ad tredecim esse oportere. Frescobaldi in Opusculo edito anno 1709 sub hoc titulo: *Pedilavium, sive de numero pauperum, quibus lavandi sunt pedes Feria* V *majoris hebdomadae;* putat Ecclesiam ideo tredecim pauperum lavare pedes, quia Salvator tredecim pedes lavit; si autem quaeras quis fuerit ille tertiusdecimus, cui Christus pedes laverit, respondebit fuisse illum patremfamilias, in cujus domum Redemptor Pascha cum Apostolis celebraturus diverterat, quem propterea in tertio decimo pauperum repraesentat Ecclesia. Opinionem hanc merito tanquam Evangelio contrariam Orlendus impugnat; certum enim est ex Evangelio, Iesum Christum cum duodecim tantum Apostolis sacram Coenam celebrasse. Putant alii in tertiodecimo pauperum repraesentari Divum Paulum; et hanc sententiam tenet Paulus Aresius eruditissimus Episcopus Dertonensis Lib. V ex iis, quos italice inscripsit: *Delle sagre imprese: impresa 136 num.* 30 pag. 341 non quod Divus Paulus Coenae assideret, quem certum est post Salvatoris ascensum fuisse vocatum, sed ob peculiarem reverentiam Romanae Ecclesiae prae caeteris erga concivem suum et Apostolum, quem una cum Petro susceptae Christianae Fidei cognoscit auctorem. Fuere alii, qui tertiodecimo illo repraesentari putarunt Divum Matthiam, qui in Iudae locum postea suffectus est. Quos numerus ille exprimat, quem Romana praescribit Ecclesia in tredecim pauperibus aqua lavandis; incertum esse existimat P. Orlendi in opere cui titulus: *Duplex lavacrum in Coena Domini.* De ablutione pedum satis prolixe loquitur Bailletus de Feria quinta

Majoris Hebdomadae § 3 num. 8 multaque affert scitu digna, et ostendit magno apparatu in Monachorum Coenobiis ejusmodi ablutionem fieri consuevisse: domi enim Monachis, egenis vero mendicisque extra Monasterium Abbas abluebat. Regulares Abbates multas per eam occasionem eleemosynas dilargiebantur..

XV. Creditur Marcion haereticus fuisse primus, qui negarit Iesum Christum celebrasse ultimum Pascha. Ejus sententia a Sanctis Patribus confutata venit in oblivionem. Sub initium saeculi VII eam ab oblivione vindicavit Philoponus haereticus. Non una est de ultimo Paschate a Christo celebrato sententia. Prima eorum, qui docent, Christum Dominum agni Paschalis coenam cum discipulis suis celebrasse, et Sacramentum Eucharistiae instituisse Luna XIV Martii, die Iovis ad secundam vesperam, pridie quam mortem pro nobis subiret. Secunda est Graecorum, qui, ut Iesu Christi exemplo confirment ritum suum conficiendi Eucharistiam ex pane fermentato, contendunt, Christum mortis suae praescium celebrasse Pascha, ideoque etiam Sacramentum Eucharistiae instituisse pridie ejus diei qui Paschae celebrando lege praestitutus erat, quando videlicet pane fermentato vesci Iudaeis licebat. Tertia est eorum qui fatentur, quidem a Christo Pascha celebratum die a lege statuto, sed volunt, eo anno Pascha a Iudaeis translatum fuisse in diem Sabbati sequentem. Quarta demum est eorum, qui dicunt, Christum omissa coena Iudaica, duntaxat Eucharisticam Coenam Corporis sui consecratione ac distributione peregisse. Opinio haec saeculo IX invecta est, referente Photio in *Bibliotheca*. Iamdiu sopitam sub initium saeculi XVII edito libello excitavit Hieronymus Vecchiettus. Nihilominus eamdem sententiam postea ausus est propugnare Bernardus Lamy in sua *Concordia Evangelica*, et in Tractatu Historico *de veteri Iudaeorum Paschate* gallice conscripto. Hujus argumenta confutarunt viri duo eruditissimi P. Graveson, *de Mysteriis et annis Christi Dissert*. 19; et P. Honoratus a S. Maria, T. II *Animadversionum in Regulas, et usum Critices* Lib. IV, Dissertatio III. Ex his sententiis prima amplectenda est, quae antiquissima est, et omnium Sanctorum Patrum consensu, atque adeo

Ecclesiae ipsius auctoritate comprobatur. Primus Origenes fidem suam proferat, qui Tract. 35 in Matthaeum testatus est, Apostolos in pervigilio mortis Christi manducasse *Pascha secundum Legis mandatum*. Accedat alter testis Divus Chrysostomus, cujus vestigiis institisse omnem Graecam Ecclesiam affirmat Photius in Bibliotheca Cod. 116 pag. 294. Chrysostomus autem *Homilia* 85 in *Matthaeum* dicit : *Christum tempus Paschae transgressum non esse; ideoque legitimum Pascha manducasse* : et Homilia 82 in Ioannem scribit : *tunc celebrasse Pascha, quando antiquitus celebratum erat*. Graecis Patribus omni ex parte consentiunt Latini. Nam S. Hieronymus *Commentariis in Matthaeum* Cap. 26 *Postquam*, inquit, *typicum Pascha fuerat impletum, et agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem, qui confortat cor hominis, et ad verum Pascha transgreditur Sacramentum*. Qui vero aliorum Sanctorum Patrum loca in rem hanc velit inspicere, quae ad solidam Traditionem stabiliendam pertinent, adeat Baronium, ad annum Christi 34 num. 41; Witasse, *de Sacramento Eucharistiae Part. I quaest. I art. 3* Sect. 4; Herminier, *de Sacramentis T. II de Eucharistia* Cap. 16. Praeterea Salvator inter Coenam Apostolis dixit: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*, ut testatur Lucas; quae quidem verba, etsi ad Sacrae Eucharistiae institutionem referri possint, ad Coenam tamen, quae parata erat, maxime pertinent ex vi illius particulae *hoc*, ideoque ad Coenam legalem. Nec Hebraeorum perfidia in Christum Dominum siluisset, si praecepto celebrandi Paschatis non satisfecisset; utique non praetermisissent criminis loco objicere. Denique Sancta Tridentina Synodus rem extra omnem dubitationem ponit Sess. 22 Cap. I *De Institutione Sacrosancti Missae Sacrificii* . . . . Nam pronunciavit, Christum, *celebrato veteri Paschate, quod in memoriam exitus de Aegypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituisse Pascha, se ipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem*. De postremo Christi Paschate longa et copiosa est Dissertatio P. Michaelis Lequien Ord. Praed. quae est sexta ex Dissertationibus

Damascenicis: item illa, quam Augustinus Calmet praeponit Evangelio Divi Matthaei.

XVI. Postquam Iesus Christus legitimam Coenam fecit, et pedes Discipulorum lavit, eodem Iovis die, primo Azymorum, quarto et vigesimo Martii, eadem in domo, atque eadem forte in mensa *cum recubuisset iterum*, pane et calice accepto ac benedicto, Corpus suum et Sanguinem Discipulis distribuit, ac mandavit, ut ipsi quoque id facerent in sui commemorationem. Quo Sacrificio et Sacramento instituto, *divitias divini sui erga homines amoris velut effudit*, atque re ipsa eos *in finem dilexit*. Etenim hoc bono nullum optabilius, nullum praestantius neque datum est mortalium generi praepotentis Dei concessu atque munere, neque dabitur. Plures in institutione Eucharistiae considerantur Christi Domini actiones. Primo enim Iesus accepit panem, deinde Deo Patri suo gratias egit; tum eumdem panem fregit et distribuit Discipulis dicens: *Accipite, et manducate*: *Hoc est Corpus meum*. Et accepto Calice, gratias itidem egit Deo Patri suo, et Apostolis praebuit; ut ex eo biberent, dicens: *Bibite ex hoc omnes: hic est enim Sanguis meus novi Testamenti* etc. Salvator eadem verborum forma usus est ad conficiendam Eucharistiam, qua nos utimur. Et re quidem vera Tertullianus Lib. IV adversus Marcionem Cap. 40: *Acceptum panem*, inquit, *distributum discipulis Corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo*. Eodem modo Ambrosius de Mysteriis Cap. 9 § 54: *Ipse clamat Dominus Iesus: Hoc est Corpus meum*. S. Ioannes Chrysostomus extrema Homilia II in *Epistolam ad Timotheum* scribit hoc modo: *Quomodo dum verba, quae locutus est Christus, eadem sunt, quae Sacerdos nunc quoque pronuntiant: ita et oblatio eadem est*. Est porro simile illud Eusebii Emisseni *Homilia in Ramis Palmarum: Dixit tunc per se, dicit et modo per suos Ministros: Hoc est Corpus meum*. Vide Divum Thomam, 3 *Part. quaest. 78 art.* 1; et *in IV Sent. dist. 8 quaest. 12 art.* 1; Catechismum Romanum de Sacramento Eucharistiae sect. 19; et Honoratum Tournely, *de Sacramento Eucharistiae* quaest. 4 art. 8 Conclusione 2. Christum Iesum in ultima Coena Corpus suum et Sanguinem

sumpsisse, fuse probat S. Thomas 3 part. quaest. 81 art. 1 ubi affert auctoritatem Divi Hieronymi *Epistola 150 ad Hedibiam* qu. 2 *Dominus Iesus Christus ipse comedens, et qui comeditur:* atque illud observat, quod quemadmodum antequam ferret Baptismatis legem, ipse voluit baptizari, ita cum Corporis et Sanguinis sui instituerct Sacramentum, non prius Apostolis suis distribuit, quam ipse sibi sumeret. Sanctus Thomas quaest. 84 art. 7 ad 4 *Sacramentum*, ait, *Eucharistiae et ipse sumpsit, et aliis dedit, tum ad commendandam excellentiam hujus Sacramenti, tum quia hoc Sacramentum est memoriale passionis, in qua Christus est Sacerdos et Hostia.* Quod declarat etiam Auctor Glossae in Caput 87 *dist. 2 de Consecratione* his versibus:

Rex sedet in coena turba cinctus duodena,
Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

S. Bonaventura Breviloquii part. 6 Cap. 4 pag. 41 *Christus* inquit, *quaedam Sacramenta instituit initiando et consummando, et in semetipso suscipiendo, ut Sacramentum Baptismi, Eucharistiae, et Ordinis. Haec enim tria et plene instituit.* Vasquez Iesum Christum in ultima Coena sumpsisse Eucharistiam, testatur communem esse sententiam. Idem confirmant Orientales Theologi, quorum testimonia refert Renaudotius T. I *Collectionis Liturgiarum Orientalium* pag. 237.

CAPUT VIII.

DE FERIA SEXTA IN PARASCEVE.

Dies ista appellatur *Parasceve*, hoc est praeparatio, relatione habita ad Dominicam Paschatis. Paschatis nomine hanc diem appellat Tertullianus, quod in ea Iesus Christus Pascha nostrum et Agnus immolatus fuerit, mortemque Christi in Iudaeorum Paschate figuratum respiciens affirmat. Celeberrimam in Ecclesia diem hanc reddidit Christi Domini Passio, quam ab ipsis Fidei incunabulis singulari quadam veneratione quotannis recolere solitos fuisse Christianos haudquaquam dubium est, cum disertis id verbis adstruat Eusebius in Lib. II

Historiae Ecclesiasticae Cap. 17. Vigilias hujus diei nocturnas habebat Ecclesia cum eadem solemnitate iisdemque ritibus atque Coena Domini. Ad Primam nudis omnes pedibus conveniebant, ex communi et universali Monasteriorum Benedictinorum usu, quod absolute praescribunt Dunstanus in *Concordia*, Udalricus Lib. I Cap. 13 Consuetudines Germaniae, Floriacenses, Divionenses, Dionysianae et Lyrenses. Primam autem cantabant *sub silentio* in omnibus omnino Monasteriis. Primam sequebantur Psalmi Poenitentiales, sub silentio etiam dicendi. Postea exeuntes in Claustro totum ex integro Psalterium, Abbate incipiente, decurrebant, *quod cum incipitur, omnes accipiant veniam super genua*, inquiunt Consuetudines Compedienses, quibus suffragantur Dionysianae. Istud Psalterium aliquibus in locis pro Defunctis maxime dicebatur, ut colligimus ex Corbeiensis Monasterii Rituali. Appropinquante hora tertia, ad tabulae signum Dormitorium ascendebant, lotisque manibus, in Ecclesiam conveniebant; ubi praemissis solitis Orationibus, Tertiam uti et reliquas diei Horas sub silentio dicebant Cluniacenses et Corbeienses. Post Tertiam conveniebant in Capitulum, ubi primo Martyrologium legebant. Hac in Lectione Lector primum pronunciabat: *Sabbato Dominus noster quievit in Sepulchro,* quod dum cantaret, omnes se in terram projiciant, inquiunt Cassinenses in Ordinario. Sexta autem et reliquae Horae diurnae sub silentio dicebantur *et post hanc horam*, ait S. Petri supra Divam Ordinarium, *accipiant communiter disciplinas.* In Sacramentario S. Gregorii Officium valde simile est illi, quod praescribitur in Missali Romano. In antiquis Pontificalibus legimus, nullo alio ornamento Episcopos hodierna die, quam simplici holoscrica Mitra, fuisse insignitos; cum casula rubea celebrare solitos. Mos fuit Romanae Ecclesiae et aliarum etiam complurium, ut Feria Sexta in Parasceve solemnis Processio instrueretur variis caeremoniis adornata. Fiebat nudis pedibus, virique pariter ac mulieres varias Ecclesias visitabant, ut testatur Auctor vitae S. Constabilis Abbatis Cavensis apud Bollandum ad diem XVIII Februarii. Summus Pontifex cum Clero nudis pedibus procedebat ad Ecclesiam San-

ctae Crucis. dicendo septem Psalmos Poenitentiales. Praeclarissimi vero sunt ritus, quos in memorata Processione servatos recenset Romanus Ordo XII, auctore Cencio, Cap. XIII.

II. Omnes Divinorum Officiorum Scriptores eosdem designant ritus, qui hodie sunt in usu. Cum itaque Parasceves dies sit luctus atque tristitiae, recte admodum ex Caeremoniali Episcoporum cautum est, ut Altare, Sedes Episcopi, Sedilia Canonicorum, ac tota Tribuna sint penitus denudata, ad indicandum scilicet luctum ex morte Redemptoris nostri Iesu Christi, qui in Cruce denudatus fuit. Est quidem antiquus Romanae Ecclesiae ritus, nigro colore uti Feria Sexta in Parasceve, in signum scilicet luctus ex morte Domini. At vero licet ex multis Ordinariis constet usus nigri coloris in Parasceve adhibiti, non desunt tamen Ordinaria complurium Ecclesiarum, ex quorum praescripto vestimenta Sacrorum Ministrorum rubri erant coloris. Oratio ac prostratio ante Altare, in multis antiquis Ritualibus atque Ordinariis occurrit. Tempore Missae super Altare extenditur mappa, quae significat syndonem monumenti, ex Durando, ubi varios antiquos ritus, qui servari solent, pie ac mystice enarrat. Incipit hoc Officium Feria VI in Parasceve a Lectionibus, et leguntur sine titulo, quoniam tunc amisimus Iesum Christum, caput, qui nos illuminat, sicut tituli illuminant Libros. Duae Lectiones, sive Prophetiae leguntur. ad denotandum, juxta Belethum in sua *Divinorum Officiorum Explicatione*, Cap. XLVIII, Iesum Christum passum fuisse pro duobus potissimum populis, Hebraeo scilicet et Gentili. Una autem ipsarum ex Lege sumpta est, videlicet ex Exodo, et altera ex Osaea Propheta, quia Iesu Christi passio a lege fuit praefigurata, et a Prophetis praedicta. Duo Tractus hodie dicuntur ad ostensionem majoris luctus. Passio secundum Ioannem legitur, uti observat Durandus, non solum quia in ordine ultimus scripsit; sed etiam, quia, cum Iesu Christi passio hodie oculis nostris repraesentetur, congruum est Ioannis testimonium quia ipse vidit, crucifixioni interfuit, et fugientibus aliis, ipse juxta Crucem stetit. Teste laudato Durando Lib. VI *sui Rationalis*, Cap. LXXVI legeba-

tur hac die Passio non modo super nudum pulpitum, sed etiam nudis pedibus; et in quibusdam Ecclesiis sindon, seu tersoria, vel vestes Altari nudato superponebantur usque dum Passio legeretur, cum vero Cantor ad eum locum pervenerat, ***Diviserunt sibi vestimenta mea***, tunc Subdiaconi sindonem illam tollebant, repraesentantes historiam, quia quatuor milites Christum crucifigentes vestem Christi sustulerunt. In Ecclesia Mediolanensi ad verba quae Iesu Christi mortem annunciant, Altaria denudantur ac luminaria omnia extinguuntur: cujus ritus meminisse videtur Rabanus in Libro III ***de Institutione Clericorum*** Cap. 37. In pluribus Ecclesiis legebatur Passio ad Lectiones tertii Nocturni; in aliis, ut in antiquo Galliae Sacramentario, ad singulas Officii horas legebatur. Proxime post recitatam Christi Domini passionem, Sermonem de eadem haberi, antiquissima est Ecclesiae consuetudo, quae Patrum complurium auctoritate confirmari posset, praesertim vero S. Leonis Magni, a quo, ut in eius Operibus videre est, decém et novem de Passione Domini Sermones concinnati sunt, et ad populum habiti.

III. Observat Cl. Mazzinellus Iesum Christum omnium Salvatorem, pro omnibus mortuum, omnium Mediatorem inter Deum et homines, pro omnibus se Deo Patri obtulisse, pro omnibus orasse, ab ejusmodi Sacrificio suo, et ab orationis suae beneficio nullis exclusis: propterea Ecclesiam sensus Iesu Christi sequutam in Sacrificiis orare pro omnibus omnium generum, precesque suas meritis Iesu Christi semper suffulcire, et in hac potissimum die Orationibus uti pro quocumque hominum genere, etiam pro Iudaeis. Singulis diebus, Dominicis exceptis; Orationes solemnes seu Sacerdotales quotidie antehac dicebantur: quarum meminit S. Augustinus, ***in Epistola ad Vitalem***; Caelestinus Papa, ***in Epistola ad Episcopos Galliarum***; S. Prosper, S. Leo, aliique affirmantes, hujusmodi Orationes aevo suo ubique terrarum dici consuevisse, tamquam Apostolica institutione praescriptas; a septimo tantum saeculo Liturgiae abbreviandae causa, Feriae quartae majoris hebdomadae, et Feriae sextae Parasceves addictae sunt, et postea Feriae sextae tantum assignatae. Ora-

tiones istae ex vulgato Alcuino *ante Altare, sive ut in alio ordine legitur, infra thronum* cantabantur. In Ecclesia Mediolanensi Orationes solemnes post Vesperas decantantur, et quidem singulae a singulis Sacerdotibus. In quibusdam Ecclesiis Sacerdos alba et stola tantum amictus Orationes pronuntiabat. Ita ex Missali Rotomagensi. Et si pro perfidis Iudaeis, qui genua flectendo Iesum Christum illuserunt, prostratio ad terram omitti soleat, eamque inihibeant omnes fere ad unum Libri Rituales. Dicitur frequentius, *Flectamus genua*, ut devotio, et mentis humilitas ostendatur, et praecipue in hac die, in qua Iesus Christus humiliavit semetipsum usque ad mortem.

IV. Crucis denudatio et adoratio eodem pene ritu ac modo olim ubique observabatur. Circa Crucis adorationem hic advertere licet. Primo antiquum morem eam adorandi nudis pedibus, id quod ipsi etiam Reges Regumque filii observabant. Secundo toto ad terram prostrato corpore Crucem adorabant. Audi vulgatum Alcuinum: *Quando hanc Crucem adoramus, omne Corpus nostrum haereat terrae, veneramur Crucem, per quam redempti sumus, et illum deprecamur, qui redemit.* Tertio prostrati antequam Crucem deoscularentur, devotissimas ad Deum preces aliquas dirigebant qualis est ista, quam profert antiquum Missale Pictaviense mss. a Sacerdote sub silentio dicendam: *Domine Iesu Christe, qui pro nobis Crucis et mortis patibulum subiisti, ut mortis a nobis expelleres potestatem, et sanguinis tui nos pretio liberares, mihi Domine humillimo famulo tuo et veniam omnium peccatorum meorum concede, meque coram adoranda Cruce tua prostratum ab omnibus malis eripe, bonisque tuis misericorditer respice.* Quarto Hierosolymis olim Crux ipsa in quo pro nobis Salvator expiravit, omnibus hac dumtaxat die adoranda praebebatur. Meminit hujus consuetudinis S. Paulinus in Epistola 31 ad Severum. Nonnulli existimant, ab ea Hierosolymitanae Ecclesiae consuetudine communem hanc derivatam esse disciplinam publicae venerationi Crucem exponendi; quam opinionem eruunt ex verbis illis Amalarii: *Fuerunt quidam, qui volebant dicere se velle eamdem Crucem adorare, in qua Dominus*

Crucifixus est. Utinam in omnibus Ecclesiis haberetur. Quamvis omnis Ecclesia eam non possit habere tamen non deest eis virtus Sanctae Crucis in suis Crucibus, quae ad similitudinem S. Crucis factae sunt: ut est in Libro IV Cap. 14 *de Ecclesiasticis Officiis*. Quinto ante Crucis adorationem concionem praemittit vetus Missale Ecclesiae Arelatensis. In tres vices discooperitur Crux, observat Durandus Lib. VI Cap. 77 num. 16 et 17 ad denotandum, quod ter in passione fuit Christus illusus a Iudaeis. Primo in Praetorio, quando velata ipsius facie, illudebant ei; ad quod significandum, in principio denudationis Crucis, non ostenditur facies Crucifixi. Secundo quando milites coronam de spinis imposuerunt capiti ejus, et illudentes conspuebant faciem ejus; et posuerunt arundinem in dextra ejus, ad quod repraesentandum, secunda vice discooperitur dextrum brachium, et caput Crucifixi. Tertio quando Christo, in Cruce posito, omnes transeuntes illudebant ei, et ideo tertia vice tota revelatur Crux. Denudatis pedibus pergimus ad Crucis adorationem, ut omnes proprias affectiones Crucifixo nudas, ac notas esse, monstremus. Salutatur, et adoratur ter, cum genuflexione, et tertia vice prosternimur, ut eam osculemur, ut nimirum Iesum Christum Crucifixum omni humilitate veneremur, et easdem tres illusiones compensemus, Durandus ibidem. Ordo adorationis est, ut quilibet laicus, etiam Princeps, post Clerum adoret, Praelati vero, si qui adsunt, post Celebrantem. Convenit etiam, ut non solum Celebrans, sed etiam omnes alii, praesertim de Clero, aliquam pecuniae oblationem hodie faciant Cruci ante ipsam deosculationem, ut colligi potest ex Caeremoniali Episcoporum et Nicolao de Bralion et aliis. Consuetudo autem ut praedictae oblationes dentur Magistris Caeremoniarum servanda est juxta Decretum editum a S.R.C. die 29 Novembris 1603 in Beneventana. Denudata Crux in altum tollitur, ad denotandum Iesu Christi triumphum, in Cruce reportatum.

V. Improperia *Popule meus etc*. extant in Concordia S. Dunstani, et in Statutis Lanfranci: in Ordine Romano Cajetani *Popule meus* cantatur a duobus Presbyteris alba indutis prope Crucem. Circa Trisagium

Sanctus Deus, *Sanctus fortis*, *Sanctus immortalis miserere nobis* quod cantatur dum Crux adoratur, et quidem Graece, et Latine, ejus originem ita describit vetus Graecorum Menologium: Die XXIV Septembris, imperante Theodosio, terraemotus factus est magnus, quo factum est, ut totus populus una cum Patriarcha et Imperatore exierit extra urbem in locum qui dicitur campus, propterea quod sine cessatione aliqua erat illa terrarum commotio. Cum igitur Proclus Patriarcha Imperator ipse, et totus populus Litaniis et supplicationibus divinam opem implorarent, repente puerulus quidam de media turba in aerem raptus est. Omnibus autem prae timore clamantibus *Kyrie eleison* descendit puer, et voce magna populum compellans, perit, ut Trisagium in hunc modum decantaret: *Sanctus Deus*, *Sanctus fortis*, *Sanctus immortalis miserere nobis*. Quae cum dixisset animam reddidit, et terrae motus quievit. Ea vero hac die praesertim utitur Occidentalis Ecclesia, latine, ut propriam suam linguam adhibeat; graece vero etiam, ut alludat illi divinae voci, quam puerum illum diximus Constantinopoli edidisse. Hunc eumdem hymnum nobili scriptione pluribus explicavit S. Ioannes Damascenus in peculiari Libro: de *Trisagio*, in quo eamdem historiam memorat, repetiitque Libro III de *Fide Orthodoxa*, Cap. X, ubi etiam prodit, in VI Synodo Oecumenica decantatum fuisse, in fine scilicet primae actionis, quando Dioscorus damnatus est. Hymnus ipse, precatio est saepius in Officio Graecorum iterata, habeturque in Liturgiis S. Basilii, et Sancti Ioannis Chrysostomi. Petrus Fullo, ut inveheret Theopaschitarum haeresim, qui naturam divinam passam in Cruce falso affirmabant, ea verba Trisagio addidit: *Qui Crucifixus es pro nobis miserere nobis;* quod a Catholicorum coetu reprobatum fuit. Hancque additionem sub finem Saeculi VII adhuc usurparent Graecorum Ecclesiae nonnullae, eam sub anathematis interminatione deinceps decantari vetuit Concilium Quini Sextum Can. 81. Et tamen Saeculo adhuc XI eam usurpabant Armeni, quos propterea Sanctus Gregorius VII Lib. VIII Epistola I ad Synnadensem Archiepiscopum ita adhortatur: *Clausulam quam in illa*

laude Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, istam videlicet: Qui crucifixus est pro nobis; *quoniam nulla Orientalium, praeter vestram, sed nec Sancta Romana Ecclesia habet, vos totius scandali occasionem pravisque intellectus suspicionem vitantes, superaddere de cetero omittatis.*

VI. Post factam Crucis adorationem afferebatur ad Altare Corpus Christi ex praecedentis diei Sacrario reservatum. Longum plane esset varios Ecclesiarum ritus describere in ea processione, in qua Corpus Domini a Sepulchro defertur ad Altare. Ex Missali Tolosano, ubi solemni cum processione Corpus Christi, ad Altare deferebatur, Cantores hanc canebant Antiphonam: *Hoc Corpus Christi, quod pro vobis tradetur.* Hodie cantetur *Vexilla Regis prodeunt.* Auctorem ipsius hymni esse Venantium Fortunatum, post Baronium notat Gavantus in *Rubricas Missalis Parte* IV Tit. IV num. XIII. Antiqui vero nihil canebant, sed summo cum silentio haec omnia peragebant. Celebrans ipse Sacramentum a Sepulchro affert ad Altare, sed antiquitus, id fiebat a duobus Presbyteris, ut videre est apud S. Gregorium in Sacramentario, in Ordine Romano I, in Officio hujus diei, et Amalarium Lib. I *de Ecclesiasticis Officiis* Cap. 15. In utraque tamen Ecclesia hac die peragitur Missa Praesantificatorum Amalarius, et Alcuinus, hujus rei rationem afferunt: *Quia in die Dominus se ipsum obtulit, et ipsa oblatio sufficit ad salutem credentium.* In ejusmodi autem Missa nulla fit consecratio, sed Corpus Christi ante consecratum adhibetur, et sumitur. De ea scripsit Leo Allatius eruditissimam, et omnibus numeris absolutam Dissertationem ad Bartoldum Nihusium editam in fine operis de *Ecclesiae Occidentalis atque Orientalis perpetua consensione*, in qua lector quicquid ad eam pertinet reperiet. Basilio et Chrysostomo antiquior est, ejusque origo ad Synodum saltem Laodicenam referri debet, quam Baronius anno 314 Nicaenam ante cessisse ostendit. Sancitum in ea fuit Canone 49: *Non oportere in Quadragesima panem offerre, nisi Sabbato et Dominicis tantum.* Quibus diebus fiat, ostendit Can. 52 Concilii Trullani, *In omnibus* inquit, *sanctae Quadragesimae jejunii diebus, praeterquam Sabbato et Dominica,*

et Sancto Annuntiationis die, fiat sacrum Praesantificatorum ministerium. Hunc morem adhuc servat Orientalis Ecclesia, Occidentalis autem eo nunquam utitur, aut usa est, nisi feria sexta majoris hebdomadae. Ritus ejus apud Graecos hic est. Die Dominica praeter illius diei oblationem quinque alios panes consecrant pro totidem sequentibus feriis usque ad Sabbatum. Tum singulis diebus sub vesperam conveniunt in Ecclesia, et in ipso Vespertinarum precum Officio Sacramentum antea consecratum proponunt et sumunt, praemissis Psalmis Gradualibus, et recitatis quibusdam Canticis, Lectionibus, et Orationibus, quae legi possunt in Euchologio cum notis Goar pag. 187, et sequentibus. Et quia panem antea consecratum, et sanctificatum sumunt, vocant hoc Officium *Praesantificatorum*, sive ante consecratorum ; quo in sola Quadragesima, non in aliis jejuniis utuntur, quia ut ait Theodorus Balsamon in notis ad Canonem 52 Trullanum, hoc jeiunium praecipuum est, magisque solemne, et a Domino institutum.

VII. Deposito super Altari Sacramento cum Calice vino aqua mixto Sacerdos celebrans Orationem Dominicam cum *Libera nos* dicebat : deinde facta hostiae fractione, et in Calicem immissione, statim communicabat sub silentio, nihil amplius addens. Confessionem praescribunt nonnulli Libri Missales aut Rituales, sive antequam adferretur ad Altare Corpus Christi, sive statim ut adlatum esset, uti habent Missale Lugdunense, Arelatense, Tolosanum, et Ordinarium Lingoniense. *In Spiritu humilitatis* Orationi Dominicae praemittant Ordinaria nonnulla, sed veteres nihil praeter Orationem Dominicam et *Libera nos* dicebant. Quo autem modo dici debeat Dominica Oratio, variant quidem Rituales Libri, atque Missales : plena voce ait Ordo Romanus XIV, voce submissa praescribunt Missales Libri Lugdunensis, et Parisiensis. Elevatur insuper sacrosancta Hostia altera tantum manu ad differentiam elevationis, quae fit post consecrationem, ne hac die videatur de novo consecrata, ut inter alios tradit Gavantus. Ceterum neque in Ordine Romano XIV neque apud vetustiores Scriptores elevatio ipsa occurrit. Immittit partem Hostiae in Calicem, in quo est vinum

cum aqua mixtum; quasi dicat: *Hoc est illud Corpus de quo sanguis et aqua fluxerunt*, ita Durandus Lib. VI Cap. 77 n. 20. Non dicitur *Pax Domini*, quia non sequitur pax, circumstantibus danda, tum etiam quia nullum hodie fit Sacrificium uti observat laudatus Gavantus. Omittuntur duae primae Orationes, quia prima est de pace, et in secunda fit mentio de sanguine, tertia dicitur in qua solum de Corpore Christi agitur. Non dicitur Postcommunio, quia nemo alius communicat ex Alcuino Capite *De Coena Domini*, neque consequenter *Communio* dicitur, quae dicebatur tempore Communionis populi. Nec datur benedictio, quia recedit hodie fons omnis benedictionis. Venio ad Communionem, quam non solum ab Episcopo, sed ab omni Clero et populo praescribunt absolute antiqui Sacramentorum Codices. Hujus rei praxim videre est in Vita S. Udalrici Augustani Episcopi Cap. IV. His addo Theodulphum Aurelianensem Episcopum qui in suo Capitulari Art. 41 ita habet: *Singulis diebus Dominicis in Quadragesima Sacramenta Corporis et Sanguinis Christi sumenda sunt; et in Coena Domini, et in Parasceve*. Scribit etiam Amalarius Lib. I *de Divinis Officiis* Cap. 15 de hac observatione. Quibus suscribit vulgatus Alcuinus his verbis: *Sunt qui quotidie Eucharistiam volunt sumere. Et quia in Parasceve non conficitur Corpus Domini, necesse est, ut hi quibus inest voluntas communicandi, habeant Sacrificium ex priori die: quod tamen Romani non faciunt*. Hinc colliges generalem in Parasceve communicandi consuetudinem non fuisse ubique usu receptam: et certe arbitrariam relinquunt antiquum Missale Romariceuse, Ordinarium Praemonstratensium, Argentinum, et Rotomagense, in quibus legitur ut *communicent omnes qui voluerint sub silentio*. Immo ex Ordinario B. Mariae Remensis solus Archiepiscopus communicat. Hodie generalis hujus diei Communio tam in Monasteriis quam in Cathedralibus Ecclesiis, passim obsolevit. Servanda est universalis Ecclesiae praesens consuetudo, non ministrandi nisi infirmis hac die Eucharistiam. Rigidiora hodierna die jejunia, et asperiora exercitia peragebantur; quare Godefridum Abbatem usque ad sanguinem coram Capitulo

se verberantem affirmat Petrus Blesensis. Pane et aqua jejunabatur ut ex Concilio Aquisgranense Canone 8 patet: *In Parasceve nihil aliud, nisi panis, et aqua sumatur.* Iejunari usque ad Vesperam jubet Concilium IV Toletanum, indignumque declarat Communione Paschali, qui ad horam nonam manducat.

VIII. Ter Christus passionem suam Discipulis praedixit, ut animadvertit Ioannes Stephanus Menochius *Libro VI de Vita Christi.* Cap. 3 § 2. Primum apud Matthaeum Cap. XVI v. 21 iterum apud Lucam Cap. IX v. 41 tertio apud eumdem Matthaeum Cap. XX v. 18. Praedixit autem ob eam rem, ut *auferret vehementem eorum tristitiam,* ait Euthymius in *Matthaei Caput XLII, T. XIX Bibliothecae Patrum* pag. 556: quemadmodum vero scribit S. Hieronymus, in Matth. Caput XX *ut ad tentationem eos pararet, ne cum veniret persecutio, et Crucis ignominia scandalizarentur.* A proditione Iudae coepit Iesu Christi passio. Iudas enim unus ex Discipulis, quos assumpserat ad Apostolatum, biduo ante Pascha, hoc est die Mercurii, tertio et vicesimo mensis Martii, adiit Sacerdotum Principes in aula Caiphae Pontificis consultantes, quomodo Iesum dolo comprehensum interficerent, pactusque est cum ipsis mercede triginta argenteorum se Magistrum suum proditurum. Quare ad eum postea reversus nihil magis curavit, quam ut tempore ad eam rem capto nefariae pactioni satisfaceret. Nocte, quae Iovis diem quartum et vicesimum Martii proxime secuta est. Iesus Christus enim Coena Eucharistica cum *duodecim discipulis suis,* atque ideo etiam cum Iuda proditore, vespere celebrata, egressus ex Urbe, ac *media nocte,* ut ait Chrysostomus *Homilia 82 in Ioannem transiens torrentem Cedron* in montem Olivarum se contulit, et in hortum Gethsemani Patrem oraturus secessit. Itaque Iudas praeclaram sibi occasionem ad promissum solvendum oblatam ratus, eo, ubi erat Christus, venit cum militibus Praesidis, et ministris Pontificum, Eumque osculatus, quod inter ipsos convenerat, signum dedit manus in ipsum injiciendi. Christus vero inimicis suis obviam procedens non modo non restitit, sed prostratos erexit, turbatos confirmavit, trepidos provocavit, seque ultro satellitibus

vinciendum obtulit, et Petrum ad sui defensionem districto gladio decertantem cohibuit. Verum foedissimum et prorsus abominabile scelus, contra quod coelum et terra in aeternum clamabunt, tradendo Christum admisisse Iudam, certo certius est. Causa igitur, quae movit Iudam ad Iesu Christi venditionem fuit inordinata pecuniae cupiditas seu avaritia, et haec fuit ejus peccatum. Constat hoc ex Evangeliis. Non quaesitus, sed sponte insana pecuniae cupiditate abreptus se obtulit Magistri sui proditorem. Hinc Iudam avaritiae omnes accusant Patres. Poenitentiam Iudae fuisse absque ulla utilitate, quia illum duxit ad laqueum, non ad Deum, dicit S. Chrysostomus *Homilia 85 in Matthaeum;* ideo autem quia de indulgentia desperavit; unde S. Augustinus *Sermone* 52 *Iudam,* inquit, *traditorem, non tam scelus, quod commisit, quam indulgentiae desperatio fecit penitus interire.* Arborem illam, in qua Iudas se suspendit fuisse ficum, Iuvencus Poeta cecinit:

Exorsasque suas laqueo sibi sumere poenas
Informem rapuit ficus de vertice mortem.

Beda etiam *de Locis Sanctis* Cap. 4 eamdem sententiam tenet.

XI. Convictum et comprehensum Iesum perduxerunt primum ad Annam, seu Annanum Socerum Caiphae, deinde ad Caipham ipsum ejus anni Pontificem. S. Ioannes Chrysostomus in Ioannem *Homilia 82* pag. 421: *Quare ad Annam? Ut rem ostentarent, et tamquam triumphum ducerent.* Hic Iesum tamquam nocentem aliquem, et nefarium impiumque hominem interrogavit, subornatis testibus eum accusantibus, et aliis omni contumeliarum genere tota nocte reliqua afficientibus. Praeterea cum Sacerdotes, Seniores populi, et Scribae eum ad mortem dare habito concilio decrevissent, vinculis constrictum in Praetorium ad Pilatum, postea jussu Pilati ad Herodem, rursus ab Herode ad Pilatum, qui Praeses Romanus Iudaeam provinciam administrabat, perduxerunt. Apud Pilatum triplicis criminis reus factus est, tum quod diversa doctrina populum in errores induceret, tum quod Romanis tributa solvere prohiberet, tum demum quod regnum affectaret. Post haec Pilatus

cum cognovisset, Iesum esse Galilaeum, ut a negotio tam moleste se expediret, eum ad Herodem Antipam Galilaeae Tetrarcham, qui id temporis Paschae celebrandi causa versabatur Hierosolymis, misit. fecitque Herodi pergratum jamdiu cupienti Iesum Christum videre. Sed cum Herodes illum de multis interrogasset, nec ullum ab eo responsum tulisset, veluti fatuum ac stolidum hominem, illusum et indutum veste alba ad Pilatum remisit. Graecus D. Lucae textus Cap. XXIII v. 11 pro *veste alba* habet ἐσθῆτα λαμπρὰν, *vestem candidam, illustrem, splendidam*. Hujusmodi ergo veste induit Herodes Christum, ut derideret eum tamquam majora captu suo appetentem, atque ut vestis illa candida esset joculare indicium affectati regni. Etenim non minus candida, quam purpurea vestis regia erat. Eusebius Lib. II *Historiae Ecclesiasticae* Cap. 10 de hoc eodem Herode Antipa Iesu Christi derisore ita loquitur: *Cum Caesaream profectus esset, ibique die festo candida ac regia veste indutus populum e tribunali alloqueretur*. Pilatus ubi vidit, praeter spem evenisse, ut Herodes remitteret Iesum, id maxime curavit, ut Iudaeis persuaderet, satis esse, si Iesus flagellis castigaretur, *ut ejus injuriis Iudaei satiati sufficere sibi existimarent, et usque ac ejus mortem saevire desisterent*, quemadmodum Tract. 116 in Ioannem § I loquitur Augustinus.

X. Pilatus postquam protestatus fuit Ioannes Cap. XVIII v. 38: *Ego nullam invenio in eo causam*; postquam Iudaeis proposuit, num vellent eum dimitti; videns, eos, ejus dimissionem rejecisse et Sanguinem Iesu sitire; ut eorum sitim mitigaret, Iesum flagellari jussit: *Tunc ergo*, inquit, Ioannes Cap. XIX vers. 1 *apprehendit Pilatus Iesum et flagellavit*. Quae flagellatio pridem a Prophetis Spiritu Sancto inspiratis praedicta est: *Congregata sunt super me* inquit, Psaltes in Psalmo 34 *flagella, et ignoravi*, et in Psalmo 37: *Et ego in flagella paratus sum*; et in Psalmo 128: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolungaverunt iniquitatem suam*. Videtur autem Pilatus non alio consilio Salvatorem flagellasse, quam ut hoc supplicio contenti, desisterent insano clamore urgere Salvatoris interfectio-

nem. Id affirmat Divus Augustinus, *Tract. 106 in Ioannem;* consentit Divus Cyrillus, *Catechesi* 15; et Divus Chrysostomus, *Homilia 43 in Ioannem;* et ex verbis Evangelii clare liquet: dixit enim Pilatus: *Emendatum illum dimittam.* Quoad modum flagellationis, duplex apud Hebraeos erat percussionis supplicium unum virgis, seu arborum ramis invicem colligatis, alterum flagris seu funibus. Virgis se fuisse caesum testatur Paulus II *Corinth.* Cap. XI v. 25: *Ter virgis caesus sum.* Christum tamen non virgis, sed flagris caesum fuisse, certum est: hoc enim proprie est flagellari. Virgae honestiores erant, flagra servorum, illae lignis, haec loris ac funibus constabant: illae mitiores erant, haec asperrima, ita ut Horatius *Lib. I Satira* 3 vocet *horribile flagellum.* Unde Iesus cum de cruciatibus et ignominiis passionis suae loqueretur omnium primam flagellationem commemorabat. Quoad numerum lictorum seu flagellantium, et plagarum seu verberum, de hoc nihil certi ex Scriptura et Patribus proferri potest, ex quibus solum habetur, quod fuit flagellatus. De numero lictorum, quatuor fuisse, qui Christum flagellarunt, asseruit Iansenius Yprensis in Caput XXVII Matthaei, sed quo fundamento hoc dicat, non exprimit. Idem dico de numero verberum seu ictuum. Si Legi Iudaicae standum fuisset, quadraginta verbera supplicium illud non excessisset, nec plura a Pilato Iudaei, quantumvis Christi sanguinem sitientes postulare potuissent. Verum nullus praescriptus Romanis legibus verberum numerus, et Pilatus nullum ad Hebraicam legem videtur, habuisse respectum. Quibus verisimile nobis fit, longe pluribus, quam quadragenis caesum esse verberibus. Quantus fuerit ille numerus, affirmare non possumus, quia neque in Scriptura, neque a Sanctis Patribus traditus est. Christum ad columnam flagellatum esse, tradunt veteres Patres et Historici, neque hoc tantum, sed et columnam hanc pietatis et religionis ergo Christianis summo in pretio et honore habitam. Sanctus Hieronymus Epistola XXVII Cap. 4 de Paula loquens, sancta loca Hierosolymis perlustrante, haec habet: *Ostenditur illi,* inquit, *columna, Ecclesiae porticum sustinens, infecta cruore Domini, ad*

quam vinctus dicitur et flagellatus. Meminit ejusdem Gregorius Turonensis *de Gloria Martyrum* Cap. II. Columna haec Hierosolymis stetit, usque ad saeculum Christi tertiumdecimum. Inde vero Romam translata fuit anno Christi circiter 1213 sub Pontificatu Honorii III ab Ioanne Cardinale Columna, Apostolico ad Orientales Legato. Posita est in Aede S. Praxedis ad Exquilias. Etiam nunc conspicitur et colitur in ejusdem Ecclesiae Sacello, cui inscriptus legitur hic translationis index: *Columna quae in hac sacra Capella reconditur, haec est . . . quam Ioannes Cardinalis Columna Legatus Apostolicus in partibus Orientalibus sub Honorio III circa annum Domini 1213 huc asportavit.* Aliqui putant Columnam hanc Romanam esse duntaxat partem Columnae, de qua loquitur S. Hieronymus, superiorem, vel inferiorem: alii probabilius esse integram.

XI. Non contenta militum rabies crudeli flagellatione in Iesum Christum desaevisse, ad aliud tormenti simul et ludibrii genus processerunt. Ne capiti, quod ex flagellatione illaesum forte evaserat, suae deessent plagae, Coronam spinis contextam acutissimis supra illud calcarunt, eique veste purpurea circumdato, velut ficto Regi, illudere coeperunt. Ita Ioannes Cap. XIX v. 2 *Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus, et veste purpurea circumdederunt eum.* Hoc idem refert Matthaeus Capite XXVII qui addit, quod ut magis publicum fieret opprobrium, milites, qui flagellationi adfuerant, Eum in praetorium adduxerunt, convocantes universam cohortem quingentis ad minus militibus constantem, ut huic ludicro simul ac ferali spectaculo interessent. Et hoc fuit additamentum praeter Pilati mandatum, qui Iesum flagellandum solum jusserat, militum saevitia excogitatum: unde Matthaeus et Ioannes dicunt: *Et milites* etc. quasi indicantes, hoc malitiae militum facinus extitisse. Et ideo Tertullianus *Libro de Corona militis* Cap. 9 dicit, hoc fuisse *militum commentum*. Plerique asserunt Coronam Domini contextam fuisse ex spinis, quae circa Hierosolymam nasci solerent. Bellonius Lib. II *Observationum* Cap. 88 vult Coronam hanc fuisse ex rhamno. Nonnulli ex juncorum marinorum acuminibus quasi spinis praelongis contextam putant.

Hoc postremum testatur S. Anselmus Cantuariensis; seu alius auctor Dialogi *de Passione Domini*. Ait enim Capite 7: *Haec Corona non fuit de spinis, sed de juncis marinis, qui habent auctiores aculeos, quam verae spinae.* Consentit Gulielmus Durandus, *in Rationali Divinorum Officiorum* Lib. VI Cap. 77 § 12; et Franciscus Suarez eamdem sententiam habet *in 3 part. Divi Thomae T. II Disp. 35 sect. 3.* Sed Martinus Del Rio, illam Coronam se vidisse testatur Lect. IX de passione apud doctissimum et sapientissimum Benedictum XIV asserit, *spinas ejus nil quidquam cum juncis marinis commune habere*. Thomas Bartholinus in *Tractatu de Cruce* pag. 177 variis prolatis opinionibus, tandem pag. 183 ita concludit: *Iudicandi arbitrium cuivis committo.* De numero spinarum nihil Scriptura, aut veteres Patres tradunt, licet aliqui dicant, fuisse duas et septuaginta, alii plures, alii pauciores. Sed res haec incerta est; hoc constat, satis multas fuisse, cum ex illis integra corona fuerit contexta. Quoad ejus formam, oculati enim testes non ad modum fasciae, quae tempora et frontem cingat, formatam esse dicunt, sed instar habere pilei, quo cranium et superior pars capitis tegitur. Benedictus XIV *Lib. IV de Canonizatione Sanctorum* part. 2 Cap. 14 num. 13 et Cap. 3 num. 8 verba fecit; ubi plurium Scriptorum gravissimorum auctoritate ostendit, decimo tertio saeculo Francos Imperatores, qui Constantinopoli tunc temporis morabantur, cum in magna essent difficultate nummaria, Sacra Lipsana, spineam scilicet Coronam, Lanceam, Arundinem, et Spongiam Venetis oppignerasse. Balduinum vero secundum, quidquid in iis Reliquiis sibi juris esset, Ludovico Francorum Regi cessisse, qui repraesentata pecunia eas pignore liberatas in Sacello regii Palatii Parisiensis collocavit.

XII. Flagellatione ac Spinea Coronatione contrita adeo ac deformata facies Christi evaserat, ut vix figura hominis in eo appareret, et impletum esse quod praedixerat Isaias Cap. LIII a vers. 2: *Non est species ei, neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus et desideravimus eum: despectum et novissimum virorum virum dolorum, et scientem infirmitatem, et quasi absconditus*

vultus ejus et despectus. Licet autem Pilatus jam in ipso Tribunali esset, tamen tunc quoque Christum servare contendebat. Ait enim Ioannes Cap. XIX: *Ecce Rex vester Illi autem clamabant: tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus. Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: non habemus Regem nisi Caesarem.* Victus igitur Pilatus pertinacissima Iudaeorum importunitate, tradidit *iis Iesum*, ut *crucifigeretur*. S. Ioannes Chrysostomus in I ad Corinthios *Sermone ultimo de eleemosyna* putat, Pilatum non tulisse sententiam mortis in Christum. Verum multa sunt quae ostendunt, Pilatum sententiam mortis in Christum pronunciasse, qui et titulum causamque mortis scripsit: Primo quia *sedit pro tribunali Pilatus sedet judicaturus,* inquit S. Cyrillus Catechesi XIII. S. Augustinus in Psalmum 63: *Ille dixit* inquit, *in eum sententiam, et jussit eum crucifigi*. Deinde, Iudaei nil nisi sententiam mortis urgebant, et a Pilato extorquebant insanis illis clamoribus, *Tolle, tolle crucifige eum.* Tertio Christus crucifixus est a gentilibus et militibus Pilati, exequentibus sententiam Praesidis. Denique ipsi Iudaei dicebant: *Nobis non licet interficere* quemquam, uti legitur apud Ioannem Cap. XVIII. Caeterum sive Pilatus Iudaeorum, sive Romanorum instituto manus laverit, certum est a scelere, et quidam immanissimo, minime fuisse expiatum: *Manus lavit, sed cor suum lavare non potuit,* ait Ambrosius *Sermone II in Psalmum* 118 *mansit scelere pollutus, quamvis manus suas aquae infusione lavisset.*

XIIII. Prolata in Iesum a Pilato sententia, obtinuerunt Iudaei, quod in damnationem suam pertinaciter exigebant: *Susceperunt autem Iesum* Ioannes Cap. XIX v. 16 *et eduxerunt; et bajulans sibi Crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariae locum.* Christum aliquo itineris spatio, nimirum usque ad portam Civitatis, Crucem humeris suis portasse solum, videtur indicare S. Ioannes Cap. XIX v. 17 dicens: *Et bajulans sibi Crucem exivit* etc. At cum ejus essent exhaustae vires, tum ob tolerata priora tormenta, tum ob crebras tota nocte totoque mane ab uno ad aliud tribunal discursiones; videntes, eum oneri usque ad locum supplicii ferendo imparem esse, statim ac extra portam Ci-

vitatis ventum est, dicit S. Matthaeus Cap. XXVII v. 32, quod *exeuntes invenerunt hominem Cyrenaeum, nomine Simonem: hunc angariaverunt ut tolleret Crucem* ejus. Quis fuerit iste Simon, incertum est. Cyrenaeum fuisse Matthaeus scribit, seu Cyrene natum. At cum haec triplex fuerit, una in Lybia, altera in Syria, tertia in Cypro: ex priori fuisse hunc Simonem censent aliqui, inter quos S. Augustinus *Sermone* 46 *de Tempore* Cap. 17. Sed non certo. An gentilis fuerit, an judaeus controvertitur: gentilem fuisse, arbitrati sunt multi ex Patribus, ac per hoc significatum fuisse mysterium volunt, nimirum fore, ut, Iudaeis non credentibus, gentiles Christi Crucem ac Fidem susciperent. S. Leo Sermone 8 de Passione Cap. V dicit: Per Simonem Cyrenaeum, in quem lignum Crucis translatum fuit, praesignabatur Gentium fides, quibus *Crux Christi non confusio erat futura, sed gloria*: ideoque congruum erat, ut Sacratissimo Salvatoris opprobrio, non Hebraeus quisquam nec Israelita sed alienigena subderetur, et ut sic etiam significaretur translatio a Veteribus Sacrificiis ad novum reconciliationis Deo Patri. Insuper S. Lucas Cap. XXIII v. 27: *Sequebatur*, inquit, *autem illum turba multa populi et mulierum, quae plangenbant et lamentabantur eum. Conversus autem ad illas Iesus dixit: Filiae Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros.* Quaenam fuerint illae religiosae mulieres, quidve officii Christo praestiterint, Evangelista non dicit. Fertur tamen, ex iis unam extitisse, Veronicam nomine, quae Sudarium Christo offerens, ut faciem sudore et sanguine madentem abstergeret, hoc idem ab illo restitutum acceperit, impressa vultus ipsius imagine insignitum; quod Romae in Basilica S. Petri custoditum summa religione veneratur. Hanc narrationem Critici ad minus suspectam pluribus ostendere conantur. Primo ex altissimo facti hujus silentio, non modo apud Evangelistas, sed et apud omnes veteres Patres, et Ecclesiasticae Historiae tum primae tum mediae aetatis Scriptores. Praeterea Veronicae nomen antiquis ignotum fuit: excepto Petri Galesini Martyrologio, in nullo alio, nec in Romano *Veronicae* nomen inter sanctas Mulieres legitur.

Qua ratione ex illis etiam, qui hanc historiam defendunt, aliqui dicunt, piam illam mulierem, non *Veronicam*, sed aut *Venicem*, aut *Veronicem* aut *Berenicem* appellatam fuisse; *Veronicam* autem dici coepisse, non ipsam piam mulierem, sed faciem piam Sudario impressam; nam *Veronica* idem graece sonat, ac *Veraicon*, seu imago. At sive Veronica fuerit pia femina, quae Sudarium faciei Domini admovit, sive Veronica unum et idem sit cum ipso Sudario; certum est Sudarium insignissimam esse Reliquiam, et multis adhinc saeculis cultum in Basilica Vaticana obtinuisse. Extant in Tabulario Vaticano monumenta multa admodum authentica pro Sancta hac Salvatoris Imagine. Consule P. Iacobum Gretserum Tom. XV Opp. in ejus autem Cap. 17 et seqq. plura cumulantur de hac sacra effigie Christi Domini adversus Casaubonum et Hospinianum, et de cultu eidem a multis saeculis adhibito.

XIV. Plura sunt, quae adversus Iudaeos ostendunt Iesum Christum fuisse in Cruce immolandum, ut quae leguntur Cap. XXVIII Deuteronomii: *Erit vita tua quasi pendens ante te:* quae Psalmo XIV: *Dicite in nationibus, quia Dominus regnavit a ligno:* quae Isaiae Cap. LXV: *Tota die expandi*, etc. et quae Ieremiae Cap. XI: *Venite mittamus lignum*, etc. quae Zachariae Cap. XII: *Aspicient in me, quem confixerunt*. Sed nullus expressior locus versu 17 Psalmi XXII: *Foderunt manus meas, et pedes meos*. Negant idcirco pervicacissimi homines legendum esse, *Foderunt* cum vulgaria illorum Biblia non habent, Carù, foderunt, sed Carì sicut Leo. Sed invictissimis momentis illorum pervicaciam et incredulitatem obtundimus. Primo emendatissimi quoque Iudaeorum Codices habent Carù foderunt, fatentibus etiam non solum haereticis, qui hebraicos Codices Latinis praeferunt, Sixtino Amama, Munstero, Clario, Frischumutio, aliisque, sed etiam Hebraeorum doctissimis, R. Isaac, et collector Masorae Rabbi Iacob Benchain: ac ita legi in vetustissimis Codicibus a se perlectis jurejurando testatur Felix Pratensis Ex-Iudaeus in Psalterio; ita haberi in Codice Colbertino vetusto admodum et emendato. Secundo omnes Sacrorum Bibliorum versiones non Hieronymiana tantum sed et Arabica, Sy-

riaca, Aethiopica, nec non LXX Interpretum, in quibus cum praecesserint adventum Christi, nullam Christianorum fraudem suspicari possunt Iudaei, reddidere pro hebraica voce, *Foderunt*, non *sicut Leo*, atque LXX illi ὤρυξαν χεῖρας μου, καὶ πόδας. Tertio si legendum foret sicut Leo, absona esset, impropria, et nullum reddens sensum oratio; quid enim significant, qua syntaxi cohaerent haec verba: *Sicut Leo manus meas?* quam connexionem habebant cum insequentibus, *Et dinumeraverunt omnia ossa mea.* Quarto a primis Ecclesiae Saeculis *Foderunt* legere Patres, Iudaeis ipsis obmutescentibus: unde ajebat in *Apolog.* Iustinus: *Illud foderunt manus meas, et pedes, significatio erat illorum clavorum, qui in ejus manibus et pedibus defixi sunt.* Ac similia scribit Lib. III contra Marcionem Tertullianus: ubi etiam advertit, totum Psalmum, unde haec depromuntur, in Christum quadrare.

XV. Quoad Iesu Christi Crucifixionem dicit Lucas Cap. XXIII v. 33: *Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariae, ibi crucifixerunt eum;* quod ceteri Evangelistae affirmant. An conveniens fuerit, Christum crucifigi seu pati in Cruce cui respondet S. Thomas 3 part. q. 46 art. 4 affirmative quod probat septem rationibus ex Patribus desumptis. *Prima est propter exemplum virtutis. Secunda est: Quia hoc genus mortis maxime conveniens erat satisfactioni pro peccato prioris parentis, quod fuit ex eo, quod contra mandatum Dei pomum ligni vetiti sumpsit. Et ideo conveniens fuit, quod Christus ad satisfaciendam pro illo peccato pateretur, se ligno affigi, quasi restituens, quod Adam sustulerat. Tertia ratio est; quia ut Chrysostomus dicit Homilia de Cruce et Latrone: In excelso ligno, et non sub tecto passus est, ut etiam ipsius aeris natura mundetur: sed et ipsa terra simile beneficium sentiebat, decurrenti de latere sanguinis stillatione mundata: Quarta est: quia per hoc quod in alto moritur ascensum nobis parat in coelum. Et inde est, quod ipse dicit Ioannes* Cap. XII *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. Quinta: quia sic expressit universalem salvationem totius mundi: ut enim dicunt Gregorius Nyssenus Sermone 2 de Resurrectione,* Damascenus *Lib. IV de*

Fide Cap. 12. *Figura illa Crucis a medio contracta in quatuor extrema partita significantia quatuor mundi partes significat virtutem et providentiam ejus, qui in ea pependit, ubique diffusam. Vel ut dicunt Chrysostomus et Athanasius Libro de Incarnatione Verbi: Expansis manibus moritur, ut altera manu veterem populum, altera eos, qui ex gentibus sunt, trahat. Sexta ratio est: quia per hoc genus mortis diversae virtutes designantur. Igitur Magister Christus in suae Crucis latitudine docuit nos bona opera extendere: in longitudine in bonis operibus persistere ac perseverare: in altitudine, superna sperare. Septima ratio est, ut plures in Cruce moriens impleret figuras miraculorum, quae in Veteri Lege Deus per lignum fieri voluit: De Diluvio enim aquarum humanum genus Arca lignea liberavit: De Aegypto Dei populo recedente Moyses mare virga divisit, et Pharaonem prostravit, et Populum Dei redemit: idem Moyses lignum in aquam misit, et amaram aquam in dulcedinem commutavit.* Ita S. Thomas ex Augustino *Sermone* 101 de tempore Licet autem hic sermo inter genuinos Augustini hodie non computatur, quae tamen ex ipso S. Thomas excerpsit, ad rem praesentem mire faciunt. Potissima tamen ratio, cur Christus mortem Crucis elegit, est ea, quam S. Thomas in arg. sed contra ex Apostolo adducit ad Philippenses Cap. II v. 8 nimirum *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* Qui enim se ipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo, et inter homines vilis et abjectus apparere voluit, mortem etiam vilissimam et ignominiosam eligere voluit, ut suo exemplo doceret nos, viam, qua pervenire debemus ad gloriam et exaltationem, esse humilitatem: unde Paulus subdit: *Propter quod et Deus exaltavit illum* etc. Crux tamen Iudaeis scandalum est, quia supplicium a Deo maledictum, Deuteron. Cap. XXI v. 23: *Maledictus a Deo est, qui pendent in ligno.* Ideoque sibi persuadere non possunt, Messiam omnium Prophetarum benedictionibus consecratum, mortem adeo turpem esse subiturum. At hoc scandalum tollit Paulus ad Galatas Cap. III v. 13 dicens: *Christus nos redemit de maledicto legis factus*

pro nobis maledictum ; quia scriptum est : maledictus omnis, qui pendet in Ligno. Ideo autem dicitur Christus factus pro nobis maledictum, idest malum poenae in se suscepisse, ut nos a maledicto seu malo poenae et culpae sua morte liberaret : et ideo II ad Corinthios Cap. V v. 21 dicit Paulus : *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Constat ex Evangelio Christum crucifixum fuisse in Ierusalem, non quidem in ipsa civitate, sed extra portam in suburbio, hoc est in monte Calvariae, hebraice *Golgotha.* Et utrumque fuit conveniens. Primum quia Ierusalem erat locus a Deo electus ad sacrificia sibi offerenda, et haec sacrificia figurabant passionem Christi quae est verum sacrificium. Secundo quia cum virtus passionis ejus ad totum mundum diffundenda erat, pati voluit in medio terrae habitabilis tunc agnitae, idest in Ierusalem, qua dicitur umbilicus terrae. Tertio quia maxime conveniebat ejus humilitati, ut sicut turpissimum genus mortis elegit, ita in loco celeberrimo confusionem pati non recusaret. Quarto ut ostenderet a principibus populi Iudaici exortam esse iniquitatem occidentium ipsum. Conveniens etiam fuit ut extra portam pateretur: Primo ut veritas responderet figurae : nam vitulus et hircus qui solemnissimo sacrificio ad expiationem totius multitudinis offerebantur, extra castra comburebantur, Levit. Cap. XVI. Unde Apostolus ad Hebraeos Cap. XIII. dicit: *Quorum animalium infertur sanguis pro peccato in sanctâ per pontificem ; horum corpora cremantur extra castra; propter quod et Iesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Secundo ut per hoc daret nobis exemplum exeundi a mundana conversatione, unde ibidem subditur : *Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.* Tertio ut dicit S. Chrysostomus de passione, noluit Dominus pati sub tecto nec in Templo Iudaico, ne putaretur pro illa tantum plebe oblatum sacrificium salutis, et ideo foras civitatem, foras muros, ut scias sacrificium esse commune. Occurrit hic quaestio, unde huic monti, in quo Christus passus est, Calvariae nomen ? S. Thomas docet ex S. Hieronymo in Caput XXVII Matthaei, sic dictum non a capite seu calvaria

Adae qui esset ibi sepultus, sed a capitibus ibi decollatorum; erat enim locus supplicii communis apud Hierosolymitanos. Huic sententiae subscribunt Isidorus, Lib. XV *Originum* Cap. I; et Venerabilis Beda, in Caput XVII Matthaei. Attamen contrariam sententiam tenent S. Cyprianus, *Tract. de Resurrectione Christi*; Epiphanius, *Haeresi 46*; S. Augustinus, *Sermone 71 de tempore*; S. Ioannes Chrysostomus, *Homilia 84 in Ioannem*; S. Ambrosius, *Lib. V Epistola* 19; voluntque Adam in hoc monte fuisse sepultum et ab ejus capite seu cranio fuisse dictum Calvariae. Praeterea haud spernenda etiam videtur pia quaedam traditio, qua fideles impulsi ad Palaestinam iter suscipiunt, quod illis persuasum sit, non modo Christum Iesum in Calvario fuisse sublatum, sed eo etiam Adae corpus fuisse injectum. Cui traditioni pia etiam innititur illa pictorum consuetudo, ut ad inferiorem Crucis partem hominis calvariam depingant.

XV. Quod vero omni caret dubitatione, Romani facinorosos homines cruci affigebant, praesertim servos; quamobrem Iuvenalis Satyra 6: *Pone crucem servo*; liberos etiam interdum, sed vilioris conditionis homines, si atroci quodam scelere fuissent convicti, ut probat Lipsius *de Cruce* Lib. I Cap. 12 et 13. Igitur cum Christus Iesus a Iudaeis insimulatus esset blasphemiae, *Nos legem habemus et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit*, ut ait Ioannes Cap. XIX; cumque ejus criminis non crux poena esset, sed lapidatio ex Levitico Cap. XXIV, verisimile fit, Pilatum crucis supplicio illum condemnasse non propter scelus blasphemiae, quo fuerat falso insimulatus, sed propter seditionis et affectati Regni crimen, de quo itidem falso accusatus fuerat: *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Caesari, et dicentem se Christum Regem esse*; Lucas Cap. XXIII v. 2. Videndus Gretserus *de Cruce* Lib. I Cap. 38 et 39, ubi magna eruditionis copia, quam probrosum fuerit supplicium Crucis ostendit. Ut salutiferae Crucis forma cognoscatur, prius sciendum est ex Gretsero, *Lib. I de Cruce* Cap. I; et Lipsio, pariter *Lib. 4 de Cruce* Cap. 6 7 8 9 Crucem aliam esse *Simplicem* unico constantem ligno,

cui sontes vel clavis infiguntur, vel funibus alligantur: aliam *Compositam*, quae ex duplici ligno obliquato construitur. Rursus hanc divide in *Decussatam*, *Commissam*, et *Immissam*. Crux *Decussata* est, in qua duo ligna directa et aequabilia inter se obliquantur, cujus formam refert littera X, quae vulgo appellatur *Andreana*, quod vetus traditio sit, in hac S. Andream fuisse necatum. Crucem *Commissam* illam hic vocamus, cum ligno erecto alterum brevius supra, et in ipso vertice transversum committitur cujus similitudinem habet litera majuscula Graecorum Tau et latinam T. *Immissam* demum hanc esse †, in qua stipes supra lignum transversum eminet. Crucem Christi fuisse *Commissam*, hoc est, nullo ligno supra transversarium lignum exstante plerique tenent. Contraria sententia, quae vult Iesum Christum in Cruce *Immissa* passum, majori auctoritate nititur. Hanc sententiam tenent S. Iustinus, in *Dialogo cum Tryphone § 91;* S. Irenaeus, *Lib. II adversus haereses* Cap. 42; Damascenus, Lib. IV *de Fide Orthodoxa* Cap. 12; Sedulius, Lib. III atque ut alios omittam a Gretsero *Lib. I de Cruce* Cap. 3 recensitos, S. Augustinus in Psalmum 103 Sermone I § 14: *Erat latitudo, in qua porrectae sunt manus; longitudo a terra surgens, in qua erat corpus infixum : altitudo ab illo devexo ligno sursum quod eminet: profundum, ubi fixa erat Crux.* Qui etiam Tractatu 118 in Ioannem § 3: *Lata est in transverso ligno, quo extenduntur pendentis manus: Longa est a transverso ligno, usque ad terram, ubi dorsum pedesque figuntur: Alta est in cacumine, qui transversum lignum sursum versus exceditur.* Praeterea apud omnem videmus antiquitatem Iesu Christi Crucem ad hanc formam esse depictam; profecto statuendum videtur, Christum Cruci *Immissae* affixum fuisse. Vide Lipsium, *Libro I de Cruce Cap. 10;* Casalium, *parte I de sacris Christianorum Ritibus;* Ayalam, in opere: *Pictor Christianus*, Lib. III Cap. 18 num. 1 et 2; Baronium, *ad annum Christi* 34 num. 93; Gretserum, *Libro I de Cruce* Cap. 1 et 2. Ad plenam Dominicae Crucis formae cognitionem, quaeritur, an in ea esset fixa quaedam ligni pars ad modum suppedanei. De Suppedaneo diserte affirmat Gregorius Turronensis *Libro de*

Gloria Martyrum Cap. VI dicens: *In stipite erecto foramen manifestum est: pes quoque parvulae tabulae in hoc foramen insertus est: super hanc vero tabulam tamquam stantis hominis sacrae affixae sunt plantae.* Hanc formam exhibet imago Crucifixi argentea in Sacrario Basilicae S. Petri Romae asservata, in qua hoc suppedaneum cernitur, ut videre est apud Angelum Rocca in *Descriptione Sacrarii Divi Petri*, Tom. I pag. 252. Praeterea Franciscus Fevardentius in *Notis ad S. Irenaei opera Lib. II Cap. 42* veteres multas Iesu Christi imagines se vidisse testatur ita Cruci affixi, ut pedes suppedaneo inniterentur. Hujus exhibetur imago similis ab Aringhio in *Roma subterranea* Gretserus *Libro I. De Cruce* Cap. 24 gravibus assentitur auctoribus, qui statuunt fuisse in Christi Cruce suppedaneum. Nummus vetus apud Lipsium tabulam suppedaneam spectandam offert. Idem etiam in veteribus nummis observavit Franciscus Nancius.

XVI. Negari non potest crucifigendos aliquando funibus tantum fuisse adstrictos. Plerumque tamen, magisque usitate clavis fiebat crucifixio. Fuisse enim Iesum Christum Cruci clavis affixum, manibus ac pedibus transfixis, certum est; id enim constat ex Capite XX Ioannis v. 25, ubi Thomas adhuc incredulus: *Nisi*, inquit, *videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum . . . non credam:* Cui v. 27 ait Christus: *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas:* et hoc sonat nomen Crucifixionis, quasi Cruci affixionis: quo utuntur Evangelistae omnes. Quod hic igitur controvertitur, est, quot clavis fuerit Iesus Cruci affixus, utrum solis tribus, an vero quatuor, ita ut singulae manus et singuli pedes propriis clavis crucifigerentur. Aliqui tres fuisse tradunt: quem opinionem firmant picturae et sculpturae passim obviae. Quapropter Divus Gregorius Nazianzenus, seu quis alius, *Crucem Dominicam* appellat τρισηλον ξυλον, quasi dicas *triclave lignum*, quod in eo tribus clavis affixus sit Christus. Sed quaternarius numerus doctissimis sapientissimisque magis placuit, utpote receptior apud antiquos. Gregorius enim Turonensis *Lib. I De Gloria Martyrum* Cap. 6 haec habet: *Quod* inquit, *Clavi Dominici*

quatuor fuerint, haec est ratio: duo sunt affixi in palmis et duo in plantis. Hoc idem sentit Innocertius III Pontifex Maximus Sermone I *de uno Martyre.* In *Revelationibus* etiam *S. Birgittae,* Christum Dominum quatuor clavis crucifixum fuisse asseritur, Lib. I Cap. 10 Lib. II Cap. 6. Sacra quoque Stigmata S. Francisci claves omnino quatuor repraesentare testatur Lucas Wadingus in *Annalibus Fratrum Minorum ad Annum* 1224. Idem sentiunt Lucas Tudensis, *Lib. II. contra Albigenses* Cap, II; Iustus Lipsius, Lib. II de Cruce Cap. 9; Sylvius, *in tertiam partem Divi Thomae q. 46 art. 4;* Baronius, *ad annum* 326 num. 52; Palaeotus *Lib. de Stigmatibus sacrae Sindoni impressis* Cap. 19; Toletus, in Caput 19 Ioannis, Bellarminus, *de septem verbis;* Ayala, in opere: *Pictor Christianus* Lib. III. Cap. 17 num. 9; Gretserus, *Lib. I de Cruce* Cap. 20. Colitur Lucae (quae civitas est in Hetruria nobilis) magna populi religione Christi Crucifixi imago lignea pervetusta, cujus pedes bini clavi suppedaneo ligno configunt. Romae in Sacrario S. Petri asservatur vetustissima Iesu Christi imago quae quaternis clavis Cruci affixa est. Et Rocca de *Particula Crucis* Tom. I pag. 262 veteres omnes refert Imagines Christi quatuor clavis crucifixi. Ostendit Iustus Fontaninus Archiepiscopus Ancyranus *Dissertatione de Corona Ferrea,* vetustiorem ac propterea dignam, quam omnes amplectantur sententiam esse eorum, qui statuunt, non ternis, sed quaternis clavis Christum Cruci affixum. Per occasionem Clavorum Iesu Christi, ex quibus plures quam quatuor in diversis Ecclesiis venerantur, putavit Calvinus posse se cultum superstiosum Catholicae Ecclesiae exprobare, et frigidis his verbis in eam iocari: *Si quis,* inquit, *numerum inire vellet, grandem sit inventurus summam.* Cum enim, ut notat laudatus Fontaninus in sua *Dissertatione de Corona ferrea Longobardorum,* vigintiquinque Clavi Dominici diversis in locis venerationi exponantur, non alia via vindicari possunt, nisi dicendo, vel in quibusdam illis clavis extare veram partem clavorum, qui membra Christi perfoderunt, quam pie asservatam, postea alteri ferro compactam in novum ac integrum clavum cudendam fideles curarunt, ita ut vis particulae veri clavi alteri ferro per-

mixtae ad novum clavum transierit; vel esse novos Clavos a veris et archetypis fabricatos, ut ex eorum aspectu animae solamen haurirent, et suam in Dominicam Crucem fovere possent pietatem. Praeterea non solum titulo affigendo clavi necessarii fuerunt, sed etiam in Cruce ipsa compingenda. Adde lignum suppedaneum, quod clavis Cruci connexum fuisse verisimile est. Hos ergo omnes clavos Iesu Christi sanguis sacravit, et Christianis venerabiles reddidit: et per consequens, cum a clavis pedum manuumque non distinguerentur, numerum auxerunt, nullo pietatis detrimento.

XVII. De *latronibus vero,* qui *cum eo crucifixi sunt,* ait S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi XIII § 30 *dictum est illud: Et cum iniquis deputatus est, et ambo quidem prius iniqui fuere: unus autem esse desiit. Alter enim ad finem usque legum contemptor inflexibilis ad salutem: qui dum manibus affixus esset, lingua per blasphemas voces caedebat.* Clavis affixos fuisse Cruci, perinde atque Christum, existimant eruditi. Utuntur enim Evangelistae eodem verbo *crucifigendi* et in latronum et in Iesu Christi supplicio enarrando. Suppetit etiam ex inventione Crucis gravissimum et firmissimum argumentum. Inventa enim una cum latronum Crucibus, non potuit nisi miraculo internosci, quod miraculum nullo modo opus fuisset ad eam distinguendam, nisi etiam aliae foramina habuissent et vestigia clavorum. Hinc a S. Chrysostomo in Epistolam ad Romanos *Homilia 15*: *Latro in crucem sublatus, et clavis affixus* dicitur: in quam sententiam loquitur etiam S. Augustinus *Enarratione in Psalmum 39* § II: *Erat ille omnibus membris cruciatus, manus clavis inhaerebant, pedes transfixi erant.* Ille qui ad Iesu Christi dexteram crucifixus est scelera sua detestatus, et Christum confessus se eidem commendavit. Hoc enim tradit S. Hilarius Cap. 33 in Matthaeum § 5.: *Unus e duobus ad dexteram situs fidei justificatione salvatur.* Hoc tradunt Sanctus Augustinus, in Ioannem Tract. 31 § II; et Leo Magnus, *Sermone* 53. Dum e Cruce penderet ad Christum conversus est, ut fert opinio plurimorum. Cyprianus *Epistola 73: latronem,* inquit, *in ipsa passione*

credentem facit. Cyprianum sequitur Augustinus *Lib. IV de Baptismo contra Donatistas* Cap. 22. Ita enim loquitur de latrone*: Dum patitur, credidit.* Conversum autem esse ante prodigia in Domini morte patrata, intelligi potest ex Divo Luca, qui non meminit tenebrarum et aliorum miraculorum nisi post memoratam latronis conversionem. Varia sunt nomina, quae hisce latronibus affinguntur, at ipsa varietas eorum nomina incerta esse demonstrat : et eo magis, quod omnia ex putidis et apocryphis fontibus ortum habent. Pseudo-Evangelium Infantiae, latronem poenitentem vocat *Titum*, reprobum autem *Damachum* : Pseudo-Evangelium Nicodemi bonum vocat *Dimam* reprobum *Gestam*. In Historia Christi Xaveriana *Urcinus* et *Institutus* dicuntur. In Collectaneis Bedae adscriptis , Bonus *Matha* , malus *Ioca* vocantur. Nonnulli *Dismam* dixere reprobum, *Gestam* poenitentem. Baronius in Notis ad Martyrologium 8 Kalendas Aprilis de bono Latrone dicit: *Dimam hunc plerique appellant.* Ceterum cum de boni Latronis nomine non solum silent Scriptura et Patres , sed nec ullum ei nomen tribuunt Martyrologia Bedae , Usuardi, Adonis, et Romanum , in quo solum legitur : *Hierosolymis commemoratio Sancti Latronis , qui in Cruce Christum confessus. ab eo meruit audire: Hodie mecum eris in Paradiso.* Utrumque latronem paria demerita traxerunt ad Crucem. Sed Deus , qui juxta Paulum ad Romanos Cap. IX v. 18: *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat*, unum suae obstinationi reliquit ad perditionem, alteri suam gratiam contulit ad salutem. Erga unum voluit exercere judicium et justitiam, erga alterum misericordiam. Interiori ergo fidei dono illustratus a Christo, bonus ille Latro credidit et confessus est. Latro ille inter Martyres reputandus est, uti observat S. Augustinus *Libro 1 de Anima* Cap. 9. Quod etiam dicit S. Hieronymus Epistola 49 ad Paulinum, his verbis : *Latro Crucem mutat Paradiso, et facit homicidii poenam martyrium.* Nunc vero de verbis, quae illi dixit Iesus, *hodie mecum eris in Paradiso*, pauca quaedam observabimus. Hesychius Hierosolymitanus post vocem illam *Hodie* comma ponebat, ut sensus esset : *Tibi hodie dico, mecum eris in Paradiso.*

Maldonatus in Cap. 27 Matthaei num. 44 varias affert loci hujus intelligentias: ait enim nomine Paradisi coelum a quibusdam accipi, quo etsi Iesus Christus non nisi post quadraginta dies ascendit, tamen ut Deus ubique est, et ideo eodem illo die in coelo erat: alios existimare scribit, Paradisum quemcumque locum vocari, ubi sit Christus, et unde Deus perspiciatur; animam autem Latronis futuram Christo fuisse comitem, eodemque die Deum visuram, vere propterea dictum esse, futurum ut eo die cum Christo esset in Paradiso. Utramque refutat Maldonatus sententiam; eamque demum amplectitur, quae statuit, Paradisi nomine intelligendum esse Abrahae sinum, ubi Sanctorum animae, donec ad coelum pateret aditus, morabantur: illuc latronis animam secum adduxit. Haec sententia probatur Lamy, qui *Harmonia Evangelica* Lib. V Cap. 35; Iesu Christi verba ita explicat: *Non modo tui memor ero cum Regnum meum suam plenitudinem consequetur, sed hodie magna tibi afferam solatia, et ad illam te sedem mecum adducam, ubi tranquille degunt animae Abraham Isaac, Iacob.* Conveniens autem fuisse dicit Angelicus Doctor 3 part. q. 46 art. II, Christum cum latronibus crucifigi, ut impleretur etiam in hoc Isaiae oraculum Cap. LIII v. 9 unde Marcus Cap. XV v. 22 ait: *Et cum eo crucifigunt duo latrones, unum a dextris et alium a sinistris ejus. Et impleta est Scriptura, quae dicit: et cum iniquis reputatus est.* S. Ambrosius *Lib. X in Lucam* addit quod *mystice latrones duos populos peccatores significant.* Et S. Hieronymus super Caput 27 Matthaei: *Sicut*, inquit, *pro nobis maledictum Crucis factus est Christus: sic pro omnium salute inter noxios, quasi noxius crucifigitur.*

XVIII. Pendebat e Cruce mundi victima Iesus Christus, quando ad ejus demonstrandam Divinitatem quaedam evenerunt prodigia: tenebrae in meridie undique circumfusae, discissum velum Templi, terra ingenti motu concussa, aperta monumenta, mortui ad vitam revocati. De tenebris Christo moriente exortis scribunt Evangelistae, *Ab hora autem sexta* etc. atque de iis quaeritur, quomodo haec tenebrarum exspansio facta sit, num ubique terrarum, num etiam recensita in Li-

bris Gentilium. Factam dicimus cum Hieronymo in Caput XXVII Matthaei, sole radios suos retrahente. Neque enim id potuit esse solis deliquium sive eclipsis, quae certis quibusdam temporibus solet accidere, quando orbis lunae oppositus soli parit tenebras quasdam breves ac ferrugineas: nam id secundum Astronomorum numeros nunquam contigit in plenilunio, neque ad horas tres potest protrahi. Fuere itaque illae tenebrae extra causarum secundarum cursum, ac procul dubio eventus prophetico praenuntiatus oraculo. Amos Cap. VIII: *Et erit in illa die, dicit Dominus, occidet vobis Sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis.* At quousque sese tenebrae illae extenderunt? *Super universam terram* Iudeae putant aliqui, super universum terrarum orbem alii existimant. Ac primi moventur auctoritate Origenis idem scribentis in Caput XXXV Matth. Homilia, quod nemo barbarorum, nemo Graecorum, maxime qui Chronica scripsere, hoc litteris consignaverit: addunt tenebras illas propter solos Iudaeos, horumque sceleris execrationem fuisse inductas. Verum futilia haec sunt. Enimvero an unius Origenis auctoritate a litterali, perspicua, et obvia Scripturae intelligentia erit recedendum? At nullus inquiunt, Ethnicorum has tenebras commemoravit? falluntur. Meminisse, Phlegontem Hadriani libertum, eximiumque Chronologum scribunt Tertullianus, in *Apologetico adversus gentes Cap. 21;* Julius Africanus, apud Georgium Syncellum; Eusebius, in Chronico; Orosius, Lib. VII *Historiarum* Cap. 4. Meminit et Thallus quidam, qui ne fateretur tenebras illas miraculo contigisse, ajebat fuisse naturalem solis eclipsim, unde in illum praelaudatus Iulius Africanus invehitur. De iisdem tenebris ad Gentiles ait Lucianus Martyr: *Perquirite in Annalibus vestris, et invenietis temporibus Pilati, fugato sole, interruptum tenebris diem.* In vetustis quoque Sinensium Historiis contigisse Tiberii Caesaris aetate, et apud Sinas imperante Quamvutio *solare deliquium praeter ordinem naturae et leges curriculis astrorum praefixas*, refert ex Historia Hadriani Gessonii in *Demonstratione Evangelica* CI. Daniel Huetius. Fines varios indicant Sancti Patres et Scripturae Interpretes, S. Leo *Sermone X de*

Passione putat, solem obscuratum est, ad significandam Iudaeorum coecitatem. Alii solem obscuratum ferunt, in detestationem tanti facinoris, quod Iudaei in Redemptorem suum perpetrarunt. Alii, ut Divinitati Christi evidens testimonium daretur; cum enim Crucis supplicium valde ignominiosum esse, necesse fuit, ut non moreretur sine ingentibus miraculis. Alii ad significandum, justitiae solem occubuisse, juxta illud Amos: *Occidet Sol in meridie.*

XIX. Alterum prodigium est Veli in duas partes scissura: sed cum duplex fuerit in Templo velum, unum ad fores, alterum ad intimam Templi partem, quo *Sanctum Sanctorum* solis summis Sacerdotibus pervia; quaeritur, num velum illud interius, an exterius fuerit in Christi morte discissum. S. Hieronymus in *Epistola ad Hedibiam* videtur asserere conscissum velum exterius. Idem docet Origenes *Tract. XXXV* in Matthaeum. Sed Cyrillus Alexandrinus, in *Caput XIX Ioannis;* Euthymius, *in Matthaeum;* Leo Magnus, *Sermone* X *de Passione Domini;* scissum putant velum ante Sancta Sanctorum expansum. Recentiores quoque alii alias sunt sequuti sententias. Baronius ad annum Christi 34 num. 127 contendit, disruptum exterius velum fuisse, quod populo conspicuum erat. Serry, *Exercitatione* 57 num. 5; et Gottus, *de Veritate Religionis Christianae* Cap. 31 § 2 Baronio suffragantur. Cum iis sentiit Lamy, *Harmonia Evangelica* Lib. V Cap. 36; Suarez, *Tom. II 3 part. disput.* 39 sect. 2; de ea re sibi fatetur non liquere. Casaubonus itidem non constare scribit *Exercitatione XVI* in Baronium num. 30. Alii denique existimant, velum illud interius scissum esse, quod ante Sancta Sanctorum praetexebatur; quam sententiam ut communem nunc fere omnes sequuntur. Et re quidem vera hac scissione significatum est, per Christi mortem reseratum nobis esse coelorum aditum, revelata arcana, impletas figuras, et quae sacratiora erant Iudaeis Sacramenta, una cum veteri Sacerdotio abrogata: quas significationes tradit Apostolus ad Hebraeos Cap. VI scribens: *Spem sicut anchoram habemus animae totam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis, ubi praecursor pro nobis introivit Iesus, se-*

cundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in aeternum. Alii dicunt velum quasi vestem Templi fuisse, et quemadmodum Iudaei in luctu vestem scindere solebant, ita Templum, moriente Christo, lugentis modo vestem suam discidisse. Allusit ad hanc significationem Sedulius Lib. IV Carm. Nonnulli putant hac veli scissione significatam populo Iudaici in diversas partes divisionem et dissipationem. Quidam, Templum illud ad illud usque tempus sacrosanctum, deinceps fore profanum. Alii passionem Christi finitam esse. Alii existimant idcirco Deum ita voluisse, ut significaret a Templo divinam recessisse gratiam; et quo nulli fas antea fuisset ingredi, eo pateret omnibus aditus.

XX. Veli scissioni adjungit Matthaeus Cap. XXVII v. 51 terraemotum, petrarum fracturam, sepulchrorum apertionem. *Terra*, inquit, *mota est*, *et petrae scissae sunt*, *et monumenta aperta sunt*. Terra igitur mota est, quasi Crucifixum Dominum suum ferre non sustinens. Quaeritur in Iudaeane tantum, an vero alibi etiam concussa terra sit, petrae disruptae, et aperta monumenta. Origenes Tract. XXXV in Matthaeum, in Iudaea solum ea docet contigisse. Terram porro fuisse concussam, et aperta monumenta, petrasque disruptas etiam longe ab Hierusalem et Iudaea, verisimile est, nec desunt apud Baronium ad annum Christi 34 num. 128 monumenta ex historia deprompta, et apud Calmet in Matthaeum Cap. XXVII v. 51. Et sane Phlegon terrae motum item ut solis deliquium commemorat. Gretserus *Lib. I de Cruce* Cap. XXXIII veteri traditione ait esse acceptum, Alverniae montem in Etruria, et Promontorium prope Cajetam eo terraemotu esse discissa, ut hodie apparent. Petrae etiam scissae sunt ex terraemotu etiam in Monte Golgotha: unde S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi X n. 39: *Golgothas iste*, inquit, *Sanctus supereminens hucusque conspicuus, atque in praesentem diem fidem faciens*, *quomodo petrae propter Christum eo tempore sunt scissae*. Ita et Lucianus Martyr, apud Ruffinum *Historia Ecclesiastica* Cap. 6 qui Christianae Religionis defensorem agens sic Praesidenti alloquitur: *Si minus adhuc creditur, adhibebo vobis etiam loci ipsius, in quo res gesta est, testi-*

monium. Adstipulatur his ipse in Hierosolymis locus, et Golgotha rupes sub patibuli onere dirupta. Mystice autem petrae scissae sunt, inquit S. Thomas 3. p. q. 44 art. 4 ad 3: *Ad ostendendum, quod lapidea hominum corda per ejus passionem emollirentur, et quod totus mundus virtute passionis ejus erat in melius commutandus.* Aperta sunt insuper monumenta, ut declararetur, crucifixum esse Dominum vivorum et mortuorum, mortis et inferni domitorem, et in signum futurae resurrectionis omnium, ut volunt Hieronymus, *Epistola 150 ad Hedibiam* q. 8; et Ambrosius, Lib. X in Lucam; dicens: *Monumentorum autem reseratio quid aliud, nisi claustris mortis effractis resurrectionem significat mortuorum?*

XXI. Postquam Christus Dominus sexta feria, hora diei nona, in Cruce spiritum emisit, eodem die vespere corpus ejus de Cruce acceptum diligenter atque honorifice tegendum sepeliendumque curarunt Iosephus ab Arimathaea et Nicodemus, viri illlustres ac nobiles: hic mixturam myrrhae et aloes pondo librarum ferme centum corpori curando et ungendo suppeditavit: ille corpori reponendo novam sindonem, novumque sepulchrum excavatum in rupe horti, passus circiter quinquaginta a supplicii loco distantis, versus urbem ad Orientem. Ordo autem pollincturae fuit hujusmodi. Corpus, permissu Pilati Praesidis, Cruce depositum laverunt primum, lotum unxerunt, cum unxissent, nova mundaque sindone cum aromatibus involutum a pedibus ad collum usque fasciis infantium more colligarunt et sudario capiti superposito intulerunt in propinqui horti monumentum novum, quod deinde saxo ingenti ad ostium apposito occluserunt. Postero die magno Sabbati saxum a Principibus Sacerdotum concessu Pilati obsignatum est, et milites sepulcri custodes positi: ita volente Deo, ut testis ejus resurrectionis ipsa perfida gens esset, dum cavebat ne Apostoli, Corpore Christi per fraudem sublato, resurrectionem ejus spargerent in vulgus. Illud vero sedulo animadvertendum, Christi corpus in sepulchro fuisse conditum, quo nullum unquam antea cadaver injectum fuerat, ne, cum Christus revivisceret, calumniaretur quispiam, non Ie-

sum, sed alium ab eo surrexisse. Quod notat Hieronymus in Caput XXVII Matthaei: *Ne post resurrectionem, ceteris corporibus remanentibus, surrexisse alius fingeretur*. Conveniens fuisse, Iesum Christum mortuum sepeliri, ostendit S. Thomas 3. p. quaest. 51 art. 1: *Tum ad comprobandam veritatem mortis. Tum quia per hoc, quod Christus de sepulchro resurrexit, datur spes resurgendi per ipsum his, qui sunt in sepulchro, secundum illud Ioannis* Cap. V *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, et qui audierint vivent.* Sancta Syndon Hierosolymis diu custodita, inde Camberiacum in Sabaudia delata est, et in Sacello magnificentissime extructo posita, atque inde demum translata Augustam Taurinorum, ubi nunc magna fidelium pietate colitur. Sindonem hanc ipsissimam esse, in qua Christus Dominus involutus fuit; testantur Pontifices summi Paulus II, Sixtus IV, Iulius II et Clemens VII. Et quidem Sixtus IV anno 1480 decrevit, sacelli honore decorandam, et in quodam Tractatu, quem composuit de ipso sanguine, affirmat, *in ea ipsius Iesu Christi verum sanguinem, et imaginem conspici*, ut est in Diplomate Iulii II apud Raynaldum ad annum 1506 §. 44. Ipse autem Iulius II decessoris sui sententiam confirmans, statuit, quemadmodum Crucem, *in qua Christus pependit, ita ipsam Sindonem, in qua ipse Dominus noster Iesus Christus in monumento positus involutus fuit .... in qua Reliquiae humanitatis Christi, quam divinitas sibi copulaverat, videlicet ipsius veri sanguinis, ut praefertur, manifeste conspiciuntur, venerari et adorari debere.* Quod praestitit etiam Clemens VII ut legitur apud memoratum Raynaldum ad an. 1553 § 62 mandans Ludovico Presbytero Cardinali Apostolicae Sedis Legato de latere, ut diligenter curaret, sacram Sindonem ab incendio servatam *loco congruenti et honesto recondi, et cum debita veneratione teneri et custodiri.*

XXII. Ad Passionis Iesu Christi absolvendam historiam reliquum est, ut de anno, die, et hora, quibus mortuus est, pauca quaedam dicamus. Quod ad diem emortualem pertinet, vetus est traditio, Christum vigesima quinta Martii die obiisse, ut constat ex Tertulliano, contra Iudaeos Cap. 3; Augustino, Lib. XVIII

de Civitate Dei Capite ultimo; et Chrysostomo, in *Homilia in Nativitate Ioannis Baptistae*. Accedit Canon Paschalis Sancti Martyris Hyppoliti Portuensis ab anno D. 222 marmoreae tabulae incisus, et in agro Verano repertus anno 1551 in quo legitur : H. KAL ΑΠΡΕΙ ΠΑΘΟΣ $\overline{XC}$. VIII. *Kal. Aprilis passio Christi.* Servatur etiamnum cum Hippolyti statua in Vaticana Bibliotheca : neque in tam vetusto et insigni monumento possumus vel traditionis novitatem suspicari, vel inscitiam scriptoris, vel literarum depravationem. Confirmatur deinde vetustissimis Martyrologiis viginti mss. in celebrioribus Europae Bibliothecis, quae se legisse affirmat P. Henschenius Bollandista, omniaque consignare passionem Domini VIII. *Kal. Aprilis.* Consentiunt ex editis, Martyrologia Adonis, Usuardi, Hieronomyniana. Praeterea comprobant sententiam quam propugnamus, Kalendaria antiquissima, Palatinum, Beneventanum, Atrebatense. Praetermittendus non est Catalogus Romanorum Pontificium de quo vide Bucherium pag. 269 et volumen II Anastasii Bibliothecarii pag. 7. Quum insuper ab hac communi sententia tertiodecimo Ecclesiae saeculo recessisset Rogerus Bachonus, asserens Christum mortuum die 3 Aprilis, rejectus est ab omnibus, ac suspectus de errore habitus est, ut ex Wadingo refert ad annum 32 num. VIII Antonius Pagius. Turbas excitasse plurimas etiam Tostatum, dum sedente Eugenio IV Senis eamdem Bachoni sententiam instaurare conaretur, affirmat ibidem Pagius. *Erat hora tertia*, inquit S. Marcus, Cap. XV v. 25 *et crucifixerunt eum :* Ioannes autem, Cap. XIX v. 14 *erat Parasceve Paschae hora quasi sexta.* Itaque Marcus horam Crucifixionis Christi ex fine vocavit *Tertiam*, Ioannes autem ex initio quasi *Sextam*. Ex quo apparet, Christum Dominum in Crucem actum fuisse sub meridiem, ideoque sub finem horae, quae nunc Italis duodevicesima nuncupatur. Tunc enim quatuor praesertim horas numerabant, *Primam*, *Tertiam*, *Sextam*, et *Nonam*, singulas constantes horis tribus modo longioribus, modo brevioribus juxta diversam anni tempestatem. Prima incboata ab ortu solis durabat usque ad horam diei tertiam : inde *Tertia* usque ad meridiem: a meridie inciebat *Sexta*, et tribus post meridiem ho-

ris *Nona*, quae hora diei duodecima, et occidente sole finiebatur, unde noctis vigiliae pariter quatuor ducebant exordium. Ratio autem sic dividendi duodecim horas communes in quatuor praedictas partes majores erat, quia Sacerdotes Iudaici quatuor illis diei temporibus (nempe circa *Primam*, *Tertiam*, *Sextam* et *Nonam* solebant suas preces et sacrificia, aliaque ad Iudaicam Religionem pertinentia peragere: unde hae quatuor appellabantur *Horae sacrae*. Altera sententia, quam Cl. Weitenaver *Notae ad Marcum* Cap. XV v. 25 optimam censet et quae etiam auctoritate S. Clementis, S. Ignatii M. confirmatur, est explicatio Riberae, *Commentaria in Ioannem* Cap. XIX v. 14; et Bulleti, *Réponses Critiques* Tom. II num. 34; et illorum, qui dicunt recte asseri a S. Marco Iesum Christum *hora tertia* fuisse crucifixum; quia tunc Pilatus ob clamores Iudaeorum, *crucifige, crucifige*, Christum ad mortem Crucis iam destinavit; et pariter recte dici a S. Ioanne eum crucifixum esse circa *horam sextam*, quia tunc crucifixio reapse peracta est. Marcus ergo originem et inititium Crucifixionis per *horam tertiam* indicavit, Ioannes vero ejus executionem et complementum per *horam sextam* assignavit. Quoad tempus vero aetatis mortis Iesu Christi, non una est Sanctorum Patrum opinio. Eum enim anno vitae suae trigesimo crucifixum esse scribunt Clemens Alexandrinus, *Libro I Stromatum*; Tertullianus, *Libro adversus Iudaeos*. Hanc sententiam tuentur Iulius Africanus, apud Hieronymum in Caput IX Danielis, et Lactantius, Lib. IV *Institutionum* Cap. I; Origenes, *Tractatu* XXXV in Matthaeum; Philastrius Brixiensis, *Libro de Haeresibus*; et Chrysologus, *Sermone* 151; volunt eum fuisse passum anno trigesimo primo vitae suae, et S. Epiphanius anno trigesimo secundo, et Chronicon Alexandrinum anno trigesimo quarto. Interea, cum tacito quodam Ecclesiae consensu probata, atque etiam communis videatur opinio, Christum mortuum esse trigesimo tertio aetatis suae anno, seu ineunte, seu jam expleto, sive etiam tribus additis mensibus, ut existimavit Baronius, Imperii Tiberii decimo octavo, vel decimonono.

CAPUT IX.

DE SABBATO SANCTO.

I. Sabbatum hoc antonomastice appellatur *Sanctum*, propter requiem Christi, in cujus morte sanctificati sumus: vel propter baptismum, quod fit hodie, in quo nova Ecslesiae plebs sanctificatur. Hanc solemnitatem Sanctus Gregorius Nazianzenus *Oratione* XLIII confinium Sepulturae, et Resurrectionis Iesu Christi iure ac merito appellat. In Ordine Romano Officium nocturnum a media nocte incipiebat. Ad Matutinum Psalmi sunt proprii; ad Laudes Psalmi, et Canticum Feriae tertiae, propterea quod ad exprimendam Dominicam Sepulturam aptiores visi sunt. Altaria solemniter parantur, quia jam Ecclesia incipit Resurrectionis praeludia celebrare; et Christus in Resurrectione stolam gloriae induit, uti observat Durandus Lib. VI Cap. 85 num. 1. Per novum ignem incipitur hodiernum Officium. Constans et perpetua fuit Ecclesiae disciplina, ut nulla re utatur, quin eam prius benedixerit. De benedictione novi ignis in Sacramentario Sancti Gregorii nulla fit mentio, et ex Epistola Zachariae Romani Pontificis data ad S. Bonifacium Moguntinum Antistitem colligitur, Ignis novi a silice, seu crystallo extracti benedictionem ignotam fuisse Romanae Ecclesiae saeculo VIII viguisse tamen in aliquibus locis, maxime in Galliis probat Bonifacii interrogatio, ad quam respondit praefatus summus Pontifex. De hac benedictione intelligendus videtur Leo Papa IV in Homilia de *Cura Pastorali*, ubi ait: *In Sabbato Paschae, extincto veteri, novus ignis benedicatur, et per populum dividatur, et aqua similiter*. Quae quidem verba leguntur etiam in Epistola Synodica Ratherii Veronensis Episcopi ad Presbyteros suae Dioecesis, quae reperitur in Spicilegio Dacheriano. Habetur etiam mentio de usu excutiendi novum ignem ad Cereum Paschalem accendendum in Ordine Romano Cajetani, in quo legitur: *Ignis excutitur de Cristallo sive lapide, et accenditur*, et referuntur tres Orationes, quae in Benedictione ignis dicebantur. Ec-

clesiae Florentinae mos olim fuit ignem ipsum excutere ex silice Ierosolymis allato. Locus faciendae Ignis novi benedictioni destinatus in Ordinario Narbonensi notatur ad *Cornu Altaris*, in Missali Praedicatorum ad gradum Presbyterii. Unica in quibusdam Ecclesiis oratione peragebatur ipsa bededictio, plures nonnullae adhibebant. Ex benedicto novo igne non Templi lampades solum et Cerei, sed ipsi etiam Civitatis foci accendebantur. Thomassinus *de dierum Festorum celebratione* Lib. II Cap. 14 ostendit consuetudinem fuisse quarumdam Ecclesiarum, ut quotidie ignis excuteretur, solemniter vero in Sabbato Sancto, quae consuetudo ineunte Saeculo XI ad solam Sabbati Sancti diem contracta fuit. Et Pouget in *Institutionibus Catholicis* Tom. I pag. 847 eam proponit quaestionem, *Cur hodie fit solemniter benedictio ignis recens excussi e silice?* atque ita respondit: *Hic est vestigium antiquitatis*. Novus ignis uti observat Quarti *De Benedictionibus* Tit. 2 sect. 4 de silice excussus, Christi resurrectionem figurat. Sicut enim ex frigido lapide rutilans ignis excutitur; ita e sepulchro lapideo, Corpus Christi jam mortuum, vivum, et splendidum surrexit, et nova luce refulsit, atque nobis aeternae lucis contulit claritatem. Extra portam Ecclesiae communiter benedicitur ignis, quia Christus extra Civitatem fuit passus, et propterea exeamus ad eum extra castra, ut inquit Apostolus. Cum Cruce, et aqua ignem benedicimus, ut nos in passione Christi, per quem Spiritum Sanctum accepimus, lotos esse significemus. Novus ignis inquit Durandus Lib. VI Cap. 80 num. 1 benedicitur, ut Christus, qui est lumen indeficiens, et ignem venit mittere in terram, illuminare dignetur sensus, et corda nostra.

II. De Arudine, et de tribus candelis expressus sermo habetur in Ordine Romano Cajetani ubi §. 94 legitur, quod *Diaconus junior accipit Arundinem trium cubitorum, et triplicem candelam, quam de novo igne illuminatam imponit Arundini*. Rursus de eadem Arundine, et praedictis tribus candelis fit etiam mentio in Ordine Romano Amelii, et in Pontificali manuscripto Ecclesiae Apamiensis in Syria. Quis tamen fuerit Auctor Arundinis, et cui saeculo referenda sit ejus ori-

go, penitus ignoratur. Bissus in suo Opere Lit. A. n. 460 §. 4 cum multum de origine talis Arundinis quaesierit, fatetur se nihil invenisse. Martene *de antiqua Ecclesiae Disciplina in divinis celebrandis Officiis* Cap. 29 ubi erudite satis suo more disserit de Ritibus Officii hujus diei, nullum verbum facit de origine hujus Arundinis. Haec Arundo in veteri Disciplina Monastica, edita a Marquardo Heergott Monacho Benedictino S. Blasii in Germania Cap. 68 vocatur *Pertica cum candelis*. In Pontificali Ecclesiae Pictaviensis, et in Missali manuscripto Ecclesiae Arelatensis iste Cereus trium candelarum, dicitur, quod sit dispositus in modum *Colubri*, in figuram *Serpentis*. In Caeremoniali Cluniacensi nec non in Concordia S. Dunstani describitur haec Hasta cum imagine Serpentis, cum candela, quae in ore praedicti Serpentis infixa est. Ioannes Abrincensis, Cereus, inquit, accendatur in quadam Hasta, in cujus summitate effigies Serpentis habeatur. Ex hucusque dictis, patet antiquissimum esse praedictae Arundinis usum, ad accendendum Cereum Paschalem. Quamvis non desint, qui censent, originem predictarum trium candelarum repeti debere ab usu adhibendi tres candelas simul nexas ad modum parvuli intortitii, ne flante vento facile extingui possit, sicut etiam praecipitur ab aliquibus Coeremonialibus. Nihilominus P. Merati valde antiquum in Romana Ecclesia existimat usum praedictarum trium candelarum ab antiqua forma tricerei Graeci desumptum, ad designandum, ut optime Gavantus interpretatur mysterium Unitatis Divinae Essentiae, et Trinitatis Divinarum Personarum; et quidem Ritus Latinus praescribit, ad novum luminis fulgorem cani debere: *Lumen Christi, Deo gratias;* quapropter clarissimus Vir Ludovicus Thomassinus Lib. II Cap. 14 de *Dierum Festorum celebratione* n. 7 ait: *In Trinitatis honorem Cereum in tres divisum accendimus, rati nos Jesu Christi lumine fusos Trinitatis penitiora mysteria nosse.*

III. Amalarius, Libro I de *Divinis Officiis* Cap. 18; vulgatus Alcuinus, Micrologus, Capite 5; Pontificale Apamiense, Ordinarium Rhotomagense, Missale Tolosanum, cum nonnullis Auctoribus recentioribus, institutionem Cerei Paschalis Zosimo Papae tribuunt anno 417.

Grancolas tamen Libro secundo *sui Commentarii Historici in Breviarium Romanum* Cap. 66 contendit, nullum extare vestigium talis Cerei ante Ennodium Sexto Saeculo, et ante quartum Concilium Toletanum, cui quidem opinioni adhaerere non possumus, quia Cerei Paschalis Benedictio altius ab Ennodii aevo profecto repetenda est. Immo etiam Zosimo Papa antiquiorem esse pro certo habent Martene, Merati et alii plurimi; huic enim Pontifici Liber Pontificalis tribuit non ejusdem Cerei institutionem, sed quod licentiam benedicendi Cereum Paschalem concesserit singulis Parochiis; unde asserunt, quod Cardinalis Baronius, nec non Franciscus Pagius in Historia dicti Pontificis, non ita intelligendum est, quasi Zosimus Cerei Paschalis usum primus instituerit, sed quod a Zosimo hoc tantum institutum est, nimirum, ut idem Cereus, qui in majoribus tantum Basilicis incendi soleret, aeque singulis Parochiis concederetur. Quapropter ritus accendendi, et benedicendi Cereum Paschalem in Basilicis, seu Ecclesiis majoribus inolevit sane, antequam Zosimus Ecclesiam regeret. Ejusdem Cerei antiquitatem, et institutionem ante Zosimum Papam alii colligunt ex Prudentio, cujus hymnus ad *Incensum Cerei Paschalis* compositus reperitur in veteri Ordine Romano. Verum, quia hymnus ille in manuscriptis Codicibus inscribitur: *Ad incensum Lucernae*, non vero ad *Incensum Cerei Paschalis*: idcirco viri eruditi, nimirum Iacobus Sirmondus, *in notis ad Ennodium;* Menardus, *in Observationibus ad Concordiam Regularum* Cap. 24 §. 5; Nicolaus Heinsius, *in nova Prudentii editione;* et Iohannes Mabillon, *in Libro Secundo de Liturgia Gallicana;* inferunt, eumdem hymnum ad accendendas in Lucernario, seu Vesperis quotidianis Lucernas, fuisse compositum; idque aliis etiam rationibus ostendunt iidem Menardus, et Mabillon. Advertendum est etiam, quod una cum Cereo benedicebatur lampas, qua Cereus accendebatur, ut in Concilio quarto Toletano traditur: *Lucerna* et *Cereus in pervigiliis Paschae;* et legitur etiam in Missali Mozarabico, ubi primo habetur, *Sic benedictio Lucernae*, in qua benedictione verba exstant S. Isidori; deinde, *Sequitur Cerei benedictio* cum orationibus propriis. In antiquo Pontificali Reinensi Sacer-

dos pergit retro Altare ad accipiendum lumen, quod reconditum fuerat in fine Laudum, et signo Crucis signatum Cereum accendit.

IV. Dum Cereus benedicitur, interea canitur celebris hymnus *Exultet*, quem quidam infirmis ducti rationibus innixi Petro Diacono Cassinensi tribuunt, qui Saeculo vixit duodecimo. Illud enim constat ex minime dubiis argumentis, ante quadrigentos annos illum hymnum cani in Gallia consuevisse, ideoque probabilius est scriptum esse a Divo Augustino, ut ostendit Martene. In antiquis Gallicanis Liturgiis benedictio Cerei non est conformis in omnibus Codicibus, quia in variis non parum dissidet. Et re quidem vera a S. Hugone Abbate Cluniacensi expunctum fuisse locum illum, ubi peccatum Adae dicitur necessarium et felix, quod Dominum meruerit habere Redemptorem. Praeterea ut observat Martene, S. Hugo non fuit primus, qni praedicta verba ex Benedictione Cerei Paschalis delevit, nam ea desiderantur etiam in vulgato antiquo Ordine Romano, in Gallicana Liturgia Codicis Bobiensis, in duobus Codicibus Ecclesiae Turonensis, in Rituali Ecclesiae Senonensis, et in Rhemensi pervetusto, denique in Missalibus Coloniensi, et Melodunensi. Ex antiqua vero Ecclesiae Romanae traditione Cereus Paschalis benedicitur a Diacono, sed in Ecclesia Ravennensi ista benedictio ab ipso Episcopo peragi solebat. Diaconus autem priusquam benedictionis preces cantare inciperet, in ipsius Cerei stipite annos Dominicae Incarnationis et praesentis anni Indictionem stylo imprimebat, ut fidem faciunt antiqui Libri Missales. In quibusdam locis Inscriptioni praemittebantur duae litterae Graecae A et Ω. Praeter annum Incarnationis et Indictionis nonnulli plura addebant, quae in Tabella Cereo benedicendo appendenda inscribebantur Cerei Paschalis benedictio, aut in Ambone, vel in Choro ad gradus Presbyterii, ubi solet columna, cui affigitur, constitui, decantabatur. Cumque Diaconus ad haec illius verba *Suscipe sancte Pater hujus incensi sacrificium vespertinum*; in quibusdam Ecclesiis quinque grana incensi in modum Crucis Cereo affigebat. Ad haec vero verba *mutuati luminis detrimenta non sensit* septem lampades et duo Cerei ac-

cendebantur. In Ecclesia autem Neapolitana moris fuit ut Cereus sanctus enormi mensura porrectus propter Dominicae Resurrectionis honorem, a Benedictionis exordio, usque ad alterius diei Missarum expleta solemnia non extingueretur, ut habent Acta manuscripta Archiepiscoporum Neapolitanorum.

V. In quibusdam Ecclesiis juxta Durandum additur alter Cereus minor. Primus major benedicitur in personam Iesu Christi dicentis: *Ego sum lux mundi*, alter in persona Apostolorum, quibus ipse Dominus dixit: *Vos estis lux mundi*. In aliis vero Ecclesiis duo alii parvi Cerei accenduntur a majori, et statuitur unus ab una parte Cerei benedicti, alius ab alia, qui significant Sanctos Novi et Veteris Testamenti, qui per Christum illuminati sunt. De veteri Romanorum Pontificum consuetudine benedicendi et consecrandi Ceras quasdam, quae *Agnus Dei* appellantur disserit Benedictus XIV Lib. IV *de Canonizatione Sanctorum* part. 2 Cap. 20 num. 12. Illud hic adnotare libet, ritum ejusmodi a quibusdam ad morem illum referri, cum fidelibus particulae quaedam cerae e Paschali Cereo benedicto aextractae distribuebantur. Durandus Lib. VI Cap. 79 ita testatur: *Hac die Acolythi Romanae Ecclesiae faciunt agnos de cera nova benedicta, vel de cera Cerei Paschalis anni praecedentis, admixto Chrismate, qui in Sabbato in Albis in Ecclesiis per Dominum Papam populis distribuuntur*. Omnem Cerei Benedictionem Rupertus Abbas pulcherrime explicat de *Divinis Officiis* Cap. 28 et seqq: *Cereus* ait, *significat eumdem Dominum nostrum resurgentem suorum tristitiam Discipulorum, immo mundum universum laetitiae competentis claritate serenantem. Diaconus illi quinque incensi grana affigit, ut significetur Christi Corpus Iosephi ab Arimathaea et Nicodemi opera aromatibus esse conditum. Quinque foramina ad figuram Crucis in Cereo excavata, quo grana incensi injiciuntur, quinque Christi exprimunt vulnera. Benedici tamen a Diacono, ut significetur, non ab Apostolis Corpus Christi, sed a Discipulis aromatibus esse delibutum, ejusque Resurrectionem sanctis mulieribus prius, quam Apostolis praenunciatam*. Sed ad rem audiatur Quarti in Libro cui titulus: *De Benedictionibus*

Tit. II. *Sect.* 6 Praeludium II: *Cereus* inquit, *significat Christum, in sua resurrectione nova claritate fulgentem. Per ceram enim ejus caro, per lumen autem, ipsius divinitas. Benedicitur autem hodie, ad repraesentandum mysterium ipsius Resurrectionis, quoniam virtute divinitatis a mortuis resurgens, novum lumen immortalis vitae recepit. Cantatur Exultet ad excitandum populum ad actus gaudii, et amoris erga Redemptorem, triumphatorem mortis, et Diaboli; et ad actus gratiarum actionis, ob innumera beneficia, quae nobis ex tanto mysterio proveniunt, sicut ex ipsis Praeconii verbis constat. Thuris grana significant aromata, quae mulieres emerunt, ut ungerent Crucifixum. Quinque sunt numero, in memoriam quinque plagarum Christi. In Cereo infiguntur; quia plagas in suo Corpore recepit Christus, in Cereo figuratus. Denique in Crucis modum disponuntur, ad significandum immolationem Christi, in ara Crucis factam.* De Cereo accendendo in Tempore Paschali nihil habetur apud antiquos, nisi quod ex Ordine Romano, et Micrologo Cap. 53 in Octavis Paschae distribui solitus fuit Cereus benedictus. Sacra Rituum Congregatio 19 Maji 1607 censuit, accendi debere ad Missas, et Vesperas solemnes in triduo Paschatis, in Sabbato in Albis, et Dominicis usque ad Ascensionem, in aliis servandam esse consuetudinem locorum. Ultra dies descriptos, in quibus accendi debet Cereus Paschalis, placet etiam, immo juxta Merati videtur conviens usus accendendi dictum Cereum in Festis Apostolorum, Patroni, ac Titularis, et Dedicationis Ecclesiae, et in omnibus Festis Sanctorum de praecepto; immo et in diebus Festis Sanctorum non de praecepto, sed solemniter in Choro celebratis. Item in Missis Votivis solemnibus pro re gravi dummodo non adhibeatur color violaceus.

VI. Cerei Paschalis benedictionem sequuntur Lectiones ad Catechumenorum instructionem olim recitatae, quae tamen antiquitus praecessisse videntur. Id sane constare innuit antiquus Ordo Romanus ad usum Corbejensis Monasterii ante annos 800 accomodatus. De Lectionum numero ita scribit Ioannes Belethus in *Explicatione Divinorum Officiorum* Cap. 106: *Tandem vero vigintiquatuor in quibusdam Ecclesiis leguntur Lectio-*

nes. Ac Romae quidem hoc pacto fieri solet, ut duodecim recitentur graece, et totidem latine. In nonnullis autem Ecclesiis legunt tantum duodecim, et in nonnullis dumtaxat septem. Et Durandus Lib. VI *Rationalis* Cap. 81: *Lectiones autem in quibusdam Ecclesiis leguntur quatuor, in quibusdam sex, in quibusdam duodecim, et in quibusdam quatuordecim.* Certe quatuor Lectiones et non plures recenset Amalarius, .Lib. I. Caput 19; vulgatus Alcuinus, Rupertus, Lib. VII *de Divinis Officiis;* Codex Ecclesiae Turonensis, Rituale S. Martini, Ordinarium Lugdunense, et Missale Arelatense. Sacramentarium S. Gregorii octo designat, Gelasianum decem, Comes Hieronymi duodecim. Quod autem dicit Belethus Romae duodecim Lectiones graece et totidem latine fuisse recitatas, hoc est viginti quatuor, confirmatur ex Pontificali Apamiensi, in quo idem repetitur. Verum in primo Ordine Romano ex editis a Mabillonio *Musei Italici* Tom. II quatuor dumtaxat graece cum quatuor latinis, idest octo recensentur. Scribit etiam Durandus ex his qui duodecim pronuntiant Lectiones aliquos sex graece totidemque latine cantare. Hic autem ritus Romanae Ecclesiae singularis non extitit, nam et in Cassinensi olim Monasterio Lectiones in Vigilia Paschae et Pentecostes graece et latine legebantur, uti testatur Leo Marsicanus in Chronico Cassinensi Lib. I Cap. 32. Lectiones istae diversimode distributae propriam habebant singulae Praefationem, ut earum sensus populo exponeretur. Hae Lectiones Prophetiae appellantur et ad Baptismi Sacramentum respiciunt, cujus administratio erat peculiaris hujus diei Caeremonia. Lectiones aut in Ambone, aut in medio Chori ad Aquilam seu Pulpitum, aut alio loco pronuntiabantur: et quidem a dignioribus descendendo ad inferiores. Sine Titulo leguntur Lectiones, quia adhuc sine capite Christo, nondum viso ab Apostolis, videtur esse Ecclesia, uti bene notat Rupertus Lib. VII Cap. 9 vel ad repraesentandam caecitatem Catechumenorum, qui nesciunt doctrinae nostrae originem, uti observat Alcuinus. Cantica tria, sive Tractus, sunt inditia exultantium Catechumenorum de proximo Baptismo, sed non sine timore, unde et Tractus, idest luctus, vocatur.

Orationes indicant desideria, et expectationes Sanctorum Patrum circa Redemptionem, per Iesu Chsisti Resurrectionem.

VII. Inter ea, quae sapienter instituta sunt, ut sacro majoris hebdomadae tempore Christianorum pietas, ac Religionis cultus magis excitetur, Baptismalium Fontium benedictio adnumeratur. Basilius quidem Magnus Caesariensis Episcopus Libro *de Spiritu Sancto* Caput 28 hanc consuetudinem ab Apostolis traditam, et in posteros derivatam testatur; quam Deus etiam certissimis signis palam comprobavit, ut in egregiis Commentariis *de Gloria Martyrum*, a S. Gregorio Turonensi sexti saeculi Scriptore exaratis luculenter ostenditur. Eadem veritas comprobatur etiam auctoritate S. Cypriani, qui Epistola 70 ad Ianuarium ait: *Oportet ergo mundari, et sanctificari aquam prius a Sacerdote, ut possit Baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere.* Et Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi* III inquit: *Sic aqua munda ad invocationem Spiritus Sancti, et Christi virtutem accipiens, Sanctitatem consequitur.* Gregorius etiam Pontifex ob virtutem, ac sapientiam cognomento Magnus hujus vetustissimi ritus ordinem accurate, diligenterque complectitur in Sacramentario, quod Hugo Menardus in lucem edidit, praeclaris notis exornatur. Aliae Sanctórum Patrum auctoritates, quibus praefati ritus antiquitas ostenditur legi possunt praesertim apud Iosephum Vicecomitem in Libro I *de Antiquis Baptismi Ritibus, et Caeremoniis* Cap. 14 a quo etiam, Cap. 15 pereruđite traditur, quibus Caeremoniis Aqua Baptismalis benediceretur. Benedictionis formula non eadem fuit ubique, sed plane diversa. Alia est enim quae in Gelasiano ac Gregoriano Sacramentario reperitur, alia quae in Liturgiis Gallicanis, alia quae in Missali Mozarabum, alia quae in Ambrosiano. Quod spectat ad ritus in ipsa Benedictione observari solitos, hi praesertim recenseri possunt, Crucis in aquam impressio, insufflatio triplex, Cereorum in aquam immersio, Chrismatis infusio, aquae benedictae distributio. Dum ad Fontem proceditur, Antiphonam cani interea, *Sicut cervus*, ut declaretur, Catechumenos sancto desiderio flagrare, ut ad fontem gratiae Baptismum perve-

niant, non aliter quam cervi sitibundi ad fontem aquarum convolant, suam ut expleant sitim. Praemittit celebrans uti observat Durandus Lib. VI Cap. 82 num. 3. Orationem ante Benedictionem fontis, quasi Deum invocans, a quo omnis procedit benedictio, ut sit praesens tantis mysteriis. Hinc etiam in Praefatione, monet adstantes ad Deum corda elevare, ad eumdem finem, ut Deus audiat. Aquam manu tangit, quo ritu significatur assistentia Spiritus Sancti ut existimat Quarti de *Benedictionibus Tit. II* sect. 7, qua territi spiritus maligni abscedunt, et aquae natura vim sanctificationis concipit; siquidem per impositionem manus conferebant Apostoli virtutem Spiritus Sancti. Pluries Sacerdos facit Crucis signum supra Fontem, quem benedicit, ut omnem virtutem Baptismi ex passione, et Cruce Christi emanare significet. Effundit aquam versus quatuor mundi partes; ut invitentur ad Baptismum omnes Nationes totius mundi; ad differentiam Circumcisionis, quae pro solis Iudaeis fuerat instituta, ut bene notat Quarti ibidem. Halat suaviter in aquam, ut ait Belethus, ad significandum, fidelem facile diabolum posse abigere; levi enim flatu potest repelli ab illo, qui in Domino confidit. Cereum deinde in aquam semel, iterum, et tertio immergit, et inde tollit, ut Spiritus Sanctus sua plenitudine Fontem impleat, sicut quando descendit in specie Columbae in Baptismo Christi adumbrati in hoc Cereo demerso in aquam: elevatio autem ejusdem Cerei significat effectum Baptismi, qui confert gratiam elevantem a peccato ad gloriam. Aliam explicationem affert Quarti ibidem. Immergitur Cereus in aquam, ut significetur, per Corpus Christi, quod in Cereo figuratur, aquam fuisse sanctificatam, et vim regenerationis accepisse, quando ipse Christus in suo Baptismo descendit in aquam Iordanis. Ter sufflat in aquam, ut descendat virtus Spiritus Sancti in Baptismum, ad exemplum Christi, qui insufflans dixit: *Accipite Spiritum Sanctum.* Ideo autem ter insufflat, quia Spiritus Sanctus tria in Baptismo operatur; purgat enim a vitiis, et peccatis; virtutibus ornat; et perseverantes coronat. Celebrans post factam aspersionem infundit in Baptisterium, nempe in aquam Baptismatis jam benedi-

ctam Oleum Catechumenorum in modum Crucis, dicens: *Infusio Chrismatis*, etc. et in fine respondetur Amen: postea accipit ambas ampullas dicti Olei Catechumenorum, et Chrismatis, et de utroque simul in modum Crucis infundendo dicit: *Commixtio Chrismatis* etc. Fundi Chrisma in Fontem Baptismalem, est mos antiquus, et hoc colligitur ex S. Gregorio Turonensi Lib. I *de Miraculis* Cap. 24 ubi ait: *Tunc cum Exorcismo sanctificatam, conspersum desuper Chrisma, omnis populus cum devotione accipit. Et Libro I Historiae* Cap. 31 ubi dicit: *Baptisterium componitur, Balsama diffunduntur.* Chrisma infunditur in aquam baptismalem in modum Crucis, ex more antiquo, quem videre est apud Dionysium Cap. 2 et 4 *Ecclesiasticae Hierarchiae* idque faciunt etiam Graeci, et Orientales tribus vicibus, ut constat ex eodem Dionysio citato Capite. Idem liquet ex Euchologio Graecorum. Fit admixtio Olei, et Chrismatis cum aqua; uti bene animadvertit Quarti ibidem, quia in Baptismo fideles populi, per aquam significati, uniuntur, et incorporantur Christo, per Chrisma, et oleum significatio. Baptismalis aqua hac die et in vigilia Pentecostes solemniter benedicitur, quia in vigiliis Paschae et Pentecostes mos erat olim solemniter baptizandi.

VIII. Post Benedictionem Fontis, et post collatum Baptisma, praesertim Catechumenis, si qui fuerint baptizandi, Celebrans, et omnes alii redeunt ad Altare eodem ordine, quo accesserunt ad Fontem; interim vero, dum scilicet ad Altare procedunt, duo Cantores incipiunt cantare Litanias, et Chorus respondet, repetendo illud idem, quod Cantores dixerunt, ut sic Litaniae dicantur ritu Duplici. Talis enim est sensus Rubricae Missalis, quod nempe Litaniae incipiantur, cum Celebrans, et alii de Fonte ad Altare procedunt, et ita tradunt Bauldry, *Art. 5 num. I*; Bissus, *Littera S. num.* 6 §. 13. Aliqui tamen Doctores nolunt Litanias incipi ad locum Fontis, sed in Choro, juxta Caeremoniale Episcoporum, clare tamen est Rubrica Missalis praescribens, ut incipiantur ad Fontem, ut supra dictum est, et talem esse frequentiorem usum Ecclesiarum Parochialium; convenientius est, ut qui ad Fontem cantando

accesserunt, cantando etiam revertantur. Meratus in Notis ad Gavantum pag. 1168 existimat, primum modum esse in inferioribus, alterum in Cathedralibus Ecclesiis servandum. Inferioribus Ecclesiis Rubricas Missalis, Cathedralibus vero Caeremoniale Episcoporum normam esse debere. Triplex hac die Litania decantabatur, *septena*, *quina*, et *terna*, sic dictae quod primae invocationes singulae septies repeterentur, secundae quinquies, ter tertiae. In Ecclesia Parisiensi Officium incipiebat a septena Litania, quam tres Diaconi, tresque Subdiaconi Canonici decantabant, deinde pronunciabat Diaconus Cerei Paschalis benedictionem, postea recitatis in Choro Lectionibus, duo Diaconi cum duobus Subdiaconis quinam Litaniam persolvebant. Tertia post Fontis benedictionem cantabatur. Eumdem Officiorum Ordinem videre est in Pontificali Bisuntino. Idem fere erat etiam Ecclesiae Augustensis, cujus ritum videre est in vita S. Udalrici Episcopi Cap. 4. In Sacramentario S. Gregorii, et in Ordine Romano praescribitur, ut quando in Litaniis canitur Agnus Dei, Altaris lumina accendantur, lumen enim Fidei per Christum Agnum Dei nobis illuxit, ut bene notat Amalarius Lib. I Cap. 30. Litaniae cantantur post Fontis baptismalis benedictionem, et Baptismi collationem; quibus significatur consortium Sanctorum cum nuper baptizatis uti docet Gavantus P. IV Tit. X num. 30.

IX. Celebrans, et Ministri Sacri, sumptis paramentis albis pretiosis sibi respective convenientibus, procedunt, ut mos est ad Altare pro Missa solemni celebranda ordine solito. Finita Confessione, et incensato Altari more solito, non dicitur Introitus, nam haec Missa eo caret, quia Introitus est veluti introductio ad publicas preces; unde cantabatur ad occupandos adstantes, donec Sacerdos veniret ad Altare, et universus populus foret adunatus, eo iam nihil est opus in hac Missa; populus enim iam convocatus. Rursus cum decantatum sit *Kyrie* in Litaniis, mos jam olim fuit, ut Missa haec ab intonatione *Gloria in excelsis* inchoaretur. Intonato Hymno *Gloria in excelsis*, et non prius pulsantur omnes omnino Campanae, quae sunt in Ecclesia, et Cappellis, et tintinnabula, quae inserviunt ad

elevationem Sacramenti in Missis Privatis. Epistola sumitur ex prima, quam scripsit Divus Paulus ad Corinthios, qua recens baptizatos monet, ut resuscitato cum Christo, nulli rei praeterquam caelestibus studeant. Lecta Epistola, Sacerdos canit *Alleluia,* quae a Septuagesima usque ad Pascha omittitur, propterea quod tempus illud poenitentiae, moerori, et luctui addictum est. Hoc autem die *Alleluia* revocatur; etsi enim ejus vocis non alius est sensus litteralis, quam *laudate Deum;* tamen, si ejus spectetur usus, exclamatio quaedam est laetitiae, ut idem fere valeat, quod valeat apud Latinos *plaudite.* In Quadragesima quoque interdum ea vox adhibebatur, quam prorsus amovit Gregorius Magnus, ut patet ex Epistola 64 ad Ioannem Episcopum Syracusanum Alleluia, quae laetitiae vox est, Tractus consequitur, qui doloris signum est. Evangelium ex primo Evangelistarum Matthaeo desumptum Resurrectionis historiam designat; nec ad Evangelium afferuntur lumina; cum enim nondum se Christus reviviscens conspicuum praebuisset, Fides idcirco adhuc erat obscura juxta Alcuinum. In Missa hujus diei non dicitur deprecatio illa quae Offertorium communiter appellatur. Hujus omissionis rationem mysticam, ex Alcuino desumptam, affert Gavantus, nimirum quia Mulieres sub silentio ibant cum aromatibus ad Sepulchrum. Walafridus Strabo de Rebus Ecclesiasticis Cap. 22 postquam cum Alcuino praedictam rationem mysticam de Sabbato Sancto: *Non cantatur offerenda . . . . . ad memoriam reducitur Sacrificium, seu silentium Mulierum: Ipsae enim tantummodo unguenta detulerunt;* prosequitur deinde, et assignando aliam rationem literalem, cur hac die non dicatur Offertorium ait: *Cum vere credamus priscis temporibus Patres Sanctos silentio obtulisse, vel communicasse, quod etiam hactenus in Sabbato Sancto Paschae observamus.* Mens igitur laudatorum Auctorum est antiquitus, dum offerebantur dona, et fiebant oblationes a Populo, nihil recitari solere a Cantoribus, et hanc veterem disciplinam conservatam fuisse in Missa Sabbati Sancti Paschae. Horum opinioni adhaeret etiam P. Franciscus Berlendi in sua eruditissima Dissertatione de *Oblationibus* § 4. Putant alii, ideo in

Sabbati Sancti Missa Offertorium coeptum esse praetermitti, quod nulli eo die Eucharistia praeberetur. Verum in hac Missa non Catechumeni modo et infantes, sed caeteri quoque, qui aderant, communicabant, ut patet ex Sacramentario S. Gelasii Lib. I Cap. 15. In Oratione enim, quae dicitur *Postcommunio* legitur: *Praesta quaesumus*, etc. *ut divino munere satiati, et sacris mysteriis innovemur et moribus*. Ex quibus evincitur Eucharistico pane omnes refectos fuisse, non vero solum Sacerdotem. Iuxta P. Merati, dici etiam posset, quod praedictae Oblationes pro Catechumenis (ipsi enim teste Ambrosio in *Prologo ad expositionem Psalmi* 118 neque hac die, neque in tota Baptismi sui Octava offerebant) fiebant ab eorumdem Susceptoribus, quorum magnus erat numerus, quia pro uno Catechumeno baptizando non unus tantum, sed duo vel tres, immo plures etiam Susceptores destinabantur, ut ostendit Martene Lib. I *de antiquis Ecclesiae Ritibus* Cap. I art. 16 num. 12 probabile autem est praedictos Susceptores hac die detulisse suas Oblationes antequam inchoaretur Missa, nam cum ante Missam Baptisma conferretur, iidem occupati erant in exuendis, et induendis suis Catechumenis, caeterisque muniis exequendis, quapropter non poterant apud se Oblationes retinere; ut illas tempore consueto ad Altare deferrent; proinde necessum erat, ut delatio talium oblationum sequeretur ante Missam; et hinc probabiliter factum est, quod Antiphona ad offerendum non recitabatur a Choro.

X. Ad hanc Missam novi Baptizati communicabant post Sacerdotem, et Clerum, et deinceps totus populus. Quoad infantes sugentes ubera, non dabatur illis Christi Corpus, sed sanguis tantum, qui cum cochleari sumptus e Calice in eorum os infundebatur, deinde porrigebatur illis lac et mel ordinarium. Lac istud et mel benedicebantur Romae in fine Canonis, quae benedictio extat in Ordine Romano, et in Missa Ratoldi: *Benedic Domine hanc creaturam lactis et mellis . . . . Per quem haec omnia creas*. In Africa Concilium III Carthaginense Canone 24 permittens lac et mel Baptizatis porrigendum offerri super Altare, sejunctim benedici jussit. Quod spectat ad Antiphonam, quae Com-

munio dicitur, liquet antiquitus fuisse cantatam in hac Missa, dum fiebat populi Communio, quia in Sacramentario Gelasiano, recitabatur a Celebrante Oratio *Post Communionem;* haec enim correlativa erant, nimirum Antiphona, quae *Communio*, et Oratio. quae *Post communio* dicitur; quod notat etiam Ordo Romanus Hitorpii pag. 55 asserens juxta Romanos dictam fuisse in hac Missa Orationem *ad Complendum*. In praesentiarum autem ideo omittitur et Communio, nec non Oratio *Post communio* inscripta, quia earum loco ut notat Grancolas in *Breviarium Romanum* Lib. VII Cap. 21; et ante ipsum Gavantus, nec non Durandus, suffectae sunt Vesperae, quae gratiarum actio potius dicendae sunt, quam Officium Vesperarum: hanc rationem jam assignaverat praedictus Ordo Romanus Hittorpii, Quoad osculum pacis, juxta laudatum Grancolas, antiquitus in hac Missa non dabatur, quia Romae reservabatur ad principium Matutini Paschatis, ubi tunc populi conveniebant ante Ecclesiam, et antequam inchoaretur Officium, sese invicem amplexantes in pacis signum, dicebant *Surrexit Dominus;* et hoc habetur in eodem Ordine Romano ab Hittorpio edito pag. 55. Iuxta tamen ritum Mozarabum et Ambrosianum, pax publice datur in hac Missa, et recitatur Postcommunio, sicuti etiam in veteri Ritu Gallicano. Hodiernae Vesperae perperam appellantur hoc nomine: quomodo enim recte appellari potuissent Vesperae post mediam noctem? Erat igitur gratiarum Actio pro novis Baptizatis, ut colligitur ex Psalmo *Laudate Dominum omnes gentes*, et *Magnificat*. Constitutiones Apostolicae Lib. VII Cap. 45 statuunt, ut post Baptismum dicatur Psalmus *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus*. Concilium II Aquisgranense anno 838 de his Vesperis Canone VII loquitur, tamquam de gratiarum Actione, quas Ecclesia Deo referebat pro filiis suis ad Festum Paschatis perductis, atque etiam pro neophytis; quas quidem preces Vesperarum loco habendas docet, easque solemniter jubet celebrari.

XI. Promiserat Iesus Christus saepe Discipulis suis, se post passionis et crucis ac mortis ignominiam ad gloriam Resurrectionis tertio die perventurum, ut o-

mnia Evangelia fidem faciunt ; praecipue autem Matthaeus Cap. XX v. 18; ubi convocatis duodecim Discipulis dixit eis: *Ecce ascendimus Hierosolymam, et Filius Hominis tradetur Principibus Sacerdotum et Scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent eum Gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum, et tertia die resurget.* Suae Resurrectionis Iesus Christus frequentibus apparitionibus fecit fidem. Primo enim apparuit Mariae Magdalenae. Secundo piis Mulieribus, quae ad monumentum venerant. Tertio Petro. Quarto duobus Discipulis euntibus in castellum Emmaus. Quinto Apostolis absente Thoma. Sexto post dies octo eisdem Apostolis, Thoma praesente, ejus incredulitatem corrigendo de veritate suae Resurrectionis, ostendendo ei cicatrices manuum et lateris. Septimo sese ad mare Tiberiadis in captura piscium, ubi etiam cum eis manducavit, conspicuum exhibendo. Octavo in Monte Galilaeae apparuit plusquam quingentis Fratribus. Nono visus Iacobo Apostolo, ac saepius per quadraginta dies cum Discipulis suis convescens et loquens de Regno Dei, se vere resurrexisse demonstravit. Haec referunt Evangelistae. Iesus Christus saepius praedixerat Apostolis, et promiserat, se tertio post passionem die surrecturum. Vel ergo implevit promissionem, et sic vere resurrexit; vel non implevit, et sic eos decepit. Quare ergo Apostoli a Iesu Christo decepti, fide tanta, fortitudine et constantia Resurrectionem ejus toto orbe praedicarunt, adeo ut mortem potius obirent, quam tacerent? Plura sunt in Testamento Veteri de Resurrectione Christi Oracula. In Psalmo LXX v. 20 legitur: *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, et malas et conversus vivificasti me, et de abyssis terrae iterum reduxisti me.* Et in Psalmo XL v. 5: *Tu autem Domine miserere mei, et resuscita me, et retribuam eis.* Et in Psalmo XV: *Non relinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Apud Sophoniam Cap. III legitur: *Expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meae in futurum;* et in Osea Cap. III: *In die tertia suscitabit nos.* Quod S. Augustinus *Lib. XVIII de Civitate Dei* Cap. 28; S. Bernardus, *Sermone I de Resurrectione;* Tertullianus, contra Iudaeos interpretan-

tur de Resurrectione Christi. Plura enim figurate gesta sunt in praenuntiationem Resurrectionis Iesu Christi futurae, ut in Isaac immolando et tamen servato, in Ioseph educto de carcere tertio anno; de quibus Prosper Lib. I *Praedictionum* Cap. XVII et 29; in Iona tertia die de ventre ceti prodeunte, quod suae sepulturae et Resurrectionis tertia die fuisse figuram testatur ipse Christus, Matthaei Cap. XII et XVI. Hinc Apostolus I ad Corinthios Cap. XV jure dicit: *Christus resurrexit tertia die secundum Scripturas*. Veritas Resurrectionis Christi invictissime probatur testimonio Apostolorum. In primis Act. Cap. 11 ipsa die Pentecostes, Petrus in medio Ierusalem toti plebi annuntiat Resurrectionem Christi, qua una praedicatione convertuntur ad Christum tria millia Iudaeorum. Paulo post Act. Cap. III et IV pariter in medio Ierusalem praedicat cum Ioanne Iesum Christum resurrexisse, hujus facti se testes asserunt, et in hujus assertionis veritatem insigne miraculum edunt, sanando claudum ex utero matris, qui quotidie sedebat ad portam Templi ut peteret eleemosynam, atque inde convertuntur quinque millia virorum. Stant coram principibus Sacerdotum, Sadducaeis et Pharisaeis, a quibus interrogati qua virtute aut quo nomine istud miraculum fecerint, respondit Petrus se fecisse in nomine Iesu Christi: *Quem*, inquit, *vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis*. Tandem veritas haec confirmari potest testimonio Iosephi Iudaei qui Lib. XVIII *Antiquitatum* Cap. 4 de Christo Iesu ait: *Apparuit enim eis tertia die vivens, multa haec et alia mirabilia raculis Prophetarum de eo vaticinantibus, et usque hodie Christianorum gens ab hoc sortita vocabulum non defecit.*

XII. Necessarium fuisse, ut Christus a mortuis resurgeret, ostendit S. Thomas *3. part. quaest.* 53 art. I quinque rationibus. Primo ad commendationem divinae justitiae, ad quam pertinet exaltare illos qui se propter Deum humiliant. Secundo ad Fidei nostrae instructionem, quia per Iesu Christi resurrectionem, propria virtute et in signum suae Divinitatis factam, confirmata est Fides nostra circa ejus Divinitatem. Tertio ad sublevamen spei nostrae, quia dum videmus Christum,

qui est Caput nostrum resurgere, speramus et nos resurrecturos. Unde dicitur I ad Corinthios Cap. XV: *Si Christus praedicatur quod resurrexit a mortuis .... quoniam resurrectio mortuorum non est.* Quarto ad informationem vitae Fidelium, ut sicut Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, sic et nos non simus amplius morientes peccato, sed semper viventes coram Deo, ut ex Paulo ad Romanos Cap. VI. Quinto ad complementum nostrae salutis: sic enim resurrexit ad vitam, ut nos post ejus Resurrectionem praedicatione Apostolorum generaliter fructus passionis ejus participes essemus. Quod non fuerit conveniens, ut illico post mortem resurgeret, ostendit Angelicus Doctor art. 6: *Quia ut confirmaretur fides de veritate humanitatis et mortis ejus, oportuit moram esse inter mortem et resurrectionem. Si enim statim post mortem resurrexisset, videri posset, quod ejus mors vera non fuerit, nec per consequens Resurrectio vera.* Iesus Christus in Resurrectione resumpsit verum corpus humanum, et ejusdem naturae, imo idem, quod ante habebat. Probat hoc S. Thomas 3. part. quaest. 54 art. 5. Quia juxta Damascenum *Lib. IV Fidei Orthodoxae* capite ultimo: *Illud resurgere dicitur, quod cecidit*: at corpus, quod per mortem, idest separationem animae ab ipso, cecidit, erat verum corpus humanum, non apparens; ergo idem animae ejus iterato unitum fuit in resurrectione: si enim aliud aut alterius naturae unitum fuisset, non fuisset resurrectio vera. Secundo: Lucae Capite ultimo v. 27 Christo post resurrectionem Discipulis apparente, *conturbati et conterriti existimabant se spiritum videre,* velut si non haberet verum corpus, sed phantasticum; ad quod dubium removendum ipse eis dixit: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Quod vero interdum sub diversa forma aut effigie apparuerit, non fuit, ut ait Divus Thomas, quod delineamenta membrorum mutaverit, sicut nec in Transfiguratione mutaverat: *Sed sicut in potestate ejus erat, ut corpus suum videretur, vel non videretur: ita in potestate ejus erat, ut ex ejus aspectu formaretur in oculis intuentium vel forma gloriosa vel non gloriosa, aut etiam commixta, vel qualitercumque se habens: mo-*

dica tamen differentia sufficit ad hoc quod aliquis videatur in aliena effigie apparere. Licet post Resurrectionem e clauso monumento exierit, et clausis januis ad Discipulos intraverit, id non ex natura, uti observat Angelicus Doctor, corporis, sed potius ex virtute Divinitatis unitae, illud corpus ad Discipulos, licet verum esset, clausis januis introivit. Et Divus Augustinus Tract. 121 super Ioannem *Moli corporis* inquit, *ubi Divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt.* Praeterea secundum Fidem tenendum est, in Corpore Iesu Christi post Resurrectionem fuisse omnes partes ipsum integrantes, ut prius, et etiam sanguinem. Nam ut docet Sanctus Thomas 3. part. quest. 54 art. 2: *Corpus Christi in Resurrectione fuit ejusdem naturae, sed alterius gloriae. Unde quidquid ad naturam corporis humani pertinet, totum fuit in Corpore Christi resurgentis: Manifestum est autem, quod ad naturam corporis humani pertinent carnes et ossa et sanguis et alia hujusmodi. Et ideo omnia ista in Corpore Christi resurgentis fuerunt; et etiam integraliter absque omni diminutione: alioquin non fuisset perfecta resurrectio.*

CAPUT X.

DE PASCHATIS FESTO.

I. Sanctus dies Paschatis apud Christianos est Festum Festorum (1) maximum; appellaturque magnus dies, ut ait S. Ioannes Cap. XIX v. 31: *Magnus dies ille Sabbati.* In Sacramentario S. Gregorii appellatur *Dominica Sancta.* Hodiernus dies, inter reliquos excellentissimus, appellatur *Dies Domini*, vel *Dies Dominicus.* A S. Gregorio Nazianzeno *Oratione de Paschate* appellatur: *Fe-*

(1) Pascha proprie denotat *transitum*, ut colligitur ex voce *Hebraica Pesach.* Improprie vero Paschatis nomine intelligitur agnus Paschalis a filiis Israel immolandus et comedendus. Praecepit Deus Hebraeo populo ut hoc Festum celebraret, et memoriam maximi beneficii recoleret, cum ex Aegyptiorum servitute fuit ereptus, et exterminator Angelus primogenitos Aegyptiorum interfecit. Hebraeorum domos praeteriens, quae sanguine agni pridie ejus diei immolati essent respersae.

stivitas Festivitatum, et Solemnitas Solemnitatum. Hujus Festi origo ad Apostolos referenda, ut ait Divus Augustinus *Epistola* LIV. Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Mater et Magistra, veterem sequuta morem, Pascha celebrabat ea Dominica, quae post vernum aequinoctium decimamquartam Martii Lunam consequeretur. Magnae olim de celebrando Paschate fuere controversiae excitatae praesertim ab Asianis, qui antiquam traditionem proponentes, ipsa luna XIV, more judaico, Pascha celebrandum esse contendebant. Contra Summi Pontifices, nixi traditione quam a Beatissimo Petro acceperant, hanc solemnitatem differebant ad diem Dominicum, qui post aequinoctium vernum ipsam lunam XIV proxime sequitur. Romam ea de re venit Polycarpus, ut cum Aniceto Pontifice consilia conferret; sed nihil tunc perfectum est, et Asianae Ecclesiae in sua sententia permanserunt, sicuti narrat S. Irenaeus in *Epistola ad Victorium* apud Eusebium *Historia Ecclesiastica* Lib. V Cap. 24. Recruduit controversia, Victore Pontifice, qui Asianis Episcopis ecclesiasticam communionem interdixit, quod Pascha, eodem quo Iudaei tempore celebrare pergebant; denique Nicaeno Concilio probatum confirmatumque est, quod a Romanis Pontificibus statutum fuerat.

II. Hodiernum Officium totum est de Resurrectione, nihil dicitur de Baptizatis, nisi in Canone Missae. Quoniam vero in nocte Sabbati tarde admodum ab Ecclesia Fideles egrediebantur; redibant ad Ecclesiam sub lucis ortum: *Eadem nocte sancta ad vigiliam post gallorum cantum, matutina luce rumpente tenebras,* ait Ordo Romanus apud Thomasium pag. 30. Cum igitur nimis tarda erat hora pro longo Officio, quia nox jam transierat, Nocturnis amplius non erat locus; unus tantum dicebatur Nocturnus, sicut hodie dicitur per totam hebdomadam. Hymni enim, et Capitula non dicuntur, neque Antiphonae per horas, sed tantum *Alleluja.* In Ordine Romano Canonici Benedicti Invitatorium hodiernum erat tantum *Alleluja;* ad omnes Horas dicebatur *Haec dies.* Apud Thomasium p. 116 Invitatorium, et etiam Responsoria, a quatuor in Choro cantantur Cappa indutis. Matutinum ergo cantatur cum tribus Psalmis, totidem Antiphonis,

Lectionibus, sine Hymno; quibus ternariis significantur Fides, Spes, et Charitas, quae in hoc mysterio maxime vigent, ut notat Amalarius Lib. IV Cap. 23; vel dicendum cum Ruperto Lib. VIII Cap. 2 in nomine SS. Trinitatis celebratum esse Baptisma, et ideo tres dici Psalmos; vel quod triduanam sepulturam recolimus, ex qua Resurrectio ortum habuit, uti observat Durandus Lib. VI Cap. 87. In plerisque Ecclesiis post Matutinum fiebat Officium de Sepulchro. Fit etiam in pluribus Ecclesiis, veluti Laudunensi, Remensi et aliis, Processio SS. Sacramenti. Habetur haec Processio in vita S. Udalrici Episcopi Augustani ad decimum saeculum. Quoad Missam, nihil differt ab ea quam dicimus, juxta Sacramentarium S. Gregorii, excepta Prosa *Victimae* quae recentior est, nec de ea vetus Auctor quisquam meminit. Meminit autem Durandus Lib. VI Cap. 87. In Missali Mozarabico prima Epistola est Apocalypsis, secunda Apostolorum. In Africa pro Epistola legebantur Actus Apostolorum. *Hodie incipit Liber Actuum Apostolorum*, ait S. Augustinus *Sermone* 247: et pro Evangelio Historia Resurrectionis secundum Matthaeum, tresque reliqui Evangelistae diebus sequentibus legebantur. Ex antiquo Ordine Romano, auctore Benedicto Canonico S. Petri, Epistola et Evangelium graece et latine pronunciari debent, qui quidem ritus vigebat in percelebri S. Dionysii in Gallia Monasterio. Graduale et Alleluja hac die atque per totam hebdomadam tam in Missa, quam in Vesperis, retro Altari cantari jubet Ordinarium Narbonense. Ad Communionem Paschalem, cujus meminit Gregorius Turonensis in Libro II de *Miraculis* S. Martini Cap. 13 invitabantur populi hac antiphona, quae cum gravi ac suavi melodia decantabatur: *Venite, populi, ad sacrum et immortale mysterium, et libamen agendum: Cum timore et fide accedamus manibus mundis, ipsum glorificemus cum Angelis clamantes, Alleluja.*

III. Cum huic celebrando Ecclesiae fuit praecipuae curae Festum Paschatis amplificare, tamquam omnium Festorum maximum, magisque solemne, integra hebdomada assignari coepta est. Hebdomada ista appellatur ab Amalario Hebdomada Paschatis: in Sacramentario Gelasiano

dicitur *Hebdomada alba*, seu Feriae *in albis*, sicut etiam in Sacramentario S. Gregorii, propterea quod Baptizati per octo dies, quibus eorum Baptismi Festivitas perdurabat, vestem albam deferebant. Duae Missae antehac qualibet die dicebantur, qui ritus Mediolani servatus est, ubi prima Missa dicitur primo mane pro novis Baptizatis, secunda ad Tertiam, in honorem Dominicae Resurrectionis. Romae curatum est, ut duplex hujusmodi scopus et in Officio, et in Missa cujuslibet diei immisceretur. Quapropter Evangelia etiam et Missae propriae septem dierum cuique assignatae sunt, ut singulis diebus concio haberi possit. Extant etiam Mystagogicae Catecheses S. Cyrilli Hierosolymitani, quibus per hebdomadam Paschatis exercebat eos, quos per totam instruxerat Quadragesimam, ut ad Baptismum praepararet. S. Ioannes Chrysostomus septem hosce dies ait esse velut Nuptiarum celebritatem, cui hoc idem Mysterium septem concedit dies. In Officio laetabatur Ecclesia de eorum nova regeneratione; respiciebat eos, tamquam fluctibus diu multumque agitatos, feliciter portum tenere, et aquis Baptismi ablutos primum praeseferre candorem. Vestibus albis per hosce dies, ut nuper notavimus induebantur, pro iis fiebant processiones Fontium, pro iis breviabatur Officium; ideoque tota hebdomada breve est; quia Officio Baptizati aderant: atque ut melius Festum Paschatis celebraretur, jussa est tota hebdomada fieri festiva. Concilium II Matisconense anno 585 Can. 2: *Nullus his sanctissimis sex diebus servile opus audeat facere;* Moguntinum anno 813: *Simili modo totam illam hebdomadam observari decrevimus.* Meldense anno 845 Can. 77 anathematizat eos, qui octo dies Paschatis non celebraverint: *Dies octo sancti Paschatis feriatos esse decernimus.* Concilium in Trullo in Oriente, can. 66 idipsum praescribit: *Tota septimana in Ecclesiis vacare fideles jugiter oportet.* Hujusmodi dies tamquam continuatio Festorum Paschatis habebantur. Undecimo saeculo Festa haec ad tria redigi coepta sunt; decimotertio saeculo fere apud omnes invaluit usus, denique ad secundam et tertiam Feriam ubique redacta sunt. Concilium Constantiense tria tantum Festa designat, in Statutis Collemiri Rotomagensis Archiepiscopi anno 1245

duo tantum Festa fiebant in Paschate. Parisiis Officium Feriae quartae signatur duplex tam in hebdomada Paschatis, quam Pentecostes, ut eam diem festivam antehac fuisse demonstretur. Carthusiani quoque tres dies Festos celebrant, nec celebrari permittunt Festum Annuntiationis, aut Dedicationis Ecclesiae, aut Festum Patroni, nisi tribus postremis feriis hebdomadae Paschatis.

IV. Officium in hebdomada Paschatis idem est ac in die tam pro Nocturnis, quam pro Vesperis. Videtur e pluribus Romanis Ordinibus quaelibet hebdomadae dies tres habuisse psalmos proprios ad Matutinum. Psalmi dicebantur sine Antiphonis cum tribus *Alleluja*, *Haec dies*, tribus Lectionibus et totidem Responsoriis. Neophyti communicabant etiam singulis diebus per hebdomadam Paschatis. Sabbatum dicebatur *infra albas*, seu *in albis deponendis*, quia eo die Baptizati vestes albas deponebant, quod post Officium vespertinum fiebat. Exstant Sermones apud S. Augustinum, qui a Possidio inscribuntur: *De Octavis infantium, Tractatus duo;* erantque pro Octava Paschatis, quae a nobis dicitur *Dominica in Albis*, eoque nomine vocata est, quia Baptizati vestem deposuerant, quam tota hebdomada gestaverant tamquam signum innocentiae, et spiritalis infantiae per Baptismum renovatae. In Sacramentario S. Gregorii appellatur iste dies, *Dominica Octava Paschae*. Apud Ratoldum legitur: *Die dominica post albas*. In Ambrosiano *Dominica in albis* depositis idest postquam Baptizati albam vestem deposuerant. In Missali Gothico *Clausum Paschae*, tamquam istius Octavae conclusio. Appellatur etiam *Dominica in Quasi modo*, quia Introitus per illa verba inchoatur. In plerisque Romanis Ordinibus hodiernum Officium tres habet Nocturnos de Dominica consuetos; incipiebantur ad primum Nocturnum legi Actus Apostolorum, qui tempore Paschali continuabantur juxta Ordinem Romanum, ut testatur Micrologus: *In hac nocte Dominica nocturna, et novem Lectiones juxta Romanum ordinem*; declaratque Capite LIV eos, qui a Paschate usque ad Pentecosten tres tantum Psalmos et tres Lectiones recitare volunt, a Papa dispensandos esse. Memorat autem decretum S. Gregorii VII quo praecipitur, ut Officium incipiat a Vesperis Sabbati in consue-

tum ordinem restitui, quod quidem Decretum referunt Gratianus, *de Consecratione dist.* 5 C. 15; et Radulphus Tungrensis, *Proposit.* 10. Praedicatorum Ordo tres tantum Psalmos et tres Lectiones recitat a Paschate usque ad Trinitatem; Praemonstratenses vero tres istas Lectiones cum tribus psalmis dicunt in Dominicis tantum ab Octava Paschatis usque ad Ascensionem. Parisiis et in plerisque Galliae Ecclesiis tres tantum psalmi tresque lectiones dicuntur a Paschate usque ad Trinitatem; quod Romae quoque in usu erat, saltem in Ecclesia S. Ioannis Lateranensis, ut narrat Canonicus Benedictus in Ordine Romano. Durandus a pluribus Ecclesiis aevo suo observari ait toto tempore Paschali. Cui tempori hoc inerat proprium, ut tamquam peculiaris Christianorum festivitas haberetur, cujus solemnitas, teste Tertulliano *Libro de Idolatria* quinquaginta duraret dies. Apud Cassianum legitur *Collatione secunda* traditionis fuisse Apostolicae, celebrandos esse solemniter et cum gaudio non modo quadraginta dies, quibus Iesus Christus post resurrectionem apparuit, sed etiam decem dies quibus Discipuli in concilium convenere usque ad descensum Spiritus Sancti. Auctor Sermonis, qui S. Ambrosio adscribitur, inquit, quod per quinquaginta hosce dies fit a nobis continuatum Festum *Iugis et continuata festivitas.* Non quod Christiani per hosce dies a consuetis cessarent operibus, sed eorum festivitas erat convenire ad Ecclesiam, Sacrificio interesse, et de eo participes fieri. Totum Paschale tempus Octavam hebdomadarum appellat S. Ambrosius in Caput XVII Lucae. Toto tempore Paschali Laudes dicuntur de Dominica, tamquam si dies singuli festi essent; ad *Benedictus*, et ad *Magnificat* habentur Antiphonae propriae.

CAPUT XI.

DE ROGATIONIBUS ET DE FESTO ASCENSIONIS.

I. De auctore Rogationum, quae triduo ante Ascensionem Domini fiunt, longe certior constantiorque est traditio, eas nimirum a S. Mamerto Viennensi in Gallia Praesule institutas: nam praeter Aviti Viennensis An-

tistitis et Sidonii Apollinaris Lib. I *Epistola septima et* Lib. VII *Epistola* XIV suffragium, id cum multis aliis auctoribus asserit Gregorius Turonensis in *Historiae Francorum* Libro II Cap. 34. Cum Deo permittente, Vienna Allobrogum terrae motibus, incendiis, aliisque publicis calamitatibus desolata esset, ac incendio potissimum, quo nocte Paschatis an. 469 palatium deflagravit, S. Mamertus tum Urbis Episcopus, Dei iram fervidis precibus placare satagens, ad hoc elegit tres dies, qui praecedunt Ascensionem. Sanctum hunc morem statim ferme Episcopi Galliae amplexati sunt. Tres isti dies primitus fuere in Gallia festivi, ut liquet ex Concilio I. Aurelianensi, ex Capitularibus Caroli Magni, et ex Capite *Pronuntiandum*, quod Burchardus, Ivo Carnotensis, et Gratianus perperam adscribunt Concilio Lugdunensi. Inhibitiones autem abstinendi hoc triduo ab operibus paulo post fuere restrictae ad Processiones tantum, et Officium, quibus completis, permissum fuit precationi et abstinentiae manuum opera conjungere. A Gallia sacrum id institutum in alias regiones promanavit; ac primum sub Leone III a Romana Ecclesia receptum memorat Anastasius Bibliothecarius. Tardius etiam in Hispania receptas fuisse Rogationum supplicationes, facile colligi potest ex S. Isidori Libris *de Divinis Officiis*. In Moguntino Concilio Cap. 33 praecipitur, ut Fideles nulla utantur vestium pompa, nullumque eo tempore praeferant ornamentum. In Mediolanensi non ante Ascensionem, sed sequenti hebdomada recoluntur. In Ecclesia Lugdunensi Rogationes olim fiebant bis in anno, scilicet ante Ascensionem et mense Novembri, uti constat ex Concilio Lugdunensi II Can. 6. Prolixum hisce diebus fuisse divinum Officium, facile colligere licet ex veteri Lectionario Gallicano Luxoviensis Monasterii, in quo prima die Rogationum ad Tertiam adsignatur Epistola S. Iacobi ex integro legenda cum Evangelii Lectione ex Matthaei Capite XV v. 17 ad 26; ad Sextam integra S. Petri Epistola prima tribus ultimis versibus exceptis, cum Lectione ex Evangelio secundum Matthaeum Cap. VIII v. I ad 13; ad Nonam Liber Tobiae integer cum Lectione Evangelii Matthaei Cap. VI.

II. Et quia ad avertenda irae Dei flagella Rogationes

praesertim institutae sunt, omnia his diebus compunctum et poenitentem animum spirabant: hinc solemnis ante processionem olim cineris super capita singulorum impositio, non secus ac in capite Quadragesimalis jejunii; id quod discimus tum ex pervetusto Codice Turonensis Ecclesiae ante annos 800 exarato, et ex antiquo Pontificali seu Ordine Romano Wertinensis Monasterii in Diocesi Monasteriensi; tum ex Pontificali Salisburgensi. Nam in primo singulae singulis Rogationum diebus assignantur Missae, praemissa cineris benedictione. Similis ritus adhuc hodie viget in Ecclesia Mediolanensi. In Ecclesia Viennensi aliisque non paucis solemnis ante processionem fit aquae lustralis aspersio. Et quia poenitentiae demonstrandae causa praesertim fiebant illae supplicationes, omnes, ipsi etiam laici, nudis in illis incedebant pedibus, ut constat non solum ex Ordine Romano, sed etiam ex pluribus Conciliis. Ea in processione plures factas fuisse stationes tum Romae, tum alibi, testantur Libri Rituales. Beda in Vita S. Cuthberti, de processione Rogationum loquens, Reliquiarum meminit, quae in processione deferebantur, quod in omnibus cernitur Ordinariis. Lanfrancus quoque Crucem memorat, Aquam benedictam, Librum Evangeliorum, et Reliquias in Processione delatas, quemadmodum etiam Udalricus. Processionum ordo describitur a Lanfranco in suis Statutis, et ab Udalrico in Consuetudinibus Cluriacensium. Vexilla praecedebant, deinde ad tintinnabuli sonitum alter Clericus gestabat aquam benedictam, alter Crucem; Subdiaconus indutus alba cum textu Evangeliorum, juniores Clerici, et postea Clerus procedebant. Missa Stationis erat *Exaudivit*; in qua fiebat Commemoratio de Patrono Ecclesiae Stationis; deferentes Reliquias nudis incedebant pedibus; in reditu dicebatur *Sancte Sanctorum Deus, miserere nobis*. Magnam diei partem processiones istae occupabant, ac saltem sex horarum spatium, uti liquet ex Sermone S. Caesarii Arelatensis, qui de Rogationibus loquitur: *Qui in istis sex horis de conventu Ecclesiae non subducit se, magnum remedium animae suae noscitur providere.* Stationis Missa, qualis a nobis dicitur, refertur ab Amalario; Officium Vigiliae Ascensionis antiquius est Ro-

mae, quam Officium Rogationum, signaturque cum novem Lectionibus in Ordine Hittorpii.

III. Inter Festa ab Apostolis instituta semper Ascensio numerata est, ut adfirmat S. Augustinus *Epistola 118* et Epistola 54 novae editionis. De hoc Festo Constitutiones Apostolicae loquuntur Lib. VIII Cap. 3. Exstat apud S. Ioannem Chrysostomum Sermo, quem in die hujus Festi habuit in Urbe Antiochia. A S. Gregorio Nysseno in *Sermone* III *de Resurrectione* ubi de hoc Festo agit, appellatur Επισωμηνη, hoc est dies salutis. Observanda est processio, quae solemni pompa olim in omnibus passim Ecclesiis celebrabatur, in illius haud dubium memoriam, qua Iesus Christus Dominus, consummato Redemptionis nostrae mysterio, quadragesimo post Resurrectionem die, videntibus ac stupentibus discipulis, a terra processit ad caelum. Hujus processionis ordinem descripsit Petrus Gassendi in notitia Ecclesiae Diniensis part. 2 Cap. 19 qualis in illa quotannis observari solet. In quibusdam aliis Ecclesiis fuit in usu solemnis benedictio panis, cujus ritum et preces repraesentant antiquum Pontificale Narbonense et Mimatense Guillelmi Durandi, quo usus est olim Ioannes Sairebruch Episcopus Catalaunensis. Ex Ordine Romano Canonici Benedicti liquet, Festum hoc non secus ac solemniora anni Festa celebrari consuevisse: Pontifex cum Cardinalibus et Episcopis primis praerat Vesperis; surgebatur media nocte pro Officio nocturno; tres primae Lectiones erant Actuum Apostolorum, quinque sequentes e Sermone alicujus Patris de Festo, et nona Lectio de Homilia in Evangelium. Festum hoc habebat plusquam Octavam; durabat enim decem dies usque ad Pentecosten. Hujus diei Officium fere semper ubique idem fuit ac hodie est. In Epistola a Cutheberto Angliae monacho scripta de morte Bedae, legitur eum obiisse recitando Antiphonam *O Rex gloriae*, quae est ad Vesperas. In nonnullis Ordinariis magna cum solemnitate dicitur Nona, quia ea hora creditur Iesus Christus in coelum ascendisse. Cereus usque ad Ascensionem accenditur certis quibusdam diebus, uti diximus in Festo Sabbati Sancti. Quando Cereus auferri debeat, nec amplius accendi, nihil apud vetustiores scriptores

reperimus. In Ascensione Domini extinguitur Cereus Paschalis post Evangelium, ad repraesentandum Iesu Christi discessum ab Apostolis. Festum Ascensionis Domini est privilegiatum contra quodcumque aliud Festum, etiam Patroni, et Tituli Ecclesiae, vel Dedicationis ejusdem in ea occurrens. Officium dicitur ut in proprio de tempore cum Antiphonis ad unumquemque Psalmum, licet currat adhuc tempus paschale ob rationem, quam Gavantus assignat, nempe ad fervorem charitatis excitandum. Officium autem de Festis infra hanc Octavam usque ad Pentecosten occurrentibus fit ritu Paschali, cum una Antiphona pro quolibet Nocturno, eodem modo quo ante Ascensionem.

IV. Iesum Christum post quadragesimum a Resurrectione diem vere et in carne ascendisse in coelum, ipsemet ejus Discipuli, qui fuerunt oculares testes enarrant. Marcus Cap. XVI v. 19: *Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in coelum, et sedet a dextris Dei.* Lucas Cap. XXIV v. 51: *Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in coelum: et ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem gaudio magno.* Et Act. Cap. I v. 9: *videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum* etc. Iam vero multa sane in hac narratione quoad rem nostram observatione digna occurrunt. Primo non unus, aut alter tantum, sed multi Iesum Christum in coelum ascendere viderunt. Secundo illi ipsi Christum in coelum ascendere viderunt, qui de veritate Resurrectionis ejus antea dubitantes, postmodum de eadem per evidentia argumenta omnino convicti fuerant. Tertio Discipuli non per somnium, aut imaginariam visionem, *sed videntibus illis, et dum* benediceret illis, Iesum Christum in coelum ascendere viderunt. Quarto tandem ab hac visione omnes discipuli, *regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno.* Praeterea Concilia, et Patres omnes tum Graeci tum Latini ascensum Christi in coelum cum corpore et anima, tamquam articulum Fidei proposuerunt credendum. Conveniens autem fuisse, ut Iesus Christus post resurrectionem in coelum ascenderet, probat Divus Thomas 3. p. qu. 57 art. 1: *Quia locus debet esse proportionatus locato. Christus autem*

per resurrectionem vitam immortalem et incorruptibilem inchoavit. Locus autem, in quo nos habitamus, est locus generationis et corruptionis: sed locus caelestis est locus incorruptionis. Et ideo non fuit conveniens, quod Christus post resurrectionem remaneret in terris, sed conveniens fuit, quod ascenderet in coelum. Congruum etiam fuit, ut ascendens in coelum suum humanum corpus illuc asportaret, ut illud, quod tot poenis et opprobriis, dum hic pateretur, subjecerat et humiliaverat, particeps faceret gloriae et triumphi sui in caelo: quo exemplo excitaremus et nos ad affligendam carnem in terris, fidentes eam nos habituros gloriae consortem in coelis. Poterat quidem Salvator, peracto per passionem et mortem humanae Redemptionis ac suae missionis mysterio, eoque per Resurrectionem confirmato, statim ad coelum unde descenderat reverti verum cum hoc distulerit, et ad quadraginta dies protraxerit, quae causa fuerit, praeter suam voluntatem, assequi non ita facile est. Id tamen voluisse, conjicere possumus, ut suae Resurrectionis veritatem in cordibus dubitantium imprimeret: ad hoc enim aliquot dies necessarii videbantur. Ad hunc finem omnes ejus apparitiones dirigebantur. At quorsum ad quadraginta dies distulerit, aenigma est. Illud tamen solvere conatur S. Augustinus, seu alius auctor, *quaestione* 26 inter sexaginta quinque ad Orosium, dicendo, factum hoc fuisse, ut quadraginta circiter horarum absentiam, quo moriendo discipulos suos vehementer afflixerat, quadraginta dierum praesentia, antequam ad Patrem rediret, compensaret.

V. Reliquum est, ut adjuncta, quae Ascensionis mysterium circumstant, persequamur; quae sunt locus, tempus, modus, spectatores, comitatus, et miracula, quae Deus in tanti mysterii memoriam edere diu perseveravit. Tradit Lucas capite ultimo Iesum Christum Discipulos adduxisse in Bethaniam, iisque benedixisse: *Et factum est dum benediceret, recessit ab eis, et ferebatur in coelum;* quod quidem innuere videtur, eum e Bethania in coelum ascendisse. Verum idem Lucas *Act. Apostolorum* Cap. I v. 12 testatur, Apostolos, postquam Christum viderunt ascendisse in coelum, rediisse Hierosolymam *a monte, qui vocatur Oliveti, qui est*

juxta Hierusalem Sabbati habens iter : ex quo colligitur Christum ascendisse in coelum e monte Oliveti. Nulla tamen inter Evangelium Lucae et Actus Apostolorum est pugna ; nam Bethania in declivi montis Oliveti posita est. Circa mensem et diem, quo Iesus Christus ascendit in coelum, communiter creditur fuisse Maii diem quintam. Cum enim Ecclesiae probata sententia sit, Iesum Christum mortuum fuisse die 25 Martii , ac die 27 ejusdem mensis quae Dominica fuit, surrexisse, et a Resurrectione ad Ascensionem quadraginta dies notet Lucas Act. Cap. I v. 3; ex computo clarum et evidens fit, Ascensum Christi in coelum incidisse in diem Iovis et quintam Maii. De hora diei , qua ascendit , non adeo certum est. Quinam vero fuerint Christi ascendentis in coelum spectatores ac testes , putant quidam solos undecim Apostolos adfuisse , quod colligitur ex Marco Cap. XVI et Luca Cap. XXIV , et Act. Cap. I. Alii putant praeter undecim adfuisse alios , etiam ex mulieribus , et praecipue Beatissimam Virginem Mariam Matrem Iesu : moti ex eo, quod dicit Lucas Act. Cap. I v. 14 , ubi loquens de illis , qui Christo in montem elato, reversi sunt a Monte Oliveti Hierosolymam, et ingressi sunt in Coenaculum, praeter undecim Apostolos alios recenset, dicens: *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria Matre Iesu, et fratribus ejus.* Pro hactenus dictorum coronide praetereundum non est, Christum ascendentem in coelum suae Ascensionis perenne monumentum reliquisse, suarum nempe plantarum vestigia impressa , quae nec tempore rerum omnium edaci , nec ullo casu, nec toties loco percalcato, obliterari aut deleri unquam potuere. Quo impletum fuit Zachariae oraculum Cap. XIV v. 4 : *Et stabunt pedes ejus in die illa super Montem Olivarum, qui est contra Ierusalem ad Orientem.* Hujus testes sunt S. Hieronymus, Libro *de Locis Hebraicis ;* S. Paulinus Nolanus , *Epistola II ad Serenum;* S. Augustinus, *Tract. 47* in Ioannem, dicens: *Ibi sunt vestigia ejus, modo adorantur, ubi novissime stetit, unde ascendit in coelum.*

CAPUT XII.

DE VIGILIA ET FESTO PENTECOSTES.

1. Pentecosten cum Paschate si quis comparet, horum Festorum inveniet non dissimilem fuisse Vigiliam; jejunabatur enim Sabbato, vigilabatur et orabatur tota nocte in Ecclesia. Audi S. Ambrosium ita loquentem in Psalmum 109: *Pentecostes diem non minore laetitia celebramus, quam Sanctum Pascha.* Licet obtinuerit consuetudo vim legis habens per quinquaginta dies non jejunandi, in Vigilia tamen Pentecostes ubique fere jejunari compertum est. Essetne jejunium liberum, et ex devotione institutum, an esset tantum pro Catechumenis, et pro iis qui nocte baptizandi erant; non tam facile judicari potest. Inquit Glaber Lib. III Cap. 3 quod anno circiter 1000 habita sunt Concilia in Gallia, et in Italia, in quibus libera jejunandi, vel non jejunandi facultas data est ab Ascensione usque ad Pentecosten, excepta hujus Festi vigilia, in qua jejunium praescribebatur, *Excepto Sabbato Pentecostes;* quo solvendi jejunium non erat eadem facultas. Ordo Romanus non secus, ac S. Ambrosius, ait, quod jejunatur sicut in Paschate, et fit Officium, sicut in Sabbato Sancto. In Missali Gothico nulla extat Missa propria de die; erat fortasse sicut in Paschate. Exstat autem in Missali Mozarabico, et Officium incipit ad Nonam, ut in diebus jejunii. S. Bonifacius Moguntinus id ipsum praecipit in suis Statutis: *Ut Sabbato* inquit, *Pentecostes, sicut Sabbato sancto Paschae omnes jejunent, et ad Ecclesiam hora nona conveniant.* Bochelius in *Compilatione Constitutionum Synodalium Episcoporum Galliae* pag. 606 vigiliam Pentecostes tamquam diem jejunii designat: praescribiturque jejunium etiam in Concilio Oxoniensi anno 1222. Hittorpius in suo Ordine Romano ait, quod hujusmodi jejunium per totum orbem servaretur, quod certe ab XI Saeculo factum est. Habebatur antehac Missa propria, a Missa noctis diversa; Evangelium erat de panis multiplicatione; Missa erat de poenitentia et jejunio, quae tamquam propria de Vigilia Pentecostes,

et tamquam consummatio temporis Paschalis habebatur. Officium Vigiliae Paschatis erat omnino simile, excepta Cerei benedictione, quae hic omittebatur. Quoad Lectiones, in quibusdam Ordinibus Romanis duodecimi Saeculi leguntur sex lectiones, quae graece et latine dicebantur, in Sacramentariis Gelasii, et S. Gregorii quatuor tantum reperiuntur. In Collectario Thomasii inchoatur Officium per Litaniam septenariam, quae septies recitabatur, et postea Lectiones. Omnibus his Lectionibus interjectae sunt Collectae, Orationes, Tractus, et Cantica, ut in Vigilia Paschatis. Amalarii aevo quatuor tantum dicebantur Lectiones. In Ordinario Carthusianorum, et Grandimontensium inchoatur Officium per *Confiteor* ad pedes Altaris, antequam legantur Letiones Expeditis Lectionibus et Litaniis, fiebat Benedictio fontis, tum Baptisma ad eum fere modum administrabatur uti in Paschatis Vigilia. Quemadmodum in Pervigilio Paschae, in Pentecostes itidem Pervigilio fit Baptismalis Fontis benedictio; hunc enim ritum retinere voluit Ecclesia, ne ejus disciplinae memoria interiret, qua olim iis duobus solummodo diebus, nisi urgeret necessitas, Baptismus conferebatur.

II. Pentecoste Festorum omnium appellare non dubitavit Eusebius de *Vita Constantini* Lib. IV Cap. 64. Adeo solemnis Apostolis fuerat Spiritus S. descensus, ut solemne etiam Festum voluerint instituere; erat hoc Ecclesiae primordium, nativitas, fundatio, et dedicatio. Omni tamen tempore reperitur Festum hoc Ierosolymis celebratum: et S. Cyrillus Ierosolymitanus *Catechesi sexta* memorat etiam Ecclesiam in eodem loco extructam, ubi Spiritus S. super Apostolos descenderat, quae suo quoque aevo subsistebat. A Conciliis Festo Paschatis assimilatur: *Pentecostes similiter, ut in Pascha.* Quanta autem sit Festi hujus solemnitas, ex verbis Leonis Magni ostenditur *Sermone* 73 de Pentecoste Cap. I pag. 155: *Hodiernam solemnitatem, dilectissimi, in praecipuis Festis esse venerandam omnium Catholicorum corda cognoscunt. Nec dubium est, quanta huic diei reverentia debeatur, quem Spiritus Sanctus excellentissimo sui muneris miraculo consecravit.* Extant ex veteri disciplina firmissima argumenta, quae probant

Pentecostes nomen olim significasse tum diem ipsum, quo Spiritus Sanctus in Apostolos Coelo delapsus est, tum etiam quinquaginta dies inter Pascha et Pentecosten interjectos. In festo ipso Pentecostes idem pene Nocturni officii ordo, qui in Paschate: hoc tantum distat inter Pascha et Pentecosten, inquit Joannes Abrincensis, quod in Matutinis Paschae nullus hymnus, in hoc vero duo cantantur. Sicut igitur paschale nocturnum Officium, ita et Pentecostes tribus tantum constabat psalmis, tribus antiphonis, cum totidem lectionibus, ac responsoriis et quidem cum tribus benedictionibus de Spiritu Sancto. Propter novos Baptizatos putavit Amalarius, unum tantum Nocturnum cum tribus psalmis dici solere hac die, et per totam hebdomadam. In antiqua distributione psalmorum, quae Romae vigebat, prout a Cardinali Thomasio pag. 30 exhibetur, dicebatur nocte Officium Dominicae, dicebantur ista nocte duo Officia; primum sine Invitatorio cum psalmis *Magnus Dominus*, *Exsurgat Deus*, *Domine quid*, *Benedic anima mea*, et in secundo Officio dicebatur Invitatorium *Venite*, et unum tantum Noncturnum cum tribus primis psalmis. Nullo alio mysterio breviabatur nocturnum Officium, nisi propter temporis brevitatem, quod remanebat ex noctis vigilia, quae in baptizandis Catechumenis insumebatur, neque incongruum visum est hanc Officii abbreviationem per totam hebdomadam continuare, non modo in honorem Festi, cujus hebdomada continuatio erat solemnitatis, et quilibet dies festus erat, habebaturque tamquam dies dominicus; verum etiam ne fatigarentur novi Baptizati, qui per totam hebdomadam Officiis intererant. S. Ambrosio adscribitur hymnus *Veni Creator*, atque etiam hymnus Matutini, et Laudum.

III. Alteram hujus diei differentiam describit Ioannes Abrincensis: *Hora tertia* inquit, *sonantibus cunctis Campanis post Deus in adiutorium hymnus inchoetur: Ecclesia tota illuminetur: et donec hymnus cantatur flores diversi coloris ad instar Charismatum Spiritus Sancti desursum immittantur, et sic tota hora festive celebretur*. Quod vero addit Joannes Abrincensis etiam flores diversos ad instar Chaiismatum Spiritus Sancti desur-

sum immitti, id ipsum pluribus in Ritualibus Libris praescriptum extat; sed eo praesertim tempore peragendum, quo in Missa canitur Prosa. Nonnulli etiam stupas inflammatas, aliis aves seu columbas immittebant, et in Vita S. Francisci Salesii legitur, columbam hoc modo in festo Pentecostes immissam super humerum S. Praesulis requievisse. Ad Missam animadversione digna videtur prosa *Veni Sancte Spiritus*, quae a plerisque adscribitur Roberto Galliae Regi, qui undecimo regnabat Saeculo, ab aliis Hermanno Contracto, Germaniae Monacho, qui obiit anno 1054 sed non satis valido nituntur fundamento. Prosa ista verosimilius creditur ab Innocentio III composita, ab eodemque Missali interseri, cum in ejus operibus reperiatur. Per totam hebdomadam Pentecostes solemnes olim fieri solebant processiones ad principales Ecclesias. Hujusmodi processionum praxim videre est apud Gaufridum in Vita Bernardi Abbatis Turonensis.

IV. Christo, suo in coelum ascensu, ab oculis discipulorum et aliorum ibi adstantium erepto, reversi omnes Hierosolymam introierunt in Coenaculum undecim Apostoli, ibique manebant *perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus; et Maria Matre Jesu, et fratribus ejus*, qui omnes probabiliter Christi ascendentis in Coelum spectatores fuerunt. Petrus, cui universalis Ecclesiae administrandae partes a Jesu Christo datae fuerant, dixit opus esse, ut impio Iudae sufficeretur aliquis, qui locum Apostolicum obtineret; cumque duo propositi essent, Joseph qui dicebatur Barsabas, et Matthias. Cumque sortiti essent, Matthiae sors obtigit, qui inter Apostolos est cooptatus. E septuaginta Jesu Christi Discipulis erat Matthias. Quod hic controverti posset, est de electione Matthiae in Apostolum facta per sortem. Quod exemplum in suis electionibus Ecclesia non solum est secuta, sed potius visa est, ne in praxim adducatur, interdixisse. Verum haec non pugnant cum facto Apostolorum in electione Matthiae. Primo quia hoc Apostolos fecisse ex particulari Spiritus Sancti instinctu: ideoqne in exemplum trahi non potest. Secundo quia non est certum in electione Matthiae meram ac veram sortem fuisse: tum quia dicitur, quod

statuerunt duos: utique communibus votis; tum quia sors, quae cecidit super Matthiam non fuit sors proprie dicta, sed signum aliquod visibile, puta radius coelitus adlapsus in Matthiae caput, quo Apostoli cognoverunt, ipsum esse praelectum a Deo. Doctissimo et Sapientissimo Benedicto XIV videtur Scriptura sortem appellare divinum illud munus quo declarabatur Choro hierarchico, quisnam divino suffragio electus erat. Cum ii omnes, qui Matthiam elegerant, ipso Pentecostes die in eodem essent loco, vehemens ex improviso ventus coortus est, quo tota domus, in qua erant, concussa est. *Et cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco: et factus est repente de Coelo sonus, tamquam advenientis Spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes;* verba sunt Act. Apostolorum Cap. II. v. 1 ad quae verba P. Tirinus notat: *Non necessarium est, fuisse verum ventum, sed sufficit fuisse verum sonum, qualis excitari solet a vento valido ingruente.* Ad illum sonitum excitatus universus populus eo accurrit, ubi erant Apostoli; ibi enim vehementius aer commoveri, et sive sonus, sive strepitus, quaecumque causa esset unde oriretur, gravior ingruere videbatur.

V. Circa locum, in quo Spiritus Sanctus super Apostolos ac Discipulos congregatos advenit, certum est ex Act. I fuisse Coenaculum in superiori parte domus positum, quo post Domini ascensum se receperunt, ibique per decem dies usque ad Spiritus Sancti adventum, ut se a Judaeorum oculis subtraherent, manserunt. Cujus autem esset ista domus et Coenaculum, Scriptura tacet, et ideo nihil certi statui potest. Theophylactus in Cap. XXVIII Matthaei contendit, eam fuisse Josephi ab Arimathaea, aut forte Nicodemi, ut opinatur Euthymius. Nicephorus *Lib. I Historiae* Cap. 28, et Cedrenus has aedes privatas, in quibus erat illud Coenaculum, ad Ioannem Evangelistam pertinuisse autumant. Quoad horam diei qua descendit super Apostolos Spiritus Sanctus, conveniunt omnes, hanc fuisse Tertiam. Hac ergo hora, dum Apostoli ac Discipuli essent in Coenaculo perseverantes in oratione, illapsu Sancti Spiritus super eos promissum Christi impletum est. Hoc aperte habetur Act.

Cap. II, ubi cum Apostoli pleni Sancto Spiritu e Coenaculo egressi variis linguis loquerentur, tanto et a saeculis inaudito portento, ex Iudaeis quidam stupentes dicebant: *Quid est hoc?* Quidam vero *irridentes dicebant, quia musto pleni sunt isti*. His sese opponens Petrus vers. 15 ait: *Non, sicut vos aestimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia.* Signum sensibile, quo Spiritus Sanctus suum adventum manifestavit, sic describitur Act. Cap. II v. 2: *Et factus est repente de coelo sonus, tanquam advenientis Spiritus venientis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitae linguae tamquam ignis, seditque super singulos eorum.* Quibus indicatur, primum signum fuisse sonum tamquam venti repente irruentis, et domum totam replentis, ut qui ibi erant excitarentur. Secundum apparitionem linguarum dispertitarum tamquam ignis, qui sedit super singulos eorum. Quaeritur enim an verus fuerit ille ignis, et quid per eas linguas dispertitas sit intelligendum. Doctissimus P. Calmetus in Caput II Act. Apostolorum v. 3 ait: *non fuisse illum materialem ignem, et elementarem, sed fulgorem quemdam non absimilem igni, qui symbolum erat luminis, et ardoris, quem in Apostolos, caeterosque Spiritus Sanctus injiciebat.* Sapientissimus Benedictus XIV existimat eas igneas linguas, nihil aliud fuisse, quam igniculos, seu exiguas flammulas, quae super eos, qui illic aderant, hac illac dispertitae sint. Cur autem Spiritus Sanctus, qui in specie Columbae super Christum descendit, super Apostolos in specie ignis apparuerit, rationem dat S. Augustinus *Tract.* VI in Ioannem, et ex eo S. Thomas, *Lect.* XIV in Caput I Ioannis, ut nimirum ostenderetur, in fidelibus simplicitati Columbae, debere conjungi fervorem ignis. *Hac* inquit, Augustinus *vidimus columbam super Dominum, hac linguas divisas super discipulos congregatos: Hic simplicitas, hic fervor ostenditur.* An in solos Apostolos, an etiam in omnes Fideles in Coenaculo congregatos effusus sit Spiritus Sanctus. Beza juratus Calvini gregalis, id inepte restringit ad solos Apostolos. Eumdem confutat etiam haereticarum partium scriptor Ioannes Christophorus Starembergius *Dissertatione De miraculo Pentecostali* num. 9. Et re quidem

vera fidenter responderi potest, super omnes Spiritum Sanctum fuisse delapsum. *Sedit enim supra singulos eorum*; verba sunt ex Capite secundo Act. Apostorum. Cumque ibi solum Apostoli, sed et alii essent inclusi, sicut Lucas dicit Act. Cap. I v. 14, ubi recensitis Apostolis: *Hi omnes*, inquit, *erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria Matre Iesu*, fit ut non in solos Apostolos, sed et in alios Viros ac Mulieres et Beatissimam Matrem Iesu, Spiritus Sanctus die Pentecostes effusus sit. Quamobrem Divus Chrysostomus *Homilia quarta in Caput II* Act. Apostolorum ita scribit: *Quid autem? An in duodecim venit tantum, non etiam in caeteros? Nequaquam: sed venit etiam in illos centum viginti*. Idem confirmat Divus Augustinus Tract. XIX in Ioannem.

VI. Effectus missionis Spiritus Sancti fuerunt primo augmentum gratiae sanctificantis. Contulit eis secundo gratiam septiformem seu septem dona, quae vulgo Spiritus Sancti dona dicuntur. Sunt ergo donum sapientiae, donum intellectus, donum consilii, donum fortitudinis, donum scientiae, donum pietatis, donum timoris Domini. Donum quidem sapientiae ad judicandum de rebus divinis; donum intellectus ad rectam apprehensionem veritatis; donum consilii ad recte deliberandum de difficillimis; donum fortitudinis ad consequendum finem operis ardui propter Deum suscepti, et superanda quaecumque mala ex adverso imminentia; donum scientiae ad discernenda credenda a non credendis, et recte judicandum de rebus humanis, quatenus ducunt ad Deum; donum pietatis ad exhibendum cultum Deo debitum; donum timoris ad Deum reverendum ac timendum. Contulit eis tertio effectus ex donis ipsis promanantes, nempe duodenarium fructum ab Apostolo indicatum Galat. Cap. V v. 22: *Fructus autem Spiritus est: Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Benignitas, Bonitas, Longanimitas, Mansuetudo, Fides, Modestia, Continentia, Castitas*. Haec enim vocantur Spiritus Sancti fructus, quia sunt quidam actus ex altiori Spiritus Sancti virtute. Inter mirabiles effectus, quos super omnes in Coenaculo congregatos produxit Spiritus Sanctus, fuit donum linguarum, quo omnibus omnium gentium lin-

guis e Coenaculo egressi coeperunt loqui, stupente ex omni Natione multitudine, quae tunc occasione Pentecostes Hierosolymis aderat, et ad tam grande prodigium accurrerat. Prodigium hoc loquendi omnibus linguis, et coram multitudine ex universo Orbe congregata, fuit simul Mysterium, nimirum Evangelium Christi fore ad omnes linguas et Nationes praedicatione extendendum, et Christi Ecclesiam per universum Orbem diffundendum.

CAPUT XIII.

DE FESTO SS. TRINITATIS.

I. Thomassinus Lib. II de *Festis* Cap. 18 perbelle ostendit, nedum dies Dominicos, sed quoslibet Christianorum dies festos, jure vocari posse, et esse Trinitatis solemnia, quia quidquid in illis veneratione prosequimur, cultum, mentemque nostram a quibusvis rebus ad Trinitatem ipsam traducit, ad quam tanquam rerum omnium finem pertinent cuncta. Haec fuit causa, ob quam in Ecclesia Romana Festum SS. Trinitatis admodum sero legitur institutum. Etsi itaque solemnitas ista apud Ecclesiam Romanam non esset in usu, pluribus tamen in locis consueta erat celebrari, in quibusdam in octava Pentecostes, in aliis in Dominica, quae adventum anteit. Quinam vero hujus festi primus fuerit auctor, facile non est demonstrare. Rupertus Abbas scriptor saeculi XII ineuntis *de Divinis Officiis* Lib. II Cap. 2 loquitur de hoc festo aetate sua tamquam communiter recepto, et ejusdem tamquam festi in pluribus Ecclesiis invecti, et diversis temporibus celebrati, meminit etiam Durandus Lib. III Cap. 16. Radulphus vero Tungrensis, qui Cap. 60 scribit, quod in Gallia ubique ferme cum octava colebatur. Ratio ob quam huic magis Dominicae, quam alteri diei praedicta festivitas consignata fuerit, excogitatur varia. Rupertus Abbas Lib. II. Cap. 1 eo quod post adventum Spiritus Sancti coepit statim praedicari, et credi mysterium SS. Trinitatis, in cujus nomine dabatur Baptismus. Thomassinus loco citato, ut omnes pernoscant, Trinitatem fi-

nem, et complentum esse celebritatum omnium, ac mysteriorum. Ejusmodi enim cultus additus est ad majorem reverentiam Trinitatis, et ut expressa memoria tam in Officio proprio, quam in concionibus illius Mysterii fieret. Ioannes enim XXII qui obiit anno 1334 primus decrevit, ut prima post Pentecosten Dominica ab .universali celebraretur Ecclesia. In id consentiunt Martene, de *antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis Officiis* Cap. XVIII Lib. II num. 13; Ciacconius, in *vita Ioannis* XXII; Gavantus, et Meratus, in notis ad Gavantum Tom. I part. 2; Pagius, in *Breviario Romanorum Pontificum. T. IV in vita Ioannis* XXII n. 86; et Benedictus XIV, *de Canonizatione Sanctorum* part. 2 Cap. 30 n. 1.

II. Quod spectat ad ritus hac in die observari solitos, erant certe solemnissimi; saltem in praecipuis et omnibus passim monasteriis. Et re quidem vera Invitatorium a quatuor cantabatur et quidem in cappis. Lectiones primi secundique nocturni octo de Sermone S. Leonis Papae assignat vetus Corbejense Ordinarium. In Laudibus psalmos omnes sub una antiphona: *O Beata et benedicta* cantabant Dionysiani Monachi. Officium, quod Romae hac die dicitur, illud est, quod composuerat Stephanus Leodiensis, cujus meminit Durandus, et Trithemius, exceptis hymnis, et Lectionibus, quas Pius V immutavit, atque etiam inseri jussit octavum Responsorium, *Duo Seraphim*. Concilium Salegunstandense Anno 1022 devotionem quarumdam mulierum memorat, quae per aliquos dies Missas de Trinitate vel de S. Michaele postulabant, quod Concilium vetuit in diebus Festis. Durandus Lib. VI Cap. 114 consuetudinem refert quarumdam Ecclesiarum; bis hoc Festum celebrantium, in prima nempe, et ultima Dominica post Pentecosten. Antequam Romae institueretur Festum SS. Trinitatis, nullum erat Officium in hac Dominica, quae appellabatur *Dominica vacans* propterea quod Officium factum fuerat nocte praecedenti, Ordinationis tempore, et protrahebatur hoc Officium usque ad primam lucem Dominicae, quod quidem Officium duodecim Lectiones continens longasque preces, ac praecipue copiosam Ordinationem in magnis urbibus, adeo diutur-

num erat, ut nocturni, et matutini Officii teneret locum, videlicet, Matutinum, Laudes, et Missam complecteretur. Micrologus Cap. IX ut notat etiam Gavantus, Missam, quam legimus SS. Trinitatis, Alcuino tamquam Auctori attribuit, sed ejus Auctor Alcuinus profecto non est, ut jam doctiores agnoscunt. Codex Remensis apud Menardum nihil habet hujus Missae, sicut pariter nec Sacramentarium Gregorianum; ex Bernone Augiensi tamen, et ex iis, quae habent Menardus, et Pamelius in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii, conjicere possumus hac die mentionem aliquam Trinitatis esse antiquitus factam, non quidem in Oratione, aut Missa, sed in versiculis, et Praefatione, quae Pelagio II solet adscribi, non quia pertineret tunc ad Missam de Trinitate, quia nondum instituta erat, sed quia continebat expositionem Catholicae Fidei contra haereticos, praesertim Arianos, quam, abjurantes haeresim suam, et Ecclesiam ingredientes, profiteri jubebantur, ut animadvertit Grancolas.

CAPUT XIV.

DE FESTO CORPORIS CHRISTI.

I. Festum Sacratissimi Corporis Christi primam sui originem debet Leodiensibus, qui ante omnes Ecclesias illud receperunt, hortante praesertim B. Iuliana Montis Cornelii apud Leodium Sanctimoniali, et promovente Roberto, ejusdem civitatis Episcopo, cui cum Iulianae de restituenda nova festivitate votum complacuisset; ut habent Acta S. Iulianae apud Bollandum 5 Aprilis universis Ecclesiasticis suae dioeceseos, per elegantem Epistolam praecepit, ipsam solemnitatem singulis annis die ad hoc statuto cum Officio celebrari, et ab eorum fidelibus sicut diem Dominicam ab omni servili opere inviolabiter observari. Porro ne piissimo fraudaretur voto Robertus, proposuit in sua Synodo, quod per Epistolam statuerat viva voce solemniter publicare. Verum ipse morte praeventus sanctum haudquaquam potuit adimplere propositum. At Hugo S. R. E. Cardinalis ad partes Alemanniae a Summi Pontificis latere

destinatus, hoc in se suscepit negotium, primusque in S. Martini Ecclesia Leodiensi Festum illud et promulgavit et celebravit. Ad ipsius etiam Cardinalis exhortationem Canonici majoris Ecclesiae Leodiensis, praemissam solemnitatem in sua Ecclesia celebrarunt. Neque his contentus Hugo, sed antequam ad Romanam Sedem reverteretur, dictae solemnitati providere studuit in futurum. Nam a cunctis Ecclesiarum Rectoribus et Praelatis, et aliis Christifidelibus infra legationis suae terminos constitutis ipsam statuit celebrandam, eamdem fieri rogans et praecipiens et injungens singulis annis die ad hoc praefixa cum proprio officio ipsi solemnitati deputato. Ut autem firmior et inconvulsa praefata institutio per futura saecula permaneret; Stephanus Canonicus Leodiensis una cum Maria sorore sua non infimam bonorum suorum partem Ecclesiae S. Martini contulit, quo in perpetuum solemni ritu in ea celebraretur. Ioannes vero de Laudano Ecclesiae praedictae Canonicus Octavam Corporis Christi fundavit. Sed tandem Iacobus de Trevis vel Trecis Ecclesiae Leodiensis Archidiaconus, creatus Summus Pontifex Urbanus IV Festum Corporis Christi per universam Ecclesiam celebrari mandavit, data Bulla Septembris die octava anni 1263, quam postmodum Clemens Papa V confirmavit in Concilio Viennensi. Cum Fideles hoc caelesti alimento in aeternam vitam totius anni cursu reficiantur, peculiares etiam honores deferendi erant, eo potissimum tempore, quo Paraclitus super Apostolos immissus divino eos lumine perfudit, ut altissimam hujus Sacramenti dignitatem intelligerent. In quibusdam Ecclesiis Missae a nostris differunt, Introitus, *Ego sum Panis vivus*, Offertorium, *Portas coeli* Communio, *qui manducat*. Urbanus IV jejunandam vigiliam Corporis Christi praeceperat, atque hoc jejunium praescriptum cernitur in Concilio Senonensi Can. I Parisiis habito An. 1319.

II. De auctore Officii SS. Sacramenti consentiunt omnes viri eruditi; verum et germanum illius parentem esse S. Thomam Aquinatem, nec minimum dubitandi scrupulum relinquit erudita R. P. Natalis Alexandri Dissertatio, qua illud vindicat Angelico Doctori, qui illud jubente Urbano IV Summo Pontifice composuit tanta

pietate, tantaque divini Spiritus unctione refertum, ut illud mox omnes Ecclesiae sibi decantandum persolvendumque ultro susceperint. De solemni hujus diei processione, ne minimum quidem verbum in Urbani IV Bulla, qua Sacratissimi Corporis Christi festivitatem instituit. Non diu tamen post festi erectionem institutam fuisse docent nos antiqui Libri Rituales circa illa tempora scripti. In aliquibus vero locis, non solum hac die, sed etiam per totam Octavam fit ista Processio. Ad illam vero, quae fit in praedicta Feria V hujus festivitatis, tenetur Clerus Saccularis, et Regularis omnium Ordinum, atque piae Sodalitates convenire juxta Concilii Tridentini sanctionem, quae habetur Sess. 25 Cap. 13 in qua statuitur: *Quod tam Clerici Regulares, quam Saeculares quicumque, etiam Monachi ad publicas Processiones vocati accedere compellantur*. Cum Processio, quae facienda est in hac solemnitate, fit sollemnior omnibus Processionibus, distinctior quoque ejus pompa, et apparatus esse debet; ornatus enim major majorem Sollemnitatem ostendit. Altare insuper, in quo est ponenda Sanctissima Eucharistia, parari debet festivo apparatu, et pretiosiori suppellectili. Hac die, dicta Tertia, celebratur sollemnis Missa de more; Tertia tamen citius cantari potest, ut habet Caeremoniale Episcoporum Lib. II Cap. 33 §. 15. SS. Eucharistiae Sacramentum, in Processione, quae fit in Festo Corporis Christi deferri debet ab eo qui Missam celebrat. Clerus Ecclesiae Cathedralis unitus ultimo loco incedere debet in Processionibus, nec Clerus, vel Canonici aliarum Ecclesiarum debent cum dicto Clero Cathedrali incedere. Ita S. R. C. 21 Augusti 1604. An vero statim ab initio patenter delata fuerit Eucharistia dubitare videtur Ioannes Baptista Thiersius in singulari Tractatu, quem de SS. Altaris Sacramenti expositione inscripsit Lib. II Cap. 4 in eamque propendet sententiam, quae Corpus Christi in Calice seu vase alio absconditum, deportatum fuisse sustinet. Verum huic opinioni obviat primo antiquum Missale Monasterii Fiscamnensis ad usum Ecclesiae Rotomagensis scriptum, cujus character ad annos 400 proxime accedit in quo ante hujus diei Missam praemittuntur ea quae in Processione sunt ca-

nenda, atque in prima initiali littera efformatur imago duorum presbyterorum SS. Sacramentum in vase gestatorium omnino apertum, ut nunc fit, humeris gestantium. Idem eruitur ex Missali Meloduneusi, in quo Feria quinta post Festum SS. Trinitatis habetur Missa de SS. Sacramento cui appicta est imago Sacerdotis sacram Encharistiam manu gestantis, sub Baldachino a quatuor viris delato, qui perinde ac Sacerdos ipse et reliqui Clerici nudum caput florum coronis ornatum habent. Verum nullum dubitandi locum relinquit Ordinarium Silvanectense ab annis circiter 400 manu exaratum in quo haec legitur: *Post Primam Processiones SS. Reguli et Frambaldi, et omnes Curati civitatis cum suis parochianis, et Canonicis S. Mauritii veniunt ad Ecclesiam Cathedralem. Tum fiet Processio in cappis sericis, in qua Sacratissimum Corpus Christi in aperto vasculo positum defertur ab Episcopo.* Praeterea alia pariter Processio dimanavit, cum Divina Mysteria magno Populi concursu ad infirmos deferuntur. Ob eam rem Martinus V largiora celestis Thesauri munera in eos contulit, qui Dominicum Corpus pie comitati essent. Hac profecto de causa pietas in fidelium animis aucta est, et sanctissima inducta consuetudo, ut quolibet mense in Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus, atque etiam in Parochiis hujusmodi publica supplicatio haberetur. Sanctus Carolus Borromaeus hujusmodi Processiones, quae uno quoque mense fieri solent, memorat in quarto Concilio.

CAPUT XV.

DE FESTO INVENTIONIS SANCTAE CRUCIS.

I. Vetustissimam hanc esse Festivitatem ait Micrologus, eamque docet a S. Eusebio institutam in *Observationibus Ecclesiasticis* Cap. LV: *Eusebius Papa constituit, ut omnes Christiani Inventionem S. Crucis quinto Nonas Maii solemniter celebrarent.* Eadem affirmat Burius in *Notitia Romanorum Pontificum.* Alludit Micrologus ad Decretum S. Eusebii a Gratiano relatum *de Consecratione Dist.* 3 et ad ejusdem Pontificis Decre-

talem quae tanquam spuria rejicitur. Bollandistae non absimile existimant, postquam Helena Romam Crucis partem vel misit, vel e Palaestina rediens ipsa secum tulit, et in Basilica S. Crucis in Hierusalem collocavit, in hac primum Ecclesia Festivitatem Inventionis S. Crucis celebrari coepisse, atque inde a Summis Pontificibus in alias Romae Ecclesias invectam esse, unde tandem ad universalem Ecclesiam permeaverit. Sane de ea mentio fit in Sacramentario et Antiphonario S. Gregorii. In Missali Gothico a Cardinali Thomasio evulgato, adest Missa *in Inventione Crucis*. In antiquissimo illo Sacramentario Gallicano habetur Missa de Inventione. Martyrologia idem Festum annunciant. Unum hic refero quod omnium antiquissimum a multis putatur, illud scilicet, quod evulgavit Florentinius. In eo porro ad 3 Maii diem haec habentur: *In Hierosolyma inventio S. Crucis Domini nostri Iesu Christi*. Gregorius XI jussit componi non modo Inventionis, sed Exaltationis quoque S. Crucis Officium. Ejus Officii auctorem fuisse Petrum Senogalliensem Episcopum tradit Bailletus. Quod autem quaerunt, quid in Sanctissimae Crucis Inventione reperiatur hac Festivitate dignum; respondemus Inventionem Crucis non esse hujus Festivitatis fundamentum, sed Festivitatis instituendae occasionem praebuisse. Etenim sola Crux propter Christum, qui ei est affixus, ponitur veluti fundamentum huic Solemnitati. Iesus Christus enim objectum est Religionis nostrae praecipuum, et Crux tanquam nostrae Redemptionis instrumentum colitur.

II. Ad venerationem Crucis pertinet quoque Crucis inventio. Age itaque monumenta proferamus, quibus id constet. Praeire Cyrillum Hierosolymitanum volo, utpote omnium, qui expressissimae inventae Crucis meminerunt vetustissimum (1). Is in *Epistola ad Constan-*

(1) Crux inventa est anno Christi 326 proximo post Concilium Nicaenum Oecumenicum I Imperii Constantini Magni 21 Silvestri Pontificis 13. Id satis apparet ex Chronico Eusebii, ex Rufino, Lib. X Historiae Ecclesiasticae Cap. 7; et ex Sozomeno, qui Lib. II Cap. 1 refert, eodem fere tempore, quo memoratum Concilium dimissum est, Crucem ab Helena inventam fuisse.

tium imperatorem ita loquitur : *Ac tempore quidem Deo dilectissimi, beataeque memoriae patris tui Constantini, salutare Crucis lignum Hierosolymis inventum est : divina gratia ei , qui pietatem recte quaerebat, etiam occultorum Sanctorum locorum inventionem annuente.* Cyrillum subsequatur Ambrosius. Hic cum copiose rei gestae seriem narret N. 43 et subsequentibus orationis in funere Theodosii Imperatoris aliqua tantum exscribam. » *Venit ergo Helena , coepit revisere loca sancta infudit ei spiritus, ut lignum Crucis requireret accessit ad Golgotha, et ait : Ecce locus pugnae, ubi est victoria . . . . Ego inquit, in regnis, et Crux Domini in pulvere ? ego in aureis, et in ruinis Christi triumphus . . . Aperit itaque humum, decutit pulverem : tria patibula confusa reperit quae ruina contexerat, inimicus absconderat : sed non potuit obliterari Christi triumphus.* Id ipsum memoriae prodidit Paulinus Nolanus in ea ad Severum Epistola quae olim XI erat, nunc XXXI n. 3 et subsequentibus. Inventae pariter Crucis meminere Chrysostomus, *Homilia 84 in Ioannem;* Socrates, *Capite XIII in editione Valesii XVII Libri I ;* Sozomenus, *Libro II Cap. 1 ;* Theodoretus , *Lib. I Cap.* 18 ; Cassiodorus, *in Tripartita Libro II* Cap. 18; Acta S. Luciani, apud Bollandistas Ianuarii mense pag. 261 ; Gregorius Turonensis, *De Gloria Martyrum Cap. 5 et 6 ;* Hormisda, *in Epistola ad Euphemiam Augustam pag. 613 et 616 T. V Conciliorum ;* Menologium Graecorum , Alexander Monacus, *De Inventione Sanctae Crucis T. II Gretseri de Cruce* pag. 24 ; Beda , *De Locis Sanctis Cap. 2 ;* Freculphus, T. II Lib. III Cap. 18 ; Anastasius Bibliothecarius, *in Eusebio Sect. 32 ;* et Nicephorus Calixtus, *Lib. VIII.* Cap. 30. Insuper non leve praebet nobis tum crebra apud veteres mentio particularum Crucis, tum eximium illud, ac vere mirificum studium, quod vetustissimi etiam Christiani adhibebant ad Dominicae Crucis particulas sibi comparandas. An vero earum meminissent, an eas tanto opere perquisiissent, si omnino inventa non fuisset Crux, ex qua particulae decerpi possent, et inter Fideles distribui. An Chrysostomum praeteribo mirum in modum id, quod agimus, verbis his comprobantem : *Illud* inquit, *in Libro con-*

tra Iudaeos et Gentiles, quod Christus sit Deus T. I. pag. 571 *vero ipsum lignum, in quo sacrum corpus passum et crucifixum est, cur certatim omnes adeunt? Cur particulam ejus multi sumentes auro inclusam, tum viri tum mulieres a collo suspendunt ad ornatum: etsi damnationis et ultionis symbolum hoc lignum fuerit?* Particulam Dominicae Crucis cum Eulogiis Leoni I missam fuisse a Iuvenale Epistola 72 ad eumdem Iuvenalem scripta testatur. Ejusdem Crucis particulam obtinuisse Radegundem Reginam, ac devote in Pictaviensi Monasterio collocasse, ex Gregorio Turonensi Libro I *de Gloria Martyrum* Cap. 5 assequimur. Si quis alia cupit exempla, ea consulat, quae P. Gretserus luculentissima habet Tom. I *de Cruce* Lib. I Cap. 77 78 79.

III. Egregie Natalis Alexander *Dissert. VII Historiae octavi Saeculi* stultum Paulicianorum errorem confutat, quem rursus a Claudio Taurinensi, a Petrobusianis, et Wicleffistis excitatum novissime Lutherani, et Calvinistae instaurarunt, adversus cultum, qui Cruci, cui affixus est Iesus, ejusque Crucis Imaginibus jure tribuitur. Et re quidem vera praestat caeteris Damascenus, quippe qui apertissime testatur consuetudinem, quae nobis inest, ut *Crucem veneremur*, inquit, *Libro IV de Fide Orthodoxa* Cap. 16 in earum numero esse recensendam, *quae in Scripturis minime expressae sunt, uti eam, qua ad Orientem conversi adoramus:* quam tamen procul dubio ad apostolica tempora referunt. At multo expressiora cultus hujus argumenta praesto sunt nobis, si ad ea tempora quaestionem deducas, quibus detecta Crux omnium osculis ac venerationi exposita est. Approbatum deinde fuisse cultum Cruci adhibitum, innumera propemodum monumenta testantur. Laudat sane Paulam Hieronymus in *Epistola 108 ad Eustochium, quod prostrata ante Crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorasset.* Afferri solet alter Hieronymi locus, desumptus ex Commentario in Psalmum XCVIII in quo quidem verba illa: *adorate scabellum pedum* ejus, ad Crucem refert. Sed Hieronymo librum illum Critici demunt; vetustum tamen, nec ignobilem habet auctorem. Nostrae etiam Religionis honori vertit Theodoretus Oratione sexta I. II quod *Graeci,*

Romani, Barbari crucifixum Deum prenunciarent, Crucisque signum honore prosequerentur. Alibi quoque testatur in Caput I Isaiae consuevisse per id tempus populos omnes Hierosolymam confluere, *videre gestientes non murorum amplitudinem .... sed sepulcrum Dominicum et Crucis formam Dominicae.* Profecto ter quovis anno solemniter propositam fuisse Hierosolymis ad adorandum eam Crucis portionem, quam ibi reliquerat Helena, subsequentibus luculentissimis testibus evincitur. Id Paschate fieri consuevisse, testatur Paulinus *Epistola 31 ad Severum: Crucem,* inquiens, *Episcopus Urbis Hierosolymitanae quotannis, cum Pascha Domini agitur, adorandam populo, princeps ipse venerantium, promit.* Eodem respicere putatur Hieronymus, cum haec ait in *Caput IV Epistolae ad Galatas* v. 10: *Nos azymorum Pascha non celebramus, sed Resurrectionis et Crucis.* Media Quadragesima, ideoque ante Pascha, publice ostensam ac populorum venerationi propositam fuisse Dominicam Crucem, memoriae prodidere Sophronius Patriarcha Hierosolimitanus aliique quorum testimonia collegit Gretserus T. II *de Cruce* pag. 212. In ipsa Exaltationis Dominicae Crucis festa die, solemniter fuisse populis ostensam Crucem, Andreas Cretensis Archiepiscopus affirmat *in Oratione secunda in Exaltationem S. Crucis. Merito etiam ingens haec multitudo hodie congregata est, ut et Crucem hodie patefactam contempletur, Christumque simul in illa exaltatum adoret; patefacta enim est, ut exaltetur, exaltatur vero, ut manifestetur. Quaenam? illa videlicet quae paulo ante in loco Calvariae abscondebatur, nunc autem ubique adoratur.*

IV. In honorem sacrosanctae Crucis dedicarunt majores nostri, eximio Crucis amore inflammati, Templa, Oratoria et Altaria. Fecit id Constantinus Magnus pro illa sua nunquam satis praedicata in Crucem religione. Romae in Atrio Sessoriano, apud Veneris et Cupidinis templum, quo diruto, post inventam ab Helena matre Crucem, aedificavit insignem Ecclesiam, sanctissimae Crucis signo sacram, cui praeclaras, quas diversis temporibus obtinuerat victorias, ferebat acceptas, in qua etiam Crucis repertae partem religiose colloca-

vit. Qualia munera et quam munifica et plane regalia Constantinus Templo huic, Crucis amore et veneratione inductus, contulerit, describitur ab Anastasio Bibliothecario in Sylvestro. Aliam Ecclesiam Dominicae Cruci sacram aedificavit Constantinus Hierosolymis, de qua Eusebius *Oratione in laudem Constantini*: *In media urbe*, inquit, *quae apud Hebraeos, primas obtinet non modo Ecclesiam, quae ad memoriam Christi passionis aedificata fuit, verum etiam Templum sanctum salutari signo Crucis dedicatum magnificis sumptuosisque insignibus exornavit*. Hilarus Romanus Pontifex, successor Leonis Magni, vita rebusque gestis clarissimus, fecit in Basilicae Constantinianae Baptisterio, tria Oratoria: unum S. Ioanni Baptistae, alterum Ioanni Evangelistae, tertium S. Cruci; et omnia argento et lapidibus pretiosis ornavit, ut inquit Anastasius Bibliothecarius: qui mox de eodem Hilaro haec verba subdit: *In Oratorio S. Crucis fecit confessionem, ubi lignum posuit Dominicum, et Crucem auream cum gemmis, pensantem pondo librarum viginti*. Dedicavit Gregorius Turonensis Oratorium in honorem S. Crucis, ut apparet ex Carmine Fortunati, quod in hanc sacram domum S. Cruci dedicatam edidit. In vita Ludovici Imperatoris mentio fit Templi in honorem S. Crucis Barcinonae in Hispania extructi, uti constat ex Aimonio Lib. V *de gestis Francorum*. Templum in honorem Sanctae Crucis exstruxit Salamon, prius Abbas S. Galli, postea Episcopus Constantiensis, de quo Ekkerhardus Iunior Coenobita Sancti Galli in Libro *de Casibus Monasterii S. Galli*. Nec silendus Carolus Magnus, qui recuperata a Saracenis Arelate, Ecclesiam in honorem S. Crucis consecrari voluit. Testatur hoc vetus inscriptio, quae hodie etiam visitur prope Arelatem in aedicula S. Crucis.

V. Illud item non modicum argumentum est pii in Crucem affectus, quod ab hac plurimis rebus nomen indiderunt: invenimus enim passim a S. Cruce nomen accepisse primo Provincias integras. Latissimam illam enim regionem, quae hodie Brasilia vulgo dicitur, nominarunt ii qui eo primi felicibus austris advecti sunt, Provinciam S. Crucis, ut testatur Maffejus, Osorius, et Alanus. Secundo Insulas; hinc Insula S. Crucis in

Atlantico Oceano.* Tertio Civitates. unde Stauropolis, hoc est, Civitas Crucis apud Curopalatam, et Civitas Crucis in India Occidentali, a Cortesio sic appellata, ob Crucem isthic erectam, ut refert Alanus ex Francisco Lopez. Quarto oppida, pagos, arces, munitiones, montes; vix enim ullam Chorographiam inspicias, in qua non reperias haec et similia Crucis appellatione insignita. Quinto portas et plateas Urbium, cujus rei exempla in plurimis civitatibus occurrunt. Sexto herbas, flores, radices, et monetas. Septimo sidera, hinc in America Stella crucifera lucidissima. Octavo cognomenta Familiarum in Hispania et Lusitania, etiam nobilissimarum; quot enim familiae cognomine a S. Cruce, vel *Cruciorum* gaudent? Nono Ordines. Hinc milites Crucis, et Crucigeri.

VI. Antiquos obtestationes et juramenta fecisse per Crucem et ad Crucem; Fideique firmandae causa vitale lignum Crucis ad alios misisse, exemplis quamplurimis constat. Principio igitur veteres obtestabantur se mutuo per Crucem: *Obtestor beatitudinem tuam per Crucem Domini, per necessarium Fidei nostrae decus*, clamat S. Hieronymus ad Domasum Pontificem. In Missa pro navigantibus apud S. Gregorium in Sacramentario petitur, *ut Deus famulos suos, quos donis facit caelestibus memorari, per lignum S. Crucis et a peccatis abstrahat, et a periculis cunctis miseratus eripiat*. Utebantur veteres hoc etiam loquendi modo: *Cruce fretus hoc vel illud aggrediar*. Testis, praeter alios, Cosmas Hierosolymitanus, qui hymnum in exaltationem S.Crucis scripsit: cujus literae initiales (est enim acrostichis) haec verba efficiunt *Cruce fretus hymnum decanto*. A Crucis veneratione fluxit ille modus loquendi, ut debellatores Haereticorum et haeresum dicerentur vexillum Crucis erexisse. S. Hieronymus *Epistola* 70 ad Theophilum post damnatos Origenistas: *Breviter*, inquit, *scribimus quod totus mundus exultet, et in tuis victoriis glorietur, erectumque Alexandriae vexillum Crucis, et adversus haeresim trophaea fulgentia, gaudens populorum turba prospectet*. Auctorati sunt et milites, obligati sacramento in praesentia sacrosanctae Crucis, ut patet ex Cedreno in Constantino Leonis filio. Quid quod et Haeretici Iconoclastae ad sacrosanctas divinae Crucis

*

Reliquias jurabant, uti constat ex Cedreno in Copronymo? Solebant praeterea Imperatores Costantinopolitani Crucis Dominicae Reliquias obviam mittere hostibus, cum quibus in gratiam redire volebant, in signum arctissimae et inviolabilis reconciliationis, uti eruitur ex Cedreno in Michaele.

VII. Moris fuisse ad Sanctae Crucis Reliquias confugere, cum gravior urgeret necessitas, multa sunt ex antiquitate quae id planum testatumque faciant. Inprimis ex Evagrio Lib. IV *Historiarum* Cap. 25 Apameensium insignis et nunquam satis praedicata pietas. Cum enim ab exercitu Persarum extrema sibi, suisque fortunis imminere non immerito formidarent, rogarunt Thomam Episcopum, ut salutare vitaleque lignum Crucis in medium proferret, etsi praeter tempus et morem; ut jam, cum supremum diem viderentur obituri, illud contemplerentur amplexarenturque, utpote in quo sola hominum salus posita esset. Nec abnuit Episcopus, sacrosanctam Crucem certis diebus populo ad contemplationem et adorationem proposuit, nec frustra: id enim beneficii a Cruce consecuti sunt, ut Persae, ferro flammaque formidandi, nihil penitus damni aut cladis Apameensium Urbi inferrent. Abbatissa Monasterii S. Radegundis apud Pictavos, cum et a morbo corporis, et a seditiosis hominibus mirum in modum affligeretur, iamque seditiosos in Monasterium irruere videret: *Ad Sanctae Crucis arcam se deportari poposcit*, inquit, Gregorius Turonensis Lib. X. *Historiae Francorum Cap.* 15. Cum Civitas Constantinopolitana gravissima obsidione cingeretur, uti patet ex Cedreno, Theophylus, cohortante Michaele Balbo Imperatore, civitatem totam cum Patriarcha et civibus unum in agrum collectis, supplex obiit, ferens vivificae Crucis ligna, et Deiparae vestem. Legimus praeterea illos, qui gratiam sibi fieri volebant, Crucem secum exportasse obviam illis, a quibus misericordiam sperabant. Testatur id de Chrodielde Gregorius Turonensis Lib. X *Historiae Francorum* Cap. 15.

VIII. Non satis fuit veterum pietati Cruces in Templis pingere et statuere, ipsas insuper Ecclesias in speciem et habitum Crucis conformabant. Quo Crucis schemate nominatim exstructum fuit Templum illud Gazae

in Palaestina, quod S. Porphyrius, in locum Marnii, delubri celeberrimi, everso Idolo, substituit. Addidit Iustinus junior Imperator Ecclesiae, quae erat in Blachernis Constantinopoli, duos fornices, effecitque, teste Cedreno in Iustino, σταυρωτήν, hoc est, ut Crucis figuram referret. De Castris in bello ad formam Crucis componendis loquitur Leo Imperator in *Libro de apparatu Bellico.* In Conciliis additae sunt Evangeliis vel Crucifixi Imagines, vel Reliquiae de Cruce, quam Dominus morte sua dedicavit. Perspicuum hoc fit ex Actione prima, sexta, octava, nona et decima Synodi octavae contra Photium: ubi dicitur: *Propositis venerandis lignis et sacris Evangeliis.* Burchardus Wormaciensis Episcopus, describens ordinem Synodorum: *Sequatur*, inquit, *Subdiaconus portans Evangelium: duae Cruces hinc et inde.*

IX. Veteres Imperatores Crucem addiderunt diadematis, vestibus et purpurae. Imperatrices quoque fronti: *Regum purpuras*, inquit S. Hieronymus *Epistola ad Laetam, et ardentes diadematum gemmas patibuli Salvatoris pictura condecorat.* Extat nummus Heraclii Imperatoris, cujus diadema in vertice Crucem habet. Extat item nummus Aeliae Eudociae Augustae, quae fuit uxor Theodosii Iunioris, in cujus altera parte Crux lauro circumdata cernitur. Hujus generis nummos invenies apud Gretserum T. III *de Cruce* Lib. I. Quod ad vestes Imperatorum attinet, jam audivimus ex Divo Hieronymo, Regum purpuras Crucis signo splenduisse. Depictae sunt apud Nicephorum Gregoram imagines quorumdam Imperatorum Constantinopolitanorum, quae omnes plenae sunt Crucium. Excudit etiam Baronius T. IV an. 449 nummum Gallae Placidiae matris Valentiniani Imperatoris tertii hoc nomine, in quo ipsa Placidia conspicitur, dextero brachio insignita, Christi nomen et Crucem significantibus ☧ corona coelitus supra caput demissa. Praeterea Francorum nobilissimos suo in habitu Cruces gessisse propter reverentiam et amorem Crucis, spemque victoriae contra hostes Crucis, aperte colligitur ex iis quae de Francis traduntur post Capitularia Regum Francorum. Globus seu pila antiquissimum est insigne et gestamen Imperatorum; passim enim in ve-

tustis nummis manu gerunt Imperatores pilam cui Victoria insistit. Addidit igitur Constantinus huic globo Crucem, quod inter alios testatur Nicephorus Lib. VII Cap. 49, cum ait: *Constantinum pomo seu globo suae statuae superaddidisse Crucem*. Exemplum Constantini, globum cruciferum manu tenentis, secuti sunt reliqui Imperatores; habentur enim nummi Theodosii cum hoc globo, itemque Liciniae Eudoxiae. Ab hac igitur veterum Imperatorum consuetudine etiamnum descendit crucifer ille globus, inter sacri Romani Imperii insignia. Non modo in globo imperatorio ferebant Imperatores Crucem, sed et solam sine globo. In Originibus Constantinopolitanis proditum est, Iustinianum Imperatorem Templum cum Patriarcha intrasse, Crucem manu ferentem. Cruces imaginibus Victoriarum additas aliquando, videre licet in nummis Imperatorum: nominatim Marciani et Anastasii.

CAPUT XVI.

DE FESTO TRANSFIGURATIONIS DOMINI.

I. Transfigurationis Domini Festivitatem Callixto Papae III refert Platina in gratiarum actionem victoriae in Turcas in Hungaria reportatae. Complura Galesinius affert in Martyrologio argumenta, quibus hanc Festivitatem Callixto III antiquiorem probat. Baronius in *Notis ad* Martyrologium die sexta Augusti, vetustiorem ait esse hanc solemnitatem Callixto, qui tamen Officium de ea recitari jusserit. Suarez *Tom. I de Religione* Lib. II Cap. 5 num. 14 putat, Callixtum hunc festum diem, de quo tantum Officium recitaretur, ex praecepto celebrari jussisse. Et Bailletus existimat, Callixtum ad universalem Ecclesiam hanc extendisse solemnitatem. Certum illud est, ante Callixtum III in aliquibus Ecclesiis Transfigurationis Festum celebrari consuevisse. Et re quidem vera in vetusto Missali insignis Ecclesiae Turonensis ante annos 800 manu exarato reperitur hoc Festum cum Missa *In Vigilia Transfigura-*

tionis. Ex Wandelberti Martyrologio, de eadem solemnitate agitur his versibus:

Idibus octavis mortem passuri crucemque
Christi sancta caro aethereram dedit ante figuram.

Petrus Venerabilis in Statutis de Festo Transfigurationis loquitur tamquam de Festo antiquo, et passim cum summa solemnitate celebrato. Postremo dicimus, Callixtum ad divinam opem adversus Turcas implorandam, qui Christianos divexabant, peculiarem Transfigurationis Festivitatem die sexta Augusti in universa Catholica Ecclesia celebrari, Officiumque recitari jussisse, uti ex Callixti Bulla perspicuum est. Transfigurationis porro Solemnitas non solum apud Latinos celebris extitit, sed etiam apud Graecos, utpote cujus mentionem faciunt eorum Menologium hac die, et Constitutio Emmanuelis Imperatoris, quae reperitur apud Theodorum Balsamonem in Nomocanone Photii Tit. 7 Cap. 1.

II. De Iesu Christi Transfiguratione loquuntur Matthaeus Cap. XVII, Marcus Cap. IX, et Lucas Cap. itidem IX. Quid Transfiguratio fuerit, explicat Matthaeus Cap. XVII v. 2: *Transfiguratus est ante eos: et resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.* Marcus Cap. IX: *Transfiguratus est coram ipsis: et vestimenta ejus facta sunt splendentia, et candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere.* Denique Lucas Cap. IX v. 29: *Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera, et vestitus ejus albus et refulgens.* Quibus Evangelistarum verbis intelligimus, in Transfiguratione Christo nihil ex faciei lineamentis immutatum esse, sed faciem tamquam solem coruscasse. Quamquam autem de solius faciei et vestium splendore loquuntur Evangelistae, tamen cum transfiguratum esse dicant, exstimare licet, ejusmodi splendore non faciem tantum, sed totum corpus coruscasse, sacrosque Scriptores cum faciem memorant, corpus omne significare voluisse, ut docet Hieronymus Epistola XCI adversus Ioannis Hierosolymitani errores Cap. X. Transfiguratio autem quo pacto contigerit, sive quod idem est, unde splendor ille

manaverit, explicat Divus Thomas, in 3 part. qu. 44 art. 2. Itaque docet, *claritatem Corporis Christi in Transfiguratione derivatam fuisse ab ejus anima, tum ob Divinitatem cum qua hypostatice jungebatur, tum propter gloriam, qua jam inde a conceptione sua fruebatur.*

III. Illud maxime virum Theologum scire interest, cur Christus transfigurari voluerit? Cur ex tam multis Veteris Testamenti Patriarchis atque Prophetis geminos illos, Moysem et Eliam gloriae suae consortes ac testes elegerit? Cur ex Apostolis duodecim, tres tantum, Petrum, Ioannem et Iacobum habuerit prae caeteris spectatores? Peractae Transfigurationis rationes quatuor assignant, S. Basilius, in Psalmum XLIV; S. Leo, S. Cirillus Hierosolymitanus, S. Ephrem Syrus, S. Ioannes Damascenus in *Sermonibus de Transfiguratione*, et S. Thomas 3. *part. quaest.* 45 art. 1. Prima est, ut tenuem saltem Divinitatis suae radium mortalibus communicaret. Secunda ut Discipulorum animos communiret adversus proxime futurae passionis ignominiam, ne scilicet animos despondérent. Tertia ut Fideles supremae illius gloriae, cujus levem imaginem viderant, expectatione, ad ardua quaeque perferenda excitaret. Quarta ut se vivorum simul et mortuorum Dominum et Iudicem demonstraret. Multis perinde de causis Moysem et Eliam gloriae suae consortes ac testes ascivit, quas omnes insinuat Doctor Angelicus 3 part. quaest. 45 art. 3 ad 3: *Prima est haec: Quia enim turbae dicebant, eum esse Eliam, vel Ieremiam, aut unum ex Prophetis, capita Prophetarum secum duxit, ut saltem hinc appareat differentia servorum, et Domini. Secunda ratio est, quia Moyses Legem dedit, Elias pro gloria Domini aemulator fuit: unde per hoc, quod simul cum Christo apparent, excluditur calumnia Iudaeorum accusantium Christum tamquam transgressorem Legis, et blasphemum Dei sibi gloriam usurpantem. Tertia ratio est, ut ostendat se habere potestatem mortis et vitae, et esse Iudicem mortuorum et vivorum per hoc, quod Moysem jam mortuum, et Eliam adhuc viventem secum duxit. Quarta ratio erat, quia volebat ut Discipuli sui aemularentur Moysis mansuetudinem, et zelum Eliae.*

Sexta ratio addit Hilarius Cap. 17 in Matthaeum; *ut ostenderet, se per Legem, quam dedit Moyses, et per Prophetas, inter quos fuit Elias praecipuus, esse praedicatum.* Ex Apostolis vero, Petrum, Ioannem, et Iacobum, gloriae suae spectatores in Monte sancto habere voluit : seu quod illos solos infirmitatis suae et agoniae spectatores, ac testes habiturus esset in horto; seu quod illi ceteris Apostolis eminerent; Petrus quidem excellenti in Christum dilectione, futuraeque potestatis praerogativa; Ioannes privilegio amoris, quo a Christo diligebatur propter Virginitatem suam, et praerogativam Evangelicae Doctrinae; Iacobus Martyrii inter Apostolos principatu.

IV. Transfigurationem *supra montem excelsum* factam observat Matthaeus Cap. XVII: quis tamen ille fuerit, nullatenus indicat. Hinc nata opinionum discrepantia. Itinerarium Ierosolymitanum, quod et Burdigalense dictum est, Montem Oliveti, unde Iesus Christus in coelum ascendit, fuisse notat. Perperam prorsus. Mons etenim ille, non excelsus, sed humilis potius erat. Franciscus Lucas, aliique nonnulli recentiores, Montem Libanum fuisse contendunt. Non arbitror tamen a communi opinione recedendum, quae Christum in Monte Thabor transfiguratum existimat. Tum quod assignatae notae huic longe melius conveniant; quippe qui et in media Galilelae situs est, inter Tribus Zabulon, Esachar, et Nephtali; et in altitudinem stadiorum triginta assurgit. Tum quod constans illa, et indubitata sit veterum Patrum sententia, S. Hieronymi, *Epistola* XXVII *ad Eustochium de Epitaphio Paulae;* S. Cyrilli Ierosolymitani, *Catechesi XII*; S. Ioannis Damasceni, *Sermone de Transfiguratione:* Venerabilis Bedae, Libro *de Locis Sanctis* Cap. 17.; Nicephori Callixti, *Lib. VIII Historiae Ecclesiasticae* Cap. 30. At illud profecto ingentis miraculi loco habendum est, quod illic Moyses, et Elias praesentes adfuerint cum Christo loquentes. Illud ut maxime venit in controversiam, quomodo illuc advenerint. Ac de Elia, quidem, quem alicubi in terris coelestem vitam degere, Fides docet, non ita viros eruditos anxios ac dubios video. Hunc enim ex hoc ipso, quo degit loco, in Montem Thabor brevi temporis in-

tervallo translatum ab Angelo, consentiunt universi; in hunc sane modum, quo Abacuch Propheta, et Philippus Diaconus translati leguntur in Sacris Litteris; ille quidem ex Iudaea in Babylonem, iste ex Gaza in Azot. Tota de Moyse, quem mortuum fuisse liquet, oritur difficultas. Nonnulli enim, quos inter numerantur S. Augustinus, *Libro de cura pro mortuis Cap. 15;* et S. Thomas, *3 part quaest. 45 art. 3. ad 2* Moysem illic adfuisse sentiunt, quantum ad animam tantum, non quantum ad proprium corpus; sed aliud ab ipso assumptum fuisse, ex altera materia divina virtute compactum: in eum sane modum, quo Angeli in assumptis corporibus sese spectabiles praebuerunt. Alii tamen, in quibus videntur esse S. Ioannes Chrysostomus, *Homilia* LXVII in Matthaeum; S. Hieronymus, in Cap. 17 Matthaei; et S. Ioannes Damascenus, *Oratione de Transfigaratione Domini;* Moysen ad tempus resurrexisse volunt, illumque secundum corpus et animam illic praesentem adfuisse.

CAPUT XVII.

DE FESTO EXALTATIONIS SANCTISSIMAE CRUCIS.

1. Anno quinto Imperii Heraclii expugnavit Rex Persarum Chosroës Hierosolymam, multisque millibus barbara crudelitate interemptis, et non paucioribus in servitutem abreptis, Sanctissimam quoque Domini Iesu Crucem cum Zacharia Patriarcha in Persam abduxit, illam Crucem quam Helena Hierosolymis reliquerat. Undecimo sui Imperii anno, Heraclius, divino Christianos defendendi ardore incensus inquit Cedrenus, exercitus ex Europa in Asiam transtulit, cogitavitque, Deo adjuvante, conatum suum in Persidem ducere Chosroën, cum tribus exercitibus superavit, ipsumque Chosroën in fugam vertit, quem non longo post tempore filius Siroës, seu, ut alii appellant Simochius, interfecit, regnumque ab Heraclio obtinuit, certis quibusdam conditionibus, quarum prima fuit, ut Crucem Domini restitueret. Ergo Crux quatuordecim annis post, quam venerat in potestatem Persarum, recepta est. Heraclius

solemni celebritate Crucem suis humeris retulit in eum montem, quo eam divinus Salvator tulerat. Factum hoc illustri miraculo commendatum est: nam Heraclius, ut erat auro et gemmis ornatus, insistere coactus est in porta, quae ad Calvariae montem ducebat; quo enim magis progredi conabatur, eo magis retineri videbatur, cumque ea re et ipse Heraclius, et reliqui omnes obstupescerent Zacharias Hierosolymorum Antistes; *Vide*, inquit, *Imperator ne isto trumphali ornatu in Cruce ferenda parum Iesu Christi paupertatem et humilitatem imiteris*. Tum Heraclius, abjecto amplissimo ornatu, detractisque calceis, ac plebejo amictu indutus reliquum viae facile confecit, et in eodem Calvariae loco Crucem statuit, unde fuerat a Persis asportata. Haec ex Breviario Romano, quibus similia prodidit Sigebertus. Non ex iis quae Heraclius gesserit haec Festivitas traxit originem, sed antea jam instituta solemnius celebraretur. Et re quidem vera testatur id in primis Chronicon Alexandrinum: *His Consulibus*, inquit, *Dalmatio scilicet et Anicio Paulino facta sunt Encaenia Ecclesiae S. Crucis a Constantino sub Macario Episcopo* Septembris 14. Et S. Ioannes Chrysostomus, qui non multo post Constantinum tempore florebat, hujus Festi meminit in Homilia 51 quam die 5 Octobris pronunciavit his verbis: *Nondum elapsi sunt dies 20 ex quo memoriam Crucis celebravimus; et ecce Martyrum memoriam celebramus*. In Graecorum Menologio apud Canisium T. II *Lectionum Antiquarum ad diem 10* Septembris haec habentur: *Exaltatio praetiosae et vivificae Crucis sub Imperatore Constantino Magno*. Ejusdem etiam fit mentio in Actis S. Eutychii Patriarchae Constantinopolitani Cap. 50 apud Surium die sexta Aprilis, qui temporibus Iustini et Tiberii Imperatorum, a quibus revocatus ab exilio fuit longe ante Heraclium vixit. Et in Actis S. Simeonis cognomento Solus Cap. 3 apud Surium 1 Iulii, qui sub Iustiniano Imperatore florebat.

II. Nec minoris fortasse fuit antiquitatis in Ecclesia Latina. Nam in utroque Gelasii et Gregorii Magni Sacramentario reperitur. Occurrit etiam in pervetustis Codicibus Gellonensi, Regio, et Noviomensi. Videantur Baronius, *in Notis ad Martyrologium* ad diem 14 Se-

ptembris; Sollerius, ad Martyrologium Usuardi; Menardus, *in Notis ad Sacramentarium* S. Gregorii pag. 179; et Florentinius, *ad suum Martyrologium.* Exaltationem igitur Sanctissimae Crucis tam a Latina, quam a Graeca Ecclesia multo ante Imperatorem cultam fuisse, quod conspicienda se praeabuerit Constantino. Atque ut in compendium rem omnem conferamus, in utraque Orientis et Occidentis Ecclesia multo ante Heraclium Exaltatio Sanctae Crucis celebrebatur, quae sub Heraclio facta est illustrior. Antiquus quippe in Ecclesia usus viguit, ut ipso Exaltationis Sanctae Crucis die sacro, debita veneratio, et adoratio non secus ac feria sexta Parasceves adhiberetur. In insigni Ecclesia S. Martini Turonensis Crucis adoratio sub finem Missae post Dominicam Orationem fiebat.

CAPUT XVIII.

DE TEMPORE ADVENTUS.

I. Adventus nomine omne illud temporis spatium intelligimus, quo ad celebrandum, et qua par est reverentia ac devotione, Incarnati Verbi natalem diem sese praeparat Ecclesia, quod quidem a Dominica quarta ante Iesu Christi Domini nativitatem incipere solemus. Olim enim Adventus vox pro ipsa Natali die accipiebatur, quae Adventus Domini appellari solebat, non pro tempore quo ad hoc Festum praeparatio instituitur. Missale Mozarabicum, et Lanfrancus in suis Statutis, ubi de Dominicis ante Natale agitur, eas *Dominicas ante Adventum* vocant. Hymni Natalis apud S. Ambrosium inscribuntur: *De Adventu Domini* ad hujus Festi diem demonstrandum. In veteribus Libris tempus hoc appellatur Dominica *I, vel II, vel III ante Nativitatem Domini.* Durandus Lib. VI *Rationalis praeparationem Adventus* illud vocat. Alii *Quadragesimam ante Natalem Domini* illud appellabant; Alii denique Quadragesimam S. Martini vocant. Si fidem Durando praestamus, Adventus Domini celebritatem S. Petrus Apostolorum Princeps induxit; Bailletius tamen studio suae Galliae

nimium adductus, Sancto Perpetuo Turonensi Episcopo, qui circa medium Saeculum V vixit, illius institutionem adscribit; Jejunium per tres dies in singulis hebdomadis ante Festum S. Martini usque ad Natale Domini ab eodem Sancto Perpetuo propositum testatur. Sed auctoritate P. Martene, Adventus initium ad saeculum VI referemus, et Sanctum Gregorium Pontificem auctorem affirmabimus; quum praesertim ad eamdem sententiam Amalarius, et Abbas Berno se penitus conformaverint. Praeterea in Sacrameniario S. Gregorii quatuor Dominici dies Adventus nominantur, quibus deinde in aliquibus locis quintus, et sextus accesserunt, juxta Ritum Ambrosianum, qui a prima Dominica post Festum S. Martini celebritatem Adventus orditur: *Ambrosianus Adventus* ait Rodulphus Tungrensis *habet sex septimanas, et incipit Dominica post Festum S. Martini.* Duos Salvatoris Adventus perpendere possumus, ob quos Sancta Mater Ecclesia hujusmodi celebritatem constituit; alter iam praeteriit, alterum expectamus. Primi Adventus nomine tempus illud intelligitur, quum mortalitatem nostram Dei Filius induit, et acerbissimum mortis genus subivit, ut captivitatis vinculis, quibus diutissime tenebantur homines, vindicaret. Secundo iterum Salvator adveniet, quum ad formidabile judicium universos homines convocabit. Eam ob causam ut Pouget in *Catholicis Institutionibus* merito perpendit die primo Dominico Adventus illud Evangelium recitatur, in quo majestas Iesu Christi Iudicis describitur; quum scilicet nulla infirmitate circumdatus sicut in terras primo venienti contigit, sed coeli nubibus insidens, et immenso beati corporis, majestatisque lumine circumfulgens ad genus hominum judicandum descendet.

II. Adventus velut quaedam Natalis Quadragesima habitus fuit, quadraginta praeparationis diebus Natale praecedentibus, non secus ac Quadragesima praeparationi ad Pascha inservit. Id primo ex Regula Chrodogangi spectamus, qui Canonicis suis mandat, *ut a transitu Martini, usque ad Natale Domini a carne abstineant, et usque ad Nonam jejunent.* In Kalendario quod praefigitur Sacramentario Ratoldi Abbatis Corbejensis XVIII Kalendae Novembris notatur Quadragesima ante Natale Domini. Con-

cilium Turonense II anno 750 praescribit ut in Decembri usque ad Natale Domini jejunent Monachi quotidie. Verum non modo Monachis, sed ipsi etiam Clericis, immo et laicis quotidianum haud multo post indictum est jejunium, nec solum in Decembri, sed etiam ab ipso S. Martini festo, uti videre est in pluribus Ecclesiasticae Historiae Monumentis. Vigebatque adhuc Saeculo XII laudabilis ista consuetudo, quo Ordericus Vitalis in Historiae Lib. XII ad annum 1118 conqueritur violatum fuisse a militibus Adventus Dominici jejunium, cum e contrario Willelmus Autisiodorensis Episcopus etiam infirmus tota quadragesima a Festo videlicet Beati Martini ad Nativitatem Domini quotidie jejunans nullum omnino cibum sumpserit nisi quadragesimalem, uti legere est in *Historia Episcoporum Autisiodorensium* Cap. 57. Insuper Ioannes Belethus rationem reddens cur in Vigilia S. Thomae jejunium non sit indictum; quia inquit, festum ejusdem est in Adventu, in quo quasi continuum jejunium debemus observare. Ita ille in Libro *de Divinis Officiis* Cap. 11. Neque vero is solus fuit Ecclesiae Latinae usus. Nam et apud Graecos abstinentia etiam in Adventu vigebat, ut patet ex Codini Libro *de Officiis Ecclesiae et Curiae Constantinopolitanae* Cap 7. Verum sensim ista Adventus jejunia adeo laicis ipsis commendata, in simplicem abstinentiam degenerarunt: Ratherius Veronensis, Concilium Selingestadiense an. 1122 atque Abrincense an. 1172 abstinentias istas Clericis tantum commendans. Salisburiense vero an. 1281 Monachos tantum ad id constringit. S. Carolus in suis Actis de abstinentia agit pro Ecclesiasticis. Verum non in jejuniis tantum, sed etiam in Sacrificiis et Officiis divinis Adventus Domini Quadragesimae rationem olim habebat. Hinc omnia laetitiae Cantica suppressa, Vestes sacrae quae exultationem et gaudium redolent depositae color in iis qui luctum et moerorem repraesentent assumptus. Hymnus Angelicus *Gloria in Excelsis Deo* omnino subticetur in omnibus Dominicis et Feriis uti testatur Amalarius Lib. III Cap. 46 idque *prisco tempore*: cui suffragantur Micrologus Cap. 30; et Rupertus, Lib. III Cap. 2; cum omnibus passim Ordinariis et Missalibus tam antiquis quam recentioribus. Eadem ratione Prosae seu

Sequentiae, quas in signum laetitiae ante Evangelium decantare usus obtinuit, toto Adventus tempore reticentur. Quidam etiam haud secus ac in Quadragesima Imagines et capsas velabant. A Diaconis vero Dalmaticae, et Subdiaconis Tunicellae deponuntur, quas etiam non semel exuunt. Sapientissimus Cardinalis Bona *Rerum Liturgicarum Lib. I* Cap. 24 num. 19 hujusce Ritus initium nulla diligentia se invenire potuisse testatur. Sed quod ad rem nostram pertinet, quum Sacrae Vestes, laetitiam praeseferant. ut ex Canone *de Iejunio Dist.* 76 clare deprehenditur: *Et tunc propter solemnitatem Sancti Spiritus Diaconi Dalmaticis utantur.* Quum etiam Adventus tempora moerorem afferant, mirandum non est, si Diaconus, ac Subdiaconus Dalmaticas, et Tunicellas ponant, et casulam indicant, quam ante pectus complicatam gerunt, eamque sibi etiam detrahunt, quum Evangelium, aut Epistolam recitant; nempe ut significent tunc temporis ratione muneris ad ipsos casulam minime pertinere, sed a Presbysero velut commodatam accipere. Ita sentiunt Quartus, et Gavantus.

III. Vetus mos fuit Adventus tempore concionandi et usque ad hanc diem servatur. Habemus apud S. Bernardum, atque Ivonem Carnutensem Sermones *de Adventu Domini.* Romae Adventus a quinta primum Dominica ante Natale incipiebat, quomodo et in Sacramentario S. Gregorii, atque in veteribus Lectionariis adnotatum est, quod et Amalarius aetate sua jam observaverat. In Gallia, atque in Hispania Adventus sex hebdomadas habebat; prima erat, quae statim post S. Martini Festum sequebatur. Postquam Adventus ad quatuor Dominicas redactus est, eas numerandi ratio mutata fuit, atque illa, quae quarta ante Natale appellabatur, prima Dominica Adventus vocata fuit, et tertia ante Natale secunda Adventus dicta, atque ita de caeteris. Berno Augiensis, qui Saeculo undecimo vivebat, Cap. V *de Missa,* Adventus meminit, uti quatuor Dominicas istas cum suis hebdomadis continentis. In Collectione quadam Homiliarum, quae Bedae tribuuntur, quatuor tantum Evangelia Adventus tempore reperiuntur. Hodie Adventus Officium Sabbato incipit tantum a Capitulo, et non ab

cilium Turonense II anno 750 praescribit ut … mos
usque ad Natale Domini jejunent Monach… idque
rum non modo Monachis, sed ipsi etia… …a sit ad
et laicis quotidianum haud multo pos… …anctorum
nium, nec solum in Decembri, sed … Thomasium
tini festo, uti videre est in plurib… Adventus die-
riae Monumentis. Vigebatque … extat in omni-
dabilis ista consuetudo, que … *…eprecamur* incli-
riae Lib. XII ad annum … …pletorium legeban-
fuisse a militibus Adven… *…ssus est*, aut Dialogi
contrario Willelmus A… …s per Adventum post
firmus tota quadrag… …nciperentur, Chorus uni-
tini ad Nativitatem … …que veluti suspirabundus ob
omnino cibum s… …lemniter canebat, *Emitte Agnum*
gere est in *Hi*… …a usque ad Natalis Vigiliam fiebat.
57. Insuper … ante Vigiliam Nativitatis die solemnes
Vigilia S. … solemus in Vesperis cantare Antiphonas,
quit, fe… a vocali *O* incipiunt Octavam o *Virgo Vir-*
tinuum … addit Ordinarium Cabilonense, cujus meminit A-
de F… in Libro *de Ordine Antiphonarii* Cap. XIII.
Ec… Lib. VI Cap. II scribit in quibusdam Eccle-
… morem decantari, additis duabus aliis, scilicet una
… *Virgine quae concepit*, altera pro *Angelo qui ad Virginem introivit.* Et revera novem designat Ordinarium Namnetense novem etiam habet Antiphonarium S. Martini Turonensis. Quaedam etiam Ecclesiae cantabant duodecim, quae exprimunt duodecim Prophetas, qui Iesu Christi adventum praedixerunt, inquit Durandus. Neque vero vulgari modo, sed omnino solemni decantari consueverant. Et quidem ex Ordinario Turonensi *triumphantur*, hoc est ter repetebantur. Solebantque a dignioribus in Choro imponi. Incipiunt autem Antiphonae istae a variis nominibus, quae Prophetae Jesu Christo tribuerunt. In prima *O Sapientia* Iesus Christus agnoscitur tamquam Patris sapientia ab ejus ore egressa. Mirabilis est ergo ejus Sapientia in consiliis suis, atque in eorum executione. Sapientia appellatur quia per Incarnationem suam rationem invenit nos redimendi per Sapientiam, Iustitiam, et Misericordiam. *O Adonai*, apud Hebraeos hoc unum est e Divinis nominibus, quod Dominum significat. *O Radix Iesse,*

ısia e Davidis genere oriri delebat, cui promissus t., ipse erat expectatio gentium, adveniṭque ad duos s conjungendos, atque salvandos. *O Clavis Da-*ıs Christus advenit ad nos Coelum aperiendum, ıobis demonstrandam, qua illuc ejus veritatis ıti pervenire possimus. Id ex Isaia sumptum 'II v. 22: *Dabo clavem domus David su- ejus*, atque ex Apocalypsi Cap. III v. 7: *ctus, qui habet clavem David, qui ape- ıdit, claudit, et nemo aperit*. Quae ple- ıpotestatem in Regnum suum, idest ..ionstrant, cujus figura erat Regnum Da- ., nemo revera pervenire potest, nisi Iesus Chri- ei januam aperiat, eumque trahat ad se ipsum. *O Oriens*, scilicet sol est exoriens, qui annuntiat, atque affert lucem gratiae. *O Rex gentium;* Rex nationum, qui ad eas subjugandas veniet, suaeque Redemptionis participes faciendas. *O Emmanuel*, qui idem est ab Isaia pronunciatus sub eodem nomine, nobiscum Deus. Antiphonae istae apud Amalarium aliter dispositae sunt, eas recensentem, at Honorius Augustodunensis illas eodem ordine refert, quo hodie leguntur, easque septem donis Spiritus Sancti ab Isaia Cap. XXI designatis confert, quae Iesus Christus per Incarnationem suam nobis communicavit. *O Sapientia* donum est Sapientiae. *O Adonai* donum intellectus Legis Moysi traditae. *Radix Iesse* donum Consilii, quo tanta molitus est ad nos redimendos. *Clavis David*, donum fortitudinis, qua Infernum clausit, et coelum aperuit. *O Oriens* donum est luminis, veritatis, et scientiae. *Rex gentium* donum pietatis, qua ad gentiles salvandos permovebatur. *Emmanuel* donum timoris filialis, qui, ut Deum amemus, efficit. Mystice quoque septenarius numerus significat septiformem Spiritus Sancti gratiam, et septem humani generis miserias, quas ex antiphonis haustas recenset Durandus quarum causa, inquit, egemus Doctore contra ignorantiam, Redemptore a poenis aeternis, Liberatore a servitute Diaboli, Eductore a consuetudine peccati, Illuminatore tenebrarum nostrarum, Salvatore ad reducendos exules in patriam, tum Gentes, ut in sexta antiphona, tum Iudaeos, ut in septima.

CAPUT XIX.

DE VIGILIA ET FESTO NATIVITATIS DOMINI.

1. Ea fuit Ecclesiae pia consuetudo, ut praecipuas Solemnitates Sanctorumque Festivitates vigiliis praeveniret, inter quas cum non infimum locum semper obtinuerit Nativitas Domini nostri Iesu Christi, suam etiam ab initio vigiliam habuisse minime ambigimus, quam cum jejunio celebratam fuisse discimus ex S. Augustini Epistola 65 ad Xantippum. Iejunium usque ad horam Vesperarum perdurabat, post Officium vero quilibet domum secedebat, ciboque sumpto, aliquanto tempore quiescebant, atque inde in Eclesiam ad Officium reliquo noctis tempore cantandum redibant. Variae extant Officii hac die recitandi rationes. In quibusdam Romanis Ordinariis apud Thomasium p. 36 Invitatorium est, *Christus adveniet nobis: venite adoremus.* Hujus Vigiliae Officium valde notabile est, neque ulla in re cedit Vigiliis Paschatis et Pentecostes. In Homilia super Evangelium agnoscit S. Hieronymus Beatissimam Virginem revera nuptam S. Iosepho fuisse, verasque rationes reddit, ob quas Iesus Christus ex muliere uxorata oriri debebat. In aliis Breviariis Homilia erat vel S. Hilarii, vel Origenis, quemadmodum Ulricus in suis Constitutionibus Cluniacensibus adnotavit, aut demum Sermo S. Severini Episcopi. Solemnis Martyrologii lectio quae ad Primam fit, atque mos genua flectendi, cum Iesu Christi ortus annuntiatur, antiquissimus est. Mos erat majorum Solemnitatum, Martyrologium legere in Capitulo, atque humi se sternere, dum illae annuntiabantur, quod quidem in pluribus Festis fiebat. In pluribus Galliae Ecclesiarum Ordinariis videre est, ad Primae finem majorem Campanam pulsandam esse, quae admoneat, in Capitulum eundum esse ad legendum Martyrologium, et genua flectenda cum Lector incipit: *In Bethleem Iudae Iesus Christus Filius Dei nascitur.* Lector quoque genua flectebat, atque ita lectionem suam intermittebat, quam paulo post resumebat; dum humi strati erant, pars *Memento salutis Auctor. Maria ma-*

ter gratiae . . . Gloria tibi Domine, pars alia *Miserere* dicebant. In nonnullis Ecclesiis Archidiaconus cappa serica indutus pulpitum ascendebat cum pompa, incenso et luminibus ad Iesu Christi Nativitatem annuntiandam, atque interea major Campana pulsabatur. Hujus Vigiliae Missa eo magis peculiaris est, quod in tribus Festi Nativitatis Missis minime comprehenditur, estque ab Officio et Missa noctis Natalis sejuncta. Lanfrancus in *Statutis* Cap. I sect. 2 praecipit, ut Missa haec cum solemnitate post Sextam celebretur, et majores Campanae pulsentur. In quibusdam Ecclesiis generalis absolutio ante Missam dabatur, quemadmodum fit Feria quinta majoris Hebdomadae, cum poenitentes reconciliantur; in aliis vero plures Prophetiae, et quinque aliquando legebantur, uti fit Sabbato quatuor Temporum, vel Sabbato Sancto, et Vigilia Pentecostes ante Fontium benedictionem. Mediolani quatuor adhuc Lectiones ex Veteri Testamento dicuntur, cum totidem Gradualibus et Collectis ante Epistolam et Evangelium. Inter majores Ecclesiae Solemnitates primum ante ceteras locum semper obtinuit Natalis Domini, si Pascha et Pentecosten excipias. Natalis dicitur, quia dies ista Iesu Christi Natalis est, et Festum ejus Nativitati sacrum. Quanta vero cum devotione, quantaque cum religione idem Festum celebratum fuerit, vel inde apparet, quod Clerici olim sub severis districtisque poenis cautum erat, ne eo instante ab Ecclesiis abessent.

II. Festi hujus Officium omni aevo celeberrimum fuit. Romae duo Matutina recitabantur; prius *initio noctis* sine *Domine labia*, et sine Invitatorio in Pontificio Sacello; initiumque fiebat a primi Psalmi Antiphona. Post noctis medium iterum majori cum celebritate Matutinum dicebatur, cum Invitatorio et Psalmo *Venite*. Honorius Augustodunensis Lib. III affirmat Romanum morem istum duo Officia in majorum Festorum vigiliis recitandi, alibi quoque a diutissimo tempore servatum fuisse; atque priori ex Officiis istis Episcopum solum cum Clero et Sacellariis suis adfuisse, populum vero ad secundum media nocte ventitasse ibique reliquum noctis transegisse, Invitatorium ad posterius tantum Matutinum recitatum fuisse; atque ideo cum duo Officia

ista recitari desierunt, Vigilias proprium Officium habuisse. Priori isto Officio expleto, ad S. Petri Ecclesiam ibant, ubi aliud Officium illi, quod in Breviario superest, simillimum incipiebant. In vita Nicolai Papae Primi de duobus istis Officiis mentio fit tamquam de prisca consuetudine. *Consuetudo olitana*, idest, *antiqua*. Occurrit enim in vetustissimis Romanis Ordinibus, apud Alcuinum, et praecipue apud Amalarium de *Ordine Antiphonarum* Cap. V. Durandus Lib. VI Cap. 3 de ratione agit, qua aetate sua Altaria parabantur, aitque, tria paramenta pro tribus Nocturnis deprompta fuisse; ad primum nigra ad tempus quod Moysis legem praecessit significandum; ad secundum alba, ad revelationis et Prophetiae tempus demonstrandum; ad tertium vero rubra ad repraesentandum gratiae et veritatis a Iesu Christo nobis allatae ardorem. Ad Matutinum, Invitatorium ubique est *Christus natus est*. In quibusdam Ecclesiis genuflectitur cum primo dicitur *Christus natas . . . venite adoremus*, et prosternitur ad adorandum Iesum Christum in momento Nativitatis suae. Trium Nocturnorum Psalmi sunt proprii; antiquus mos est a Divi Benedicti Regula praescriptus, in Festis solemnibus proprios eligendi Psalmos pro Officio noctis. Ad primum Nocturnum legitur Isaias, et nullo inscribitur titulo: *Tres Lectiones Isaiae leguntur sine titulo*. Mos erat antiquus Librum titulo non iscribendi, nisi cum legi incipiebatur; qui mos reliquus est in Nativitate. In pluribus Ecclesiis dicebatur in fine Lectionis, *Haec dicit Dominus*. Hae Lectiones Isaiae sunt promissiones a Deo factae mittendi Messiam, quem quidem singulari ratione designant ad hominum consolationem. Responsoria sunt pii Ecclesiae Nativitatem Iesu Christi considerantis affectus, quibus modo Deum Patrem laudat, qui nobis dedit filium suum, modo exaltat et laudat Filium in Nativitate sua; quandoque se convertit ad Sanctam Virginem, quae illum mundo peperit. Multis in Ecclesiis prosternebatur humi ad primum Responsorium, quando dicebatur *Hodie nobis . . . nasci dignatus est*. Ad secundum Nocturnum sermo S. Leonis est inter omnes a S. Pontifice habitus praestantissimus, et eloquentissimus. Nobilissimo exprimit stylo tum bona

quae nobis a Nativitate Iesu Christi proveniunt; tum Dei Omnipotentis investigabiles vias, aeternumque decretum de Incarnatione Filii sui, cum etiam moralia documenta ad aedificationem nostram, ut tantum Mysterium cum fructu meditari valeamus. Ad tertium Nocturnum leguntur Homiliae super trium hujus diei Missarum Evangelia, quae pauca hic adnotanda exhibent. In Homilia S. Gregorii apparet mos dicendi tres Missas solemnes in hoc Festo. In Homilia S. Ambròsii Nativitas Iesu Christi incubabulum vocatur Ecclesiae, quae cum Nativitate Salvatoris sumpsit exordium Nativitatis suae, Homilia S. Augustini firmat contra Arianos Verbi Incarnati divinitatem et aeternitatem. In Ordinibus Romanis Pontifex legit ultimam Lectionem, dicens primo *Iube Domine benedicere*, et solum respondetur *Amen*. In plerisque Ordinariis apparet, ad quodlibet Nocturnum adhiberi incensum, incensari Altare et Chorum; tria Evangelia cum suis Homiliis dici accensis luminibus cum incenso, ut fit in Missa, adstantibus Diaconis, Subdiaconis, ceterisque Altaris Ministris. In plerisque Ordinariis Galliae, in fine tertii Responsorii cujusque Nocturni dicebantur Prosae, aut Hymni, et prae ceteris *A Solis Ortu*, qui in tres partes dividebatur, et singulae singulis Nocturnis inserviebant. Testatur Divus Augustinus *Sermone* 172 in Africa, tempore suo, cantari consuevisse hac nocte Hymnos S. Ambrosii in honorem Nativitatis Iesu Christi. In quibusdam Ecclesiis legebantur quatuor Evangelia et quatuor Homiliae, nempe tria ordinaria, et quartum erat Generatio secundum Matthaeum cum Homilia S. Hieronymi. Romae retentus est hac die antiquus usus separandi Matutinum a Laudibus. Post *Te Deum* dicitur Collecta diei cum *Benedicamus*. Monachi S. Dionysii in Gallia post Matutinum procedebant ad imum Ecclesiae locum ad faciendam stationem ad Virginis sacellum, cantantes, *Sancta et Immaculata Virginitas*. In aliquibus Ecclesiis, nempe Rotomangensi, Remensi et Turonensi, post Matutinum fiebat Officium, quod appellabatur *Officium Pastorum*, et ibant ad Praesepium, quod a tergo Altaris parabatur.

III. Exploratum est, vetustissimis temporibus plures ab eodem Sacerdote Missas celebrari in aliquibus so-

lemnitatibus consuevisse. Ex vetustis monumentis ostendit Cardinalis Bona *Rerum Liturgicarum* Lib. I Cap. 18 num. 6 morem fuisse, ut Kalendis Ianuarii binae celebrarentur Missae; altera de Octava Nativitatis, altera de Beatissima Virgine: ternas itidem Missas feria quinta in Coena Domini probat celebratas esse. Usus iterandi Sacrificium in Solemnioribus Festis habetur apud S. Leonem, qui Dioscoro Alexandrino scribit, morem invaluisse in sua Ecclesia iterandi Sacrificia in solemnibus Festis. Duae in Gàllia Missae in Natali, aeque ac in omnibus aliis Solemnitatibus, apud Gregorium Turonensem de *Gloria Martyrum* Cap. LII conspiciuntur. Vide Iosephum Vicecomitem *De antiquis Missae Ritibus* Lib. III Cap. 28, ubi ab eodem Sacerdote ostendit in diebus Paschatis, et Festivitatum SS. Petri et Pauli, et Ioannis Baptistae, Laurentii, plures celebrari Missas consuevisse. Cum itaque mos esset, ut ab eodem Sacerdote in aliquibus solemnitatibus eodem die plures Missae celebrarentur, nonnemo existimavit trium in Natali Iesu Christi die celebrandarum Missarum morem vetustae disciplinae vestigium esse. Quaerit Pougetus, *Cur in Festo Nativitatis Christi ter Missarum solemnia celebrentur a quolibet Sacerdote?* atque ita respondet: *Hoc vestigium est antiqui Ritus, quo diebus solemnibus plures ab eodem Sacerdote Missae agebantur.* Triplex celebratio cuilibet Sacerdoti in hac Solemnitate permittitur, ut indicetur triplex Iesu Christi nativitas, prima ex sinu Patris ante Luciferum, secunda ex utero Matris in ipsa plenitudine temporum; tertia per gratiam et pacem in hominibus bonae voluntatis. In Missa, quae celebratur in media nocte, recolitur Nativitas Iesu Christi ex Virgine. In Missa, quae celebratur in aurora recolitur Christi manifestatio per Angelum facta pastoribus, ut constat ex ejus Evangelio. In tertia Missa recolitur aeterna Christi Nativitas in sinu Patris uti colligitur ex Epistola et Evangelio ipsius. Sumpta est Epistola ex Capite primo Epistolae ad Hebraeos, ubi aeterna illa nativitas fuse explicatur. Evangelium sumitur ex Capite primo Ioannis, ubi hic instar aquilae surgit ad altissima, et tradit divinam Verbi generationem a Patre. In Ordinibus

Romanis adnotatum reperitur, quod Summus Pontifex tres praedictas Missas celebraret ad tres diversas Stationes; primam ad S. Mariam Majorem, secundam ad S. Anastasiam, tertiam ad S. Petrum. In Ordine Romano Canonici Benedicti, Papa in hac die tribus Missis oneratur: *tres Missae per Papam dicuntur*. Hora primae Missae ad galli cantum signata est, *In galli cantu*, qui juxta antiquos Ordines Romanos est primus cantus, *In primo gallorum cantu*, hoc est, ad mediam noctem, cum secundus galli cantus ad horas sit. In Sacramentario S. Gregorii per Pamelium edito praecise signatur media nox, *Media nocte Statio ad S. Mariam Maiorem*. Ita etiam signata est apud Rupertum, Durandum, aliosque auctores, mediae noctis tempore, unde nomen retinuit, mediaeque noctis Missa appellata est. Romae non inchoatur, nisi completo mediae noctis sono. In Missa mediae noctis cantabatur *Gloria in Excelsis* solemniter: in quibusdam Ecclesiis dicebatur graece, et interim omnes Campanae pulsabantur, et genuflectebant ad illa Verba: *Et in terra pax hominibus*. Micrologus observat, in fine hujus Missae non dici consuevisse *Ite Missa est*, sed *Benedicamus*, quia dicebantur Laudes post Missam juxta Ritum Romanum. Secunda sollemnis Missa hujus diei inscribitur; *secunda Missa in Aurora*, nec dici debet, nisi sub lucis ortum, post Primam in Choro cantatam. In Statutis Carthusianorum legitur, quod Aurorae ortus expectandus esset; ideoque dicenda erat ante Primam, non vero postquam dictum esset *Iam lucis orto sidere*. Cluniaci id adeo exacte servabatur, ut maxima solemnitate Laudes dicerentur, ad hoc ut complerentur summo mane, et tunc secunda Missa inchoabatur. Commemoratio S. Anastasiae, quae Urbis tantum Romae propria erat, ad ceteras omnes Ecclesias transiit, postquam Missale Romanum invectum est; quod etiam nunc observatur. Tertia, quae est Missa diei, fuit semper solemnior ceteris. Post Tertiam in Choro decantatam, celebrari debet. Oratio tertiae Missae, *Concede* refertur ab Alcuino Lib. III contra Felicem et Elipandum. In quibusdam Ecclesiis pro Evangelio tertiae Missae dicebatur Missus est, in quibusdam *Pastores ad invicem*.

IV. In Officio brevium Horarum, in quibusdam Ecclesiis neque Hymnus dicebatur, neque Capitulum, sicut in Paschate; in quibusdam dicebatur: *A Solis ortu*, et in quatuor partes dividebatur. Cuilibe-Horae hujus diei, et omnibus Festis solemnibus adjungebantur orationes propriae, ut faciunt Carthusiani. Ad Vesperas Antiphonae *Tecum principium* ubique reperiuntur, cum quinque Psalmis quos dicimus. Quoad usum comedendi carnes, quando Natalis incidit in feriam sextam et in Sabbatum, antiquissimus omnino est. Concilium Aquisgranense anno 816 vetat Monachis jejunare in Festis Natalis, ejusque Octavae, in Epiphania, in Ascensione, in Paschate, in Pentecoste, aliisque ab eo nominatis solemnitatibus. Papa Nicolaus I Bulgaros exhortans ad abstinentiam sexta quoque feria totius anni, excipit Natalem, Epiphaniam, Festum Virginis, SS. Petri et Pauli, S. Ioannis Baptistae, S. Ioannis Evangelistae, S. Andreae, S. Stephani, si feria sexta eveniant. Matthaeus Paris in sua Historia Anglica an. 1225 loquitur tamquam de ritu in Anglia communi comedendi carnes in die Natalis, quando incidebat in feriam sextam. Sancta omnino laetitia, qua Fideles de Iesu Christi Nativitate perfruebantur, coegit eos Festum hoc plurium dierum spatio celebrare, quod usque ad Festum Epiphaniae producebatur, ut videre est a medio usque saeculo sexto in Secundo Concilio Turonensi an. 556 quod Canone 18 praecepit Monachis, ne hujusce temporis intervallo jejunarent, propterea quod dies omnes Festi essent. Intervallum hoc a Graecis appellatur Δοδεκαμερον, quia duodecim est dierum, quibus apud Graecos neque jejunium, neque abstinentia fieri solet. S. Aureliani, S. Donati, et Magistri Regula Cap. 45 praescribit, ut his diebus Officium solemniter cantetur, cum *Alleluja*; nunquam jejunetur. In Regula S. Isidori Cap. II hoc servabatur solummodo usque ad Circumcisionem. En igitur Hebdomada Natalis a sexto usque saeculo cognita, ut quaedam longo ab inde tempore continuatio Festorum. In Festis hac Hebdomada occurrentibus Officium partim erat de Nativitate; primus, et secundus Nocturnus erant de Festo, tertius totus de Nativitate; Laudes erant de Festo, cum Com-

memoratione Nativitatis et Beatissimae Virginis; Prima et Sexta de Nativitate, Tertia et Nona de Festo, Vesperae de Nativitate, cum Commemoratione Festi. Antequam Breviario Romano insereretur Officium S. Thomae et S. Sylvestri, repetebatur tribus hisce postremis diebus Officium diei Natalis, tresque hi dies dicebantur *Dies vacantes*.

V. Pia et constans traditio est, bovem et asinum in stabulo fuisse, cum natus est Iesus, etsi nihil ea de re quidquam legamus in Evangelio. Tillemontius Nota V ad Vitam Iesu Chsisti contendit, eam opinionem ortam esse saeculo quinto, et allegorice loquutos esse Patres ea aetate vetustiores, qui in ea opinione fuisse videntur. Idem sentit Calmetus et P. Serry *Exercitatione 30 num. 4*. Patres veteresque Ecclesiae Scriptores afferamus, quorum auctoritate ac consensu eorum firmetur opinio, qui censent revera Domini Iesu cunabulis bovem et asinum adfuisse. Ab Origene auspicemur, vetustissimo enimvero Scriptore. Haec porro ad id quod agimus, maxime idonea ait *Homilia XIII in Lucam* prope finem: *Quia festinantes venerant, et non pedetentim... et invenerunt ipsum Salvatorem jacentem in praesepio. Illud erat, de quo propheta vaticinatus est dicens: Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe Domini sui*. Eadem Nyssenus his verbis affirmat *in die Natali Domini* Tom. III pag. 339: *Medium igitur in Praesepe se inter bovem, et asinum utriusque Dominus locat*. Idem dic de Paulino Nolano; etenim haec ait *in Epistola XXXI ad Severum* num. 3: *In Bethleem quoque, ubi agnoverat bos possessorem suum, et asinus praesepe Domini sui*. His adjungendus est, multorum sententia, Chrysostomus *Homilia II* in Lucam prope finem. Adduci etiam, nec immerito, solet, sive Prosper, sive alius quispiam vetustus et doctus Scriptor cui debemus Librum *de Promissionibus*. Is enim Isaiae et Abacuch verba de veris, non de allegoricis animantibus, ideoque de bove, et asino omnino videtur accipere. Similia habet Petrus Chrysologus *Sermone* 189: *Christum appositum ante duo prophetica illa jumenta admirantur Magi*. Claudat haec testimonia Romani Breviarii auctoritas: siquidem in eo haec recitare jubemur in Re-

sponsorio Lectionis III Secundi Nocturni in die Circumcisionis: *Benedicta et venerabilis es Virgo Maria, quae sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris: Iacebat in praesepio, et fulgebat in caelo. Domine audivi auditum tuum, et timui: consideravi opera tua, et expavi: in medio duorum animalium.* Alibi etiam in Responsorio Lectionis primae Secundi Nocturni Nativitatis Domini: *O magnum mysterium, et admirabile Sacramentum, ut animalia viderent Dominum natum jacentem in praesepio.* Sed illud est in hac re praecipuum, quod picturae et marmora V saeculo vetustiora ad Christi infantis praesepe bovem et asinum exhibent. Doctissimus Praepositus Gori *sacrum monumentum in antiquo vitro expressum, et in museo Victorio Romae servatum,* (cujus imaginem aere expressam praeponit operi Sannazarii *de Partu Virginis a Comite Iohanne Bartolomaeo Casaregio etrusco carmine reddito*) evulgavit, in quo puer Iesus exhibetur fasciis obvolutus, adstante Maria et Ioseph: porro prope puerum Iesum extant asinus et bos, eumdemque puerum halitu suo fovere videntur et calefacere, atque hoc quidem monumentum saeculo III elaboratum putat idem doctissimus Gori. Ejusmodi est etiam pictura quaedam in Sarcophagis, seu Sepulchris veterum Christianorum, editis in *Roma Subterranea*, et a Ioanne Bottario illustratis Tom. I Tabula 22 pag. 88, et 89. Apud Arabes, apud remotissimos Mesopotamiae incolas, apud Graecos, apud Moscos eodem consuetudo pariter viguit, cujus quidem rei paucissima, sed ea indubitata indicabo. *Ephemerides Graeco Moscas* evulgavit Papebrochius Bollandi continuator. Inter icones vero in eo Libro aere expressas videbit Lector praesepe Domini cum bove et asino ex valde vetusto exemplari descriptum. At Graecas sane picturas non adeo infrequentes habemus, ut ea de re dubitare possimus. Praeter eam quam habet Papebrochius, unam tantum hic indicabo, quam praefert celebratissimum Basilii Menologium, Urbini, praeclarissimi Cardinalis Albani cura editum. Palam scilicet in iis Dominus in paupere cuna exprimitur, eum foventibus halitu suo bove et asino. Ad excludenda a Praesepe Domini vera animantia bovem et asinum, non

sufficit adducere Patres dicentes, ea hoc vel illud figurasse, sed ulterius probandum est, Patres asseruisse ea fuisse meras figuras, nec vere extitisse. Sed nemo Patrum id asseruit, nec adversarii afferunt; imo plures ex illis hoc asserentes producit inter ceteros Baronius.

VII. Praesepium in quo Beatissima Virgo natum Iesum reclinavit, fuisse *excisum in rupe* seu saxo, scribit Burchardus Part. I *Descript. Terrae Sanctae* Cap. VIII. *Lateritium*, seu ex luto coctili confectum, censet Chrysostomus *Sermone ad* Caput II Lucae, quamvis sermo ille dubius S. Chrysostomi foetus sit. Vix credi potest in quanta veneratione et cultu Christiani semper habuerint locum illum; ut quantumlibet Hadrianus Imperator ad abolendam tantae rei memoriam (quod scribit Paulinus ad Severum *Epistola* III et alii) Veneris et Adonis templum desuper erexisset, nihilominus percelebris etiam apud Gentiles esset tanti loci memoria. In Basilica Sanctae Mariae Majoris conservatur sanctissimum Praesepe Redemptoris nostri. Fertur nempe, id ad Urbem allatum fuisse ante annum *Erae Christianae* 352. Sed, cum Sanctus Hieronymus Epistola XVIII Tom. I Marcellam Romanam Matronam hortetur, ut Praesepe et Cunabula Domini in antro Bethlemitico veneretur; et rursus Epistola XLVIII Sabiniano Diacono exprobret flagitia, quae in sanctioribus locis Bethlemitici Monasterii patraverat; haec ostendunt Praesepis existentiam in locis Bethlemiticis usque ad initium saeculi quinti, quo tempore Sanctus Hieronymus mortuus est. Quocirca, translationem ad Urbem ante annum 352 factam fuisse, concludentissime excludunt Eruditi. Saeculo autem septimo labente, Saracenorum contigit irruptio: cumque jam in more positum esset, ut Antistites Hierosolymitani ab Eudoxiae saeculo valde liberales essent in sacrarum Reliquiarum largitione, verisimile admodum est tunc ad Urbem missa fuisse saxa excisa ex antro Bethlemitico, et portiones Cunarum, et Cunabulorum, quae subinde argentea theca quam munificentissime sunt inclusae. Quae quidem reliquiae nocte Nativitatis Domini supra Aram principem Sacelli Sixtini Dominico Praesepi imminentem ad publi-

cam venerationem exponuntur. Blanchinus olim Canonicus Basilicae Liberianae *in Notis ad Vitam Sancti Sixti* III Tom. 3 *Vitarum Summorum Pontificum*, ab Anastasio conscriptarum, collectis undique argumentis, ostendit, quinto Christi saeculo custoditas fuisse Hierosolymis supra memoratas Reliquias, et earum translationem ad Urbem refert ad annum 640. Id ipsum alius eruditus ejusdem Basilicae Canonicus, Ioannes Christophorus Battellus Archiepiscopus Amasenus, ad rem observat, Basilicam Sanctae Mariae Majoris usque ad annum 642 variis nominibus fuisse appellatam, nimirum Sanctam Mariam, Sanctam Mariam ad Nives, Basilicam Liberii, Basilicam Sixti, et Basilicam Sanctae Dei Genitricis, tum sub Theodoro Papa, qui Sedem Romanam tenuit ab anno Christi 642 usque ad annum 649 vocari coepisse Sanctam Mariam ad Praesepe.

DE FESTIS BEATISSIMAE MARIAE VIRGINIS.

CAPUT I.

DE FESTO DESPONSATIONIS BEATAE MARIAE VIRGINIS.

I. Ex sapientissimo Benedicto XIV in Libro *De Festis* assequimur, saeculo XV Carnutensem quemdam Canonicum (1), antequam e vivis migraret, testamento

(1) Novatus, *De Eminentia Deiparae*, Tomus I Caput 18 quaest. 4; Canisius *De Maria Deipara Virgine*, Liber I Caput I, et seqq.; et Liber III Caput VI; Bonifacius, *De Historia Virginis*, Liber II Caput 15 et seqq.; Saxius, *De Laudibus Mariae* pag. 227 Littera D; Sabbatini, *Vetusto Calendario Napoletano*; Mabillon, *Liturgia Gallicana* pag. 458, Colvenerius, *Kalendarium Beatissimae Virginis;* Assemani, *Kalendaria Universae Ecclesiae*, Tomus V pag. 443, 444 et 458, et Tomus VI pag. 454; Billuart, *De Mysteriis Christi*, Art IV; Bollandistae, ad diem II Februarii, XXV Martii, et VIII Septembris; Sedl-mayr, *Theologia Mariana*, Pars. I Quaest. II art. V et seqq.; Benedictus XIV, *de Festis Domini Nostri Iesu Christi, et Beatae Mariae Virginis*, Liber II, Caput I et seqq.; Gotti, *Veritas Religionis Christianae,* Tomus I Tractatus V Caput III et seqq.; Trombelli, *Mariae Sanctissimae Vita ac gesta, cultusque illi adhibitus*, Tomus V Dissertatio XIII Sectio I et seqq.; Zaccaria, *Dissertationi varie italiane a Storia Ecclesiastica appartenenti*, Tomus II Dissertazione V; Muzzarelli, *Esame critico delle principali Feste di Maria SS.*, Caput I et seqq.; Morcelli, *Kalendarium Ecclesiae Constantinopolitanae;* Mazzola, *Disputationes Historico-Theologicae de Beata Virgine*, Pars Tertia Caput I et seqq.; De Angelis *De Basilica S. Mariae Majoris*, Liber II Caput I et seqq.; Gravois, *De ortu ac progressu cultus ac Festi Immaculati Conceptus Beatae Dei Genitricis Virginis Mariae*, Caput I et seqq.; Tursellinus, *Historia Lauretana*, Liber I Caput I et seqq.; Riccardi, *Storia de'Santuarii più celebri d'Italia*, Monelia, *De Origine sacrarum precum Rosarii Beatae Mariae Virginis*, Caput I et seqq.

reliquisse, ut in die obitus sui Capitulum Ecclesiae suae, solemnem Sancti Iosephi memoriam celebraret. Hoc ubi assecutus est Ioannes Gerson Doctor, et Cancellarius Universitatis Parisiensis, qui summa Iosephum pietate colebat, monuit triplici ratione posse Canonicos defuncti voluntati obsequi: in quarum rationum numero altera erat, ut Officium in memoriam Desponsationis Virginis cum Iosepho initae persolverent: quod quidem Officium ipse composuit. Colvenerius in *Kalendario Beatissimae Virginis ad 23 Februarii diem* memoriae prodidit, compositum fuisse quidem a Ioanne Gerson hoc, quod dicimus, Officium, sed periisse. At deinceps, cum a Dupinio edita fuerint omnia Ioannis Gersonii opera, editae fuere etiam Epistolae duae ab hoc Doctore elucubratae, in quibus de Officio, quod dicimus agit: Officium quoque ipsum integrum, et uti dici mos est, *per extensum exhibetur*. Postea vero duo vetusti Codices allegantur, ex quibus discimus, Pontificium Legatum jussisse festum Desponsationis Virginis cum Iosepho celebrari. Sed certe Romanam Ecclesiam moderante Paulo III, Ioannes Calvus Fratrum Minorum Commissarius obtinuit, ut Minorum Ordo, ideoque tam Fratres, quam Sorores eidem Ordini addicti Officium Desponsationis Beatissimae Mariae recitarent, retentis Antiphonis Nativitatis, Responsoriis quoque, ac Versiculis, sed substituto nomini *Desponsationis*, proprio tamen Evangelio eidem festivitati assignato: verbis scilicet illis: *Cum esset desponsata* etc., donec Officium peculiare, ac proprium eidem Festivitati tribueretur. Ea aetate vivebat Petrus Dorè Ordinis Praedicatorum, cui summam laudem conciliarunt ea, quae edidit opera, quae recenset Iacobus Echard *Tom.* II *de Scriptoribus Ordinis Praedicatorum* pag. 203. Commisit huic Paulus III Officium hujus festivitatis componere. Literas, quae jussionem hanc continent, edidit Colvenerius. Officium porro ipsum a Petro Dorè compositum evulgavere Socii Bollandistae. Ignorare autem se fatetur doctissimus Pontifex Benedictus XIV, num Officium istud Ecclesiae universae propositum fuerit ad recitandum. Illud ex S. Rituum Congregationis

Regestis apparet, post Breviarii Reformationes pluribus Ecclesiis intra Italiam et extra recitandi ejus Officii facultatem esse concessam, atque in omnibus Ecclesiasticae Ditionis regionibus recitari ex Indulto Benedicti XIII die 22 Augusti 1725.

II. Multas causas afferunt Sancti Patres, cur Dominus decreverit, ut Beatissima Virgo matrimonio conjungeretur. Eas colligit Divus Thomas 3 part. quaest. 29 art. I in hunc modum: *Conveniens fuit, Christum de desponsata Virgine nasci, tum propter ipsum, tum propter matrem, tum etiam propter nos. Propter ipsum quidem Christum quadruplici ratione Primo quidem ne ab infidelibus tamquam illegitime natus abjiceretur. Secundo ut consueto modo ejus genealogia per virum describeretur. Tertio ad tutelam pueri nati. Et ideo Ignatius dicit, ipsam fuisse desponsatam, ut partus ejus diabolo celaretur. Quarto ut a Iosepho nutriretur: unde et pater ejus dictus est quasi nutritius. Fuit etiam conveniens ex parte Virginis. Primo quidem, quia per hoc redditur immunis a poena, ne scilicet lapidaretur a Iudaeis tamquam adultera, ut Hieronymus dicit. Secundo ut per hoc ab infamia liberaretur: unde dicit Ambrosius super Lucam, quod desponsata est, ne intemeratae virginitatis adureretur infamia. Tertio ut ei a Ioseph ministerium exhiberetur, ut Hieronymus dicit. Ex parte etiam nostra hoc fuit conveniens. Primo quidem, quia testimonio Ioseph comprobatum est, Christum ex Virgine natum: Secundo quia ipsa verba Virginis matris magis credibilia redduntur, suam virginitatem asserentis: unde Ambrosius dicit super Lucam: Fides Mariae verbis magis adsciscitur, et mendacii causa removetur. Tertio ut tolleretur excusatio Virginibus, quae propter suam incautelam non vitant infamiam. Quarto quia per hoc significatur universa Ecclesia, quae cum Virgo sit desponsata tamen est uni viro Christo, ut Augustinus dicit Libro de sancta Virginitate* Cap. 12. § II. *Potest etiam et quinta ratio esse, quod Pater Domini fuit desponsata, et Virgo, quia in persona ipsius et Virginitas, et Matrimonium honoratur contra haereticos alteri horum detrahentes.* Copiosius porro de hoc argumento disserunt Ludolphus Saxo sacri Ordinis Car-

tusiensis *De vita Christi* part. I Cap. 3, et S. Antoninus, qui materiam hanc uberrime expositam ad certa quaedam capita usitato Scholasticis more, laudabiliter revocat *IV parte*.

III. Verum inter Deiparam et S. Ioseph fuit matrimonium, uti constat ex apertissimis Evangelii testimoniis. En quae discimus ex Matthaeo Cap. I v. 16: *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae*. Et deinceps v. 19: *Ioseph autem vir ejus cum esset justus*. Et proxime post v. 20 sic Iosephum alloquitur Angelus: *Ioseph, noli timere accipere Mariam conjugem tuam*. An in potestatem Iosephi Mariam adhuc (ut communis opinio fert) adolescentulam dedissent parentes illius, prudentes sane, et sanctissimi, nisi uxor illius fuisset? Probe noverant, fateor, Mariae pietatem, novisse etiam Iosephi pietatem, simillimum veri est. An propterea permisissent, ut nondum nupta Iosepho Maria cum eo degeret, et peregrinaretur? Minime vero: id enim prudentia vetat, et parentibus merito imposita virginum cura, ac custodia. An non etiam populi criminis accusassent et Mariam, et Iosephum, si Mariam vidissent praegnantem, et Iosephi longo itinere sociam, et illi tamen minime nuptam! Praeterea constans SS. Patrum assertio est, statuisse Deum ex Virgine quidem, sed tamen nupta nasci Christum Dominum, alias quidem ob causas, sed potissimum ob duas has: ut virgineus partus diabolo celaretur. Secunda ne ea lapidaretur a Iudaeis, veluti illiciti concubitus conscia. Porro, si verum matrimonium cum Iosepho Maria non iniit, nec daemoni occultus fuisset virgineus partus: et lapidari Maria veluti illiciti concubitus conscia a populo potuisset. Cur ergo minime nuptam vis? Constat itaque conjugium a Beatissima Virgine cum Iosepho initum, et laudabile, et verum fuisse sine corporis commixtione matrimonium, nec adversatum fuisse illud voto virginitatis antea ab eadem Sanctissima Maria edito. S. Thomas in 4. *Sentent. dist.* 30 qu. 2 art. 1 qu. 2 Ad secundum ita ad rem nostram loquitur: *B. Virgo antequam contraheret cum Ioseph, fuit certificata divinitus, quod Ioseph in simili proposito erat, et ideo non se commisit periculo nubens*.

IV. Cum procul dubio necesse non sit, eandem aetatem agere utrumque conjugem, tam de Maria, quam de Iosepho quaerimus, cujus aetatis ii fuerint, quum matrimonium injerunt: ac primo quidem de Beatissima Virsine id quaerimus. Multis hoc de argumento disserit Poza in *Elucidario Deiparae* Lib. I *Tract. I* Cap. I pag. 92, et seqq. Disputant etiam ea de re Vasquez, *in tertiam partem* Divi Thomae Disp. 125 Cap. XI; et Suarez, in tertiam partem T. II disp. 7 sect. 3; et ut reliquos praetereain Hyacinthus Serry *Exercitat.* XXV n. 5. Pictores in effingenda Mariae Iosepho nubentis imagine, utrumque aetate tam dispari nobis adumbrant: Mariam quidem adolescentulam, annos vix quatuordecim assecutam; Iosephum vero devexa jam aetate, annisque gravem. Cajetanus annos viginti quatuor nubenti Virgini tribuit: Gersonius quinquaginta Iosepho adjucat, *Sermone de Nativitate B. Virginis* habito in Concilio Constantiensi. Annos circiter triginta et octo, Iosepho Mariam ducenti tribuunt, Cardinalis Toletus, *Annotatione* 59 *in Caput* I Lucae; et Augustinus Torniellus, *in Annalibus sacris*. Sed Gregorius Nyssenus *Oratione in Christi Natale*; de Virginis aetate, dum nupsit, nec verbum habet: Germanus Constantinopolitanus, Georgius Nicomediensis, Ioannes Damascenus, Cedrenus, Elias Cretensis, nec annos, quos tunc Deipara numeraret, distincte notant. Nullum extet ea de re antiquae memoriae documentum. Ecclesiae Patres ea passim principia ponunt, unde Iosephum, quo tempore Virginem duxit, non canum; sed virum aetate florentem, et annis bene valentem, et integrum. In id conspirant Patres, ut Virginem matrimonio junctum velint, ut maritus illi tutelae, solatio praesidio esset, in educanda prole, in ferendis oneribus matrimonii, in suscipiendis itineribus, in re qualecumque familiari gerenda; utque pauperem familiam arte aleret et industria. Haec autem vitae subsidia, atque praesidia ab homine annoso, ac plane cano sperare quis audeat?

V. Multa de Iosephi sanctitate tradunt Patres, illosque subsecuti Theologi, illam primo eruentes ex iis Evangelii verbis *Ioseph Matth.* Cap. I v. 19 *autem, cum*

esset justus, et nollet eam traducere. Etenim vox *justus*, si stricte, et rigorose sumitur, omnium virtutum complexionem significat. Approbat hanc interpretationem egregius Maldonatus his verbis: *Respondeo*, Commentario in hunc locum *Ioseph vocari justum, non quod justitia una ex quatuor virtutibus moralibus praeditus esset, sed quod omni virtutum genere cumulatus, ut Chrysostomus adnotavit.* Alias virtutes, castitatem in primis, in Iosepho commendant Patres; sed hos recensere praetereo. Religionem summam, et pietatem in Deum detegunt alii in proposito, quod habuit figendi sedem suam in Iudaea, et fortasse in Ierusalem, utpote loco Templo proximo, et fovendae pietati idoneo, ideoque relinquendi patrias sedes, consaguineos, et ea commoda, quae pauperibus etiam praebet patria. Virginem fuisse Iosephum toto vitae tempore, defendunt cum Veteribus, Recentiores plures Interpretes. S. Hieronymus potissimus est ejus opinionis assertor, in Libro contra Helvidium Cap. IX: *Etiam ipsum Ioseph* inquit, *Virginem fuisse per Mariam, ut ex Virginali conjugio Virgo Filius nasceretur.* Longius etiam excurrit S. Petrus Damiani Opusc. 17 num. 3: *Ecclesiae fides est, ut Virgo fuerit, et is qui simulatus est pater.*

CAPUT II.

DE FESTO PURIFICATIONIS BEATAE MARIAE VIRGINIS.

I. Ab ipsis Ecclesiae exordiis festivitatem, de qua agimus, a Graecis fuisse celebratam facile constaret, si constaret eam orationem, quae *in occursum Domini* inscribitur, et S. Methodio tribuitur, a magno illo Methodio, qui saeculo III illustravit Ecclesiam, fuisse compositam. Id quidem contendit Allatius *De Methodiorum scriptis* pag. 341. At hac in re Allatio obsistunt Gretserus, aliique praestantes viri. Ad quartum, seu, si vis, quintum Ecclesiae saeculum eam festivitatem referunt nonnulli, allegantque Divi Ioannis Chrysostomi homiliam in *Occursum Domini.* At ea homilia in Criticorum reprehensionem incidit, eamque Chrysostomo demunt. Sed certe jam dudum, eam festivitatem fuisse

a Graecis celebratam, ex notissima Emmanuelis Comneni edictione discimus. Ceterum in Romana Ecclesia, eam, quam dicimus festivitatem vetustissimis temporibus agi consuevisse, antiquiores Ecclesiastici Libri nos docent. In veteri Codice Sacramentorum Sanctae Romanae Ecclesiae a Venerabili Cardinale Thomasio edito, et Gelasio tributo, Festivitas *Purificationis S. Mariae* quarto nonas Februarii ponitur. Eandem quoque festivitatem recensent vetera Martyrologia, Kalendaria, et reliqui Ecclesiastici Libri. Quoniam vero hoc Festum institutum fuit ab Ecclesia in memoriam illius diei, quo Christo cum beatissima Matre, et Iosepho ad Templum accedenti obviam venerunt Simeon, et Anna gratulantes, et benedicentes Deo, ut habetur etiam in Menologio Graeco ad hanc diem, ideo in Ecclesia Orientali nomen *Hypante*, seu *Hypapante* sortitum est, quasi occursus, quo alicui honoris, et Officii gratia obviam itur. Ab aliquibus vero dicitur *Hypante Domini*, ab aliis autem *Hypante Simeonis*, et *Annae*, sed a Theophylacto Simocatta *Lib. VIII Historiae*, Cap. 4 appellatur *Quadragesima dies celebritatis Natalium Magni Dei Iesus*. Ex praecepto si quidem Legis Mosaicae mulier, quae masculum pepererat, elapsis quadraginta diebus purificabatur in Tabernaculo, et post Templum a Salamone constructum, in Templo. oblationibus a Lege praescriptis et quamvis purissima Dei Genitrix, quae de Spiritu Sancto conceperat, nulla prorsus purificatione indigeret, et a praedicta Legis dispositione immunis esset, nihilominus Beatissima Virgo, quadraginta diebus elapsis a salutifero partu, voluit praedictam legem adimplere, et caeteris puerperis se conformare. Et re quidem vera Beatissima Virgo maximae humilitatis gratia Legis praeceptum sponte observarit; et quam Salvator in summa egestate mortalem vitam ingredi voluisset, non agnum cum pullo columbae, aut turturis, sed duos turtures, vel duos columbarum pullos offerri pro se voluit, uti S. Augustinus *Lib. III Quaest. in Leviticum quaest. 40 num. 4* scriptum sapienter reliquit.

II. Duo praesertim hac in festivitate singularia occurrunt, cereorum benedictio et processio. Cardinalis

Baronius affirmat, institutam fuisse hanc processionem a Pontifice Gelasio, ut Lupercalia tolleret. Et sane abolita fuisse a Gelasio Lupercalia, indubitata res est: id enim docet Gelasius ipse. in eo Commentario, quod Baronius Annalibus suis ad annum Christi 496 num. 29, et seqq. inseruit: fuitque etiam editum in Conciliorum Collectione a Labbe adornata. Baronii sententiam amplecti videntur Thomassinus, *De Festis* Lib. II Cap. II; Florentinius, *Exercit. III ad V Ianuari diem pag. 225*; Honoratus a S. Maria, *Animadversiones ad Critices Regulas* T. II Lib. III Diss. 5; aliique etiam. Neque vero opinio haec Frontoni displicuit. Adhaerent quoque, seu certe illi favent alii, tam inter antiquos, quam inter recentiores Scriptores. At non desunt, qui moneant fuisse quidem a Gelasio abolita Lupercalia: id siquidem, ipsemet docet, at non continuo adducuntur, ut putent eum, de quo agimus ritum, fuisse ab illo institutum. Scilicet, dum Gelasius docet Lupercalia fuisse a se ablata, minime adjicit Lupercalibus fuisse supplicationem, de qua disserimus, substitutam. Id porro non omisisset Gelasius: neque enim levem suis temporibus, et Ecclesiae comparasset laudem ea institutio. Secundo neque in Sacramentario Gelasii, immo neque in Sacramentario Gregorii ea supplicatio, seu processio describitur, neque in eis ulla fit benedictionis Candelarum mentio. Aliis itaque Gelasio posterioribus Romanis Pontificibus tribuenda est hujus ritus origo. Non desunt qui velint Sergium hodiernae Processionis auctorem esse, Libri Pontificalis et Romani Ordinis auctoritate suffulti. Sed ante Sergium ritus hic in Hispania, et Gallia vigebat, ut constat ex Sermone primo S. Ildephonsi, qui floruit anno 644 et ex Homilia Secunda in Purificatione S. Eligii Noviomensis Episcopi, qui obiit anno 665.

III. Processio hac die fit, ut nos in Ecclesiam procedentes, reminiscamur, quod Virgo olim in Templum Hierosolymitanum processit, Christum gestavit ut eum Domino offerret et facti hujus memoria excitati, gestantesque prae manibus lumen, quod Christum repraesentat, Processioni assistamus ea mente, qua Virgo ipsa processit in Templum, idest, ut in Templo offeramus

cum Christo Deo Patri nos ipsos purgatos. Ecclesia benedicit pariter cereos, ut valeant ad salutem animarum et corporum, terra, marique, et ut de locis ubi accensi fuerint, Daemon, et quidquid Daemonis ars machinata est depellatur ut ait Nicolaus Serarius Lib. II *de Processionibus* Cap. 3 n. 6. Vult autem, ut in manibus accensi deferantur, ut recordemur cerei ardentis dati nobis in Baptismo, et simul meminerimus, quod Fides Christiana in manibus lucere debet, idest in nostris operibus, in studiis, omnibusque actionibus. Vertus consuetudinem illius, de qua agimus, Processionis deducit ex eo quod candelis accensis, in Processione delatis fateamur Christum *lumen esse ad revelationem gentium* positum: quod ex Evangelio hac in solemnitate recitato edocemur. Quamquam porro haec interpretatio reprehendatur a Suessionensi Episcopo magni nominis viro in opere cui titulus: *De vera Ecclesiae mente in usu sacrarum Caeremoniarum*, a plerisque tamen excipitur, et eam ante Vertum proposuit Ioannes Casalius, qui apud eruditos magnam sibi famam comparavit, in opere *de Veteribus sacris Christianorum ritibus* Cap. 42 docet enim ideo a nobis hac in supplicatione gestari candelas, ut ratione aliqua ejus laetitiae compotes simus, quam coepit Simeon, cum infantem Iesum in ulnis habens agnovit esse eum *paratum ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium.* Interpretatio haec minime displicet auctori Catechismi Montispessulani; docet quippe propterea in processione, et in aliqua Missae parte candelas accensas a fidelibus manu gestari, ut ostendant se participes esse laetitiae illius, quam coepit Simeon cum infantem Iesum ulnis tenens novit esse eum *lumen ad revelationem gentium* positum: adjicit vero, ideo processionem fuisse ab Ecclesia institutam, ut ratione aliqua Beatissimam Virginem euntem ad templum imitemur. Eadem fere tradiderat auctor Catechismi Burgensis anno 1603 Lutetiae Parisiorum editi. In Missa solemni hujus diei ritus peculiaris praescribitur, nimirum, quod dum legitur Evangelium debent omnes tenere candelas accensas; cantato autem Evangelio extinguuntur. Sed iterum tenentur accensae ad elevationem SS. Sa-

cramenti usque ad completam Communionem Sacerdotis celebrantis, aliorumque si adsint communicandi.

CAPUT III.

DE FESTO SANCTISSIMAE ANNUNCIATIONIS.

I. Sanctissimae Annunciationis B. Mariae Festivitas 25 Martii die celebratur. *Annuntiatio S. Mariae* appellatur in Sacramentario S. Gregorii, Kalendarium Frontonis habet *Adnuntiatio Domini*. In Hieronymiano Lucensi Florentinii scribitur : *Adnuntiatio Sanctae Mariae de Conceptione*. Hispanis olim *Festivitas Dominicae Matris, aut Festum S. Virginis Mariae,* ut ex Concilio Toletano decimo Cap. I et ex Codice legum Wisigothorum Lib. XII tit. 3 Leg. 6 colligitur. In Concilio Trullano *sacra faustae Nuntiationis dies*, vel absolute *Nuntiatio* appellatur. In Ordinario Corbeiensi, et Tullensi: *Annuciatio Dominica*. In Calendario Lyrensi : *Annunciatio Christi*. In plerisque enim Martyrologiis *Adnunciatio Dominica* legitur, et in Kalendario Neapolitano *Annuntiatio Domini Iesu*. Thomassinus *de Festorum celebratione* Lib. II Cap. 12 num. 2 tenet, ullum extare de hac Festivitate documentum firmae fidei ante Concilium Trullanum Constantinopoli habitum anno 692 in quo praecipitur, ne per Quadragesimam integrum Missae Sacrificium peragatur, *praeterquam Sabbato, et Dominica , et Sancto Annunciationis die*. De antiquitate hujus festi constat ex S. Augustini testimonio in *Libro IV de Trinitate* Cap. 5 ubi haec habet: *Sicut a majoribus traditum suscipiens Ecclesiae custodit auctoritas, octavo Kalendas Aprilis conceptus* creditur (Christus) *quo et passus*. Insuper Concilium Toletanum X anno 656 de hoc festo tamquam de festo jam diu instituto, et ab universis passim Ecclesiis recepto, loquitur Canone I ubi conqueritur quod in multis Hispaniae partibus hujus Sanctae Virginis festum non uno die per omnes anni circulos agatur. Ad hujus festivitatis ritus pertinet Constitutio Sergii Papae I qui saeculo vixit septimo, de hac festivitate loquitur tamquam multo ante instituta. *Constituit, ut diebus Annunciationis* etc. *Li-*

tania exeat a S. Hadriano, et ad Sanctam Mariam populus occurrat; ut habetur in Libro Pontificali. Praeterea in veteri Occidentalis Ecclesiae Martyrologio, quod Beda Cassiodoro, aliique plures Hieronymo tribuunt, ediditque Florentinius, ad diem 25 Martii haec adnotata reperiuntur: *In Galilaea Civitate Nazareth Adnuntiatio Sanctae Mariae de Conceptione, quando ab Angelo est salutata:* quibus magis magisque confirmatur ea sententia, quae hujus solemnitatis institutionem refert ad Apostolicam Traditionem. In Graecorum Menologiis, Menaeis, Synaxariis, in Kalendariis et Martyrologiis Aegyptiorum, Cophtorum, Syrorum, Caldaeorum, Ruthenorum, in Latinorum Martyrologiis, Breviariis, et Missalibus, in Sacramentario denique S. Gregorii Annunciationis Festum ad diem 25 Martii adnotatum reperimus: ex quo utriusque Ecclesiae Occidentalis et Orientalis consensus firmissime probat, nonnisi Apostolica Traditione certum illum diem praefinitum, ut videre est apud Bollandistas ad diem 25 Martii.

II. Non defuere in Veteri Testamento praestantissimi Viri qui divino Spiritu afflati divina mysteria revelarunt. Cur ergo non aliquem horum selegit Deus, quem ad Virginem mitteret aptissimum tam praestantis mysterii nuncium. Placet praeunte S. Thoma, probabiles nonnullas rationes adjicere, ob quas aequissimum fuisse videas, ut Angelus potius, quam homo tanti mysterii nuncius ad Virginem mitteretur. *Conveniens fuit III part.* quaest. 30 *art. 2 in corp. Matri Dei annuntiari per Angelum Divinae Incarnationis mysterium propter tria. Primo quidem, ut in hoc etiam servaretur divina ordinatio, secundum quam mediantibus Angelis divina ad homines perveniunt. Secundo hoc fuit conveniens reparationi humanae, quae futura erat per Christum;* unde Beda dicit in Homilia super Lucam Cap. I *Aptum humanae restaurationis principium, ut Angelus a Deo mitteretur ad Virginem, partu consecrandam divino: quia primae perditionis humanae fuit causa cum serpens a Diabolo mittebatur ad mulierem spiritu superbiae decipiendam. Tertio quia hoc congruebat virginitati matris Dei.* Alias Theologi adjiciunt, quas statim recenseo. Primo decuit purissimae, et peccati cujusvis

experti Virgini eum nuncium mittere, qui purissimus, itemque peccati cujusvis, expers foret. Secundo haud facile invenies quanam ratione Virginem homo, quem nuncium tanti mysterii esse vis, commode alloqui potuisset. Nonnulli Theologi putant ideo missum fuisse ad Beatissimam Virginem, tam sublimis mysterii nuncium Gabrielem, quia ei jam dudum ministerium Incarnationis impositnm fuerat. Missus scilicet primum Danieli fuit, ut ei Incarnationem praecessuras regnorum vicissitudines, ut ejusdem Incarnationis tempus, quod ad erigendam Prophetae spem *abbreviatum* dixit, et circumstantias praediceret, et aperiret. Rursus, missus Zachariae fuit, ut eum certiorem faceret de mirabili Conceptione, et nativitate Ioannis. Censent alii nesciri prorsus, cum ad id munus electus Gabriel sit, cum enim inquiunt ea electio ex eligentis arbitrio, ac voluntate provenerit, nullam vero iis revelarit hujusmodi electionis rationem. Non defuere viri etiam summi, qui non modo in externa, et visibili specie, ac forma, verum etiam in ipsa essentia apparuisse Mariae Angelum dicerent. Suarez *in III. part. quaest.* XXX art. 4 disput. XI sect. 2 haec ait: *Probabiliter credi potest, Angelum non tantum in externa specie, sed etiam in sua substantia apparuisse, ac visum esse a B. Virgine.* Utcumque sit, indubitatum est sane, humana ideoque sensibili specie, ac forma, Angelum Virgini apparuisse. Et sane quis ea de re dubitare audeat, postquam haec a Luca Evangelista audierit? *Ingressus Angelus* Cap. I v. 28. *ad eam dixit: Ave .... Quae cum audisset, turbata est ... Et ait Angelus ei: ne timeas dixit autem Maria ad Angelum: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco. Et respondens Angelus dixit ei.* etc, et reliqua, quae a Luca diligenter copioseque describuntur. An haec sine sensibili, humanaque specie fieri possunt? Adsunt suffragatores hujusce rei Patres. Origenes, *Homilia* IV in Lucam; Ambrosius, Lib. I *De Officiis* Cap. XVIII num. 69; Hieronymus, in *Epistola septima ad Laetam*; Augustinus, *Sermone 18 de Tempore*; Chrysologus, *Sermone* 140. Splendore quodam circumfusum Angelum, quem dicimus, exhibet Sannazarius, qui suavem odorem ab eodem Angelo

emissum adjicit, *Lib. 1 de partu Virginis* v. 135. Sannazarium praecesserat poeta minus nobilis, sed Theologus praestantissimus Gerson, dum haec scriptis prodidit in opere cui titulus: *Iosephina Distinctio* IV.

III. Age vero, salutationem ipsam Angelicam aggrediamur, expendamusque illius prestantiam, ac vim. Merito autem illius exordium Angelus duxit ab *Ave*, tum quia haec frequentissima erat apud Hebraeos consuetudo, ut a salutatione laetus nuncius exordium duceret. Tum etiam, quia valde conveniens fuit, ut qui subito aspectu suo, atque a novitate, et magnitudine rerum dicendarum praevidebat terrendam fore, turbandamque Virginem, sibi benevolam statim redderet, terrorisque causas laetissima salutatione averteret. *A salutatione*, inquit, sive Augustinus, seu alius sub ejus nomine latens Scriptor *Sermo IV de Nativitate in Appendice 120 olim 21 de Tempore, incipit, qui salvationem in lingua portavit.* Nec immerito sane ad laetitiam, ac gaudium hortatus est Mariam Angelus: etenim ut Andreae Hierosolymitani Angelo haec tribuenti verbis utar: *Unica*, inquit, *Sermone de Annunciatione in Bibliotheca Patrum Lugd.* T. XII pag. 679 *haec vox Salve, nullum apud puellam metui locum relinquit, ac mentem ejus prius demulcebit: ab ipso ejus gaudio exordium sumam: laetitiae signa statim ei annuncians: decet enim laetis ita praeconiis Reginam salutari*: Mariam gratia plenam praedicat Angelus divinisque beneficiis cumulatam; eamque Deo placere: *Invenisti enim gratiam apud Dominum.* Spiritus Sanctus, in Maria commorans, illius mentem donis omnibus, omnique gratia impleverat. Maria cumulatur gratia et impletur. Ut illam hac dignitate, qua caeterorum hominum dignitas quam longissime superatur, dignam efficeret, omnes, ut ita dicam, thesauros exhausit Deus, divinis muneribus illam undique ornaturus. At nova, eaque copiosissima gratia in ipso Angeli adventu, tum ex Patrum testimonio, ac monitis, tum ex eo etiam constat, quod tum ex communi creaturarum genere, ac statu elata est, et ad eam dignitatem promota, quae ut verbis S. Thomae utar, habet *quandam infinitatem*, propter eam propinquitatem, atque adeo unionem, quam habet mater cum filio, ideoque cum ipso Unigenito

Dei, quam ipsa mox conceptura erat, detentura deinceps per novem mensium spatium in utero, tum editura, alitura denique per multos annos. Ad hanc gratiae plenitudinem respexisse videtur Beatus Amadeus Lausanensis *Homilia III de Laudibus Virginis Mariae* dum haec ait: *Spiritus Sanctus superveniet in te: superveniet et in ubertate, in affluentia, in plenitudine, et in effusione carnis, et animae: cumque repleverit te erit adhuc super te* etc. Multa de uberrima Mariae collata gratia habent Pelbartus, *in Stellario de Beata Virgine;* et Canisius, *De Virgine Maria* Lib. III Cap. V et seqq.

IV. Quoad verba Angeli: *Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.* Non una est priorum horum verborum: *Dominus tecum* explicatio. Non defuere, qui monerent *deprecativam esse salutationem hanc*, quasi diceret Angelus: tibi deprecor, o Maria, ut Dominus tecum sit, imitatus scilicet (horum opinione) Angelum Raphaelem, qui Tobiam seniorem alloquens: *Gaudium* inquit Cap. V v. 11 *tibi sit semper:* quod jam dudum in usu fuisse apud Iudaeos. Alii nunciatum his verbis volunt Dominum proxime in eam descensurum; adeo ut sit quaedam anticipatio certitudinis Incarnationis in ea proxime post peragendae. Alii denique nuncium hunc esse ajunt, immo indubitatum argumentum singularis cujusdam divinae beneficentiae, et singularis praesidii erga Mariam Sanctissimam. Ad rem audiatur Divus Thomas *quaest.* 30 art. 4 ubi ordinatissime Angelum processisse sic ostendit: *Tria enim Angelus intendebat circa Virginem. Primo quidem, reddere mentem ejus attentam ad tantae rei considerationem: quod quidem fecit eam sulutando quadam nova et insolita salutatione; in qua quidem salutatione praemisit idoneitatem ejus ad conceptum in hoc quod dixit:* Gratia plena: *expressit conceptum in hoc quod dixit*: Dominus tecum: *Et praenuntiavit honorem consequentem, cum dixit:* Benedicta tu in mulieribus. *Secundo autem intendebat eam instruere de Mysterio Incarnationis, quod in ea erat implendum, quod quidem fecit praenuntiando conceptum et partum dicens:* Ecce concipies in utero etc. *et ostendendo dignitatem prolis conceptae cum dixit*: Hic erit magnus

etc. *Et etiam ostendendo modum Conceptionis* cum dixit: Spiritus Sanctus superveniet in te. *Tertio intendebat animum ejus inducere ad consensum: quod quidem fecit exemplo Elisabeth, et ratione ex Divina Omnipotentia sumpta.* Ita S. Thomas. Praeterea quaenam scilicet fuerit causa turbationis illius, qua affecta Virgo est; Subitum, dum sola esset, Angeli humana specie apparentis aspectum intra januas clausas, nonnulli existimant. Non subitum, sed coruscantem, et splendidum Angeli aspectum turbationis Mariae causam fuisse alii ajunt. Sunt qui moneant agnitum ab ea fuisse caelestem Angelum, nec revera trepidasse, sed tantum turbatam fuisse, turbantur enim veri humiles, si multum commendari se audiunt. S. Thomas postremae opinioni favere videtur, dum haec tradit III *part. quaest. 30 art. 3* ad 3 in fine: *Quidam tamen dicunt, quod cum Beata Virgo assueta esset visionibus Angelorum, non turbata fuit in visione Angeli, sed in admiratione eorum, quae ei ab Angelo dicebantur, quia de se tam magnifica non cogitabat. Unde et Evangelista non dicit, quod turbata fuerit in visione Angeli, sed in sermone ejus.* Sententia haec pluribus sane Patribus placuit, qui propterea eamdem sententiam auctoritate, ac suffragio suo valde probabilem reddiderunt.

V. Quo autem particulari in loco Angelus Mariam invenerit, cum eam salutare adivit. Communis Patrum sententia est, Mariam ab Angelo fuisse inventam in cubiculo domus suae solam in penetralibus, solam sine teste, orantem ac meditantem, et forte Messiae adventum suspirantem, ibique ab Angelo salutatam: et hanc domum illam eamdem esse, quam in Picenum asportatam Aedem Lauretanam dicimus et colimus. Restat inquirere mensem, diem et horam, quibus Angelus Mariam salutatum adivit. Antiquissimam eam esse persuasionem, qua censemus octavo Kalendas Aprilis, qua ipsa die nunc etiam memoriam Dominicae Annunciationis colimus. Producimus statim Augustinum attestantem scilicet *a majoribus traditam* hanc esse, de qua disserimus, persuasionem. *Sicut a majoribus traditum* inquit, Augustinus Lib. IV *de Trinitate Cap. V suscipiens Ecclesiae custodit auctoritas. Octavo enim Kalendas Apri-*

lis conceptus creditur, quo et passus. Auctor *Quaestionum ad Antiochum*, qui diu creditus est Athanasius, vetustus saue Scriptor, quique plurima ex Athanasio excepit, in eadem sententia est. Chronicon Paschale, seu Alexandrinum, praeclarum ad id quod agimus testimonium praebet, dum haec habet: *Die XXV secundum Romanos Martii mensis Catholica, et Apostolica Dei Ecclesia, ex Sanctorum Doctorum traditione, sanctae Dominae nostrae gloriosae Dei Genitricis, et semper Virginis Mariae Annunciationem celebrat.* Universalem totius Ecclesiae consensionem, particularium Ecclesiarum testificatione declaratam habemus, qua docemur XXV Martii die Gabrielem Archangelum Incarnationis peragendae nuncium ad Mariam venisse.

VI. De hora tamen, qua Angelus ingressus est ad Virginem, non est adeo certum. Summo mane ad Mariam Virginem venisse Gabriel, censuit Albertus Magnus super *Missus est quaest.* VII § 1; quem quidem hac in re secuti sunt S. Antoninus, *1 part. Summae tit. V* Cap. 9; et Chlithoveus, referente Novato *de Eminentia Virginis* Tom. I Cap. VII. quaest. I. Plura quoque adnotari possunt, quibus palam fiat, mirandam prorsus et supra omnes naturae vires fuisse Iesu Christi conceptionem. Primo in conceptione Christi Domini Beatissima Maria Virgo simul et mater permansit. Hoc quippe eximium ac singulare privilegium soli Mariae in conceptione Christi asserunt Sancti Patres. Secundo conceptionem Christi miraculosam et plane supernaturalem fuisse, probat repentina ejus corporis in utero Virginis conformatio. Enimvero statim ac Beatissima Virgo voluntaria sui obsequii postulanti Deo munera offerens, Gabrieli praebuit assensum, dicens: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Mirum dictu? eodem momento, nullaque interposita mora, abscedente Angelo, Spiritus Sancti operatione, compactum est in Virginis utero Corpus Christi integrum, omnibusque organicis membris absolutum; *Angelo nuntiante, et Spiritu Sancto adveniente,* inquit S. Gregorius *Lib. XVIII Moralium* Cap. 35 *mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro.* Haec autem repentina corporis Christi in castissimo Virginis utero formatio,

longe excedit omnes limites naturae, quae paulatim, variisque gradibus puerolos materiis in visceribus format. Tertio corpus Christi non solum in momento conceptionis fuit integre formatum, sed insuper eodem momento fuit animatum anima rationali, *simul caro, simul Verbi Dei caro, simul vero animata anima rationali* inquit S. Damascenus Lib. III *de Orthodoxa Fide* Cap. 2. Quarto corpus Christi in instanti conceptionis fuit unitum Verbo divino, ita ut Christus per ineffabilem illam unionem, et utriusque naturae divinae scilicet et humanae consortium, fuerit Deus et homo, duasque habuerit voluntates et operationes, divinam scilicet et humanam. *Non est intervallum temporis* inquit, S. Fulgentius Cap. 4. *Libri de Incarnatione et Gratia, aestimandum inter conceptae carnis initium, et concipiendae divinitatis adventum; una quippe fuit in utero Mariae Virginis conceptio divinitatis et carnis, et unus est Dei filius in utraque natura conceptus.* Quinto Christus in istanti conceptionis suae fuit verus Sacerdos. Et re quidem vera Sacerdotis officium est, Deo sacrificium offerre, at Christus in momento conceptionis suae verum sacrificium Deo Patri offerre coepit, incarnari namque perinde est ac victimam Deo Patri immolandam a Deo Verbo assumi, nec alio fine, ut docent Sancti Patres, a Verbo divino, quod vitae ubertate omnino redundabat, assumpta est natura hominis, quam velut rationalis hostia Deo offerenda. Cum igitur Incarnatio, juxta doctrinam Sanctorum Patrum, non vitae humanae, sed mortalitatis et mortis sit assumptio, sequitur Christum in momento Incarnationis suae sacrificium fuisse auspicatum, quod toto vitae suae tempore produxit, et in Cruce consummavit. Denique conceptionem Christi fuisse miraculosam et supernaturalem facile colligitur ex beatissima coelestium donorum copia et omnigena virtutum suppellectili, qua in momento conceptionis suae fuit cumulatissime exornatus.

CAPUT VI.

DE FESTO DOLORUM BEATISSIMAE VIRGINIS FERIA SEXTA HEBDOMADAE PASSIONIS.

I. Jam pridem fuisse in Ecclesia celebrem memoriam dolorum, quos Cruci adstans Virgo perpessa est, et, nisi etiam fallimur, peculiari festivitate cultam, merito conjicimus ex iis Sanctorum Patrum sermonibus, qui de *Martyrio*, vel de *Compassione Mariae Virginis*, aut alio affini titulo inscribuntur, in quorum numero ii eminent, quos Amadeus Lausanensis Homilia V inscripta de mentis robore, seu Martyrio Beatissimae Virginis, et S. Bernardus Clarevallensis edidere: neque enim sermones habere ad populum consueverant veteres Patres, nisi in festis, in quibus fideles ad Ecclesiam conveniebant. Id ipsum indicare videtur sacra illa Cantilena, quam *Stabat Mater*, a verbis a quibus sumit exordium, appellari solet: cum enim illud sacrarum cantilenarum genus, quas nonnulli *Prosas Sequentias* alii appellarunt, intra Missas, aut certe in sacris conventibus cani consueverint facile assequimur hanc ipsam quoque cantilenam in solemni Missa, aut certe in sacro conventu fuisse cantatam. Cani porro minime consueverant Sequentiae istae, seu Prosae, nisi in solemnioribus festivitatibus. Solemnis itaque jam pridem fuit festivitas instituta ad recolendos dolores, quos Virgo Cruci adstans perpessa est. Ceterum ad antiquitatem hujusce festivitatis statuendam conjecturis fidere non est necesse. Ejus institutio referenda ad provincialem Synodum Theodorici Coloniensis Episcopi anno 1413 habitam, in quo Concilio ad Hussitarum Haereticorum comprimendam audaciam, qui Sanctissimas Iesu Christi et B. Virginis dolore confossae imagines sacrilego furore foedabant, constitutum est: *ut Festum Commemorationis praefatae angustiae et Doloris B. Mariae Virginis deinceps singulis annis Feria sexta post Dominicam Iubilate ... solemniter celebretur*: ut est in Collectione Conciliorum Labbeana. T. 12 pag. 365. Officium recitatur in tota ditione Ecclesiastica ex Decreto Benedi-

cti XIII die 22 Augusti 1725 et ex Decreto ejusdem 22 Augusti 1727 recitatur in universa Ecclesia. Quapropter scribit Guyetus de Festis propriis Sanctorum Lib. II Cap. 4: *Sunt B. Mariae* titulo *institutae variis in locis Festivitates, puta dolorum seu compassionis ejusdem feria sexta ante Dominicam Palmarum Parisiis, Andegavi, Pictavii et alibi passim.*

II: Acerbissimo igitur dolore B. Virginem in divini Filii passione fuisse confectam cum S. Ambrosio affirmamus; quae tamen voluntatem Patris probe exploratam habens, ut pro redemptione mundi Filius neci dederetur,, eodem tempore quo vehementer animo angebatur, Dei justitiam et misericordiam adoravit, et ad ejus voluntatem animum confortavit suum, et nullo indecoro edito fracti animi indicio, ante Crucem pedibus stetit summa fortitudine, atque constantia. *Ante Crucem stabat, et piis spectabat oculis Filii vulnera, quia expectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem.* Sunt verba Ambrosii in Cap. XXIII Lucae. Praeclare etiam Hadrianus Mengot in *Monitis Marianis* p. 4 *monit.* 24: *Mariae fortitudo tota ejus vita, sed maxime in morte Filii enituit.* Licet nemo perfecte explicare valeat, quantus fuerit dolor, quo Beatissima Virgo fuit affecta; ex nonnullis tamen capitibus potest aliqua ex parte investigari. Primo ex dignitate Christi patientis, quam contemptam alte considerans Beatissima Virgo, non potuit summo non affici cruciatu. Quid enim vidit Maria in Christo? *Vidit in eo* respondet S. Bernardus *pretium mundi, pretio vili distractum. Fortitudinem Sanctorum in agonia factam. Speciosum forma prae filiis hominum, plenum sudore sanguineo. Dominum mundi, ut latronem comprehensum. Virtutem coelorum, arctioribus vinculis constrictam... In coelis glorificatum a scelestissimis spretum Coelorum regem, a scelestis illusum.* Secundo ex innocentia Christi; nam *dolor*, inquit S. Thomas 3. p. q. 46 a. 6 *augetur ex innocentia, in quantum apprehendit nocumentum illatum ut magis indebitum secundum* illud Isaiae Cap. 57: *Iustus autem perit, et non est qui recogitet in corde.* Tertio ex acerbitate passionis, quam Salvator sustinebat; tanta enim fuit, quantam nemo unquam passus, aut passurus erat.

Quarto ex praesentia Christi, objectum enim praesens longe magis movet. Quinto ex impotentia Christum adjuvandi. Sexto ex solitudine, quia consolantem non habuit Beatissima Virgo, sed etiam omnes experiebatur adversarios. Septimo ex horrendis calumniis et blasphemiis, quas assidue audiebat vibrari in Christum. Nono ex vehementissimo amore, quo Christum filium suum prosequebatur.

III. Pictores ut dolores B. Virginis exprimant, septem gladiis trajectam pingunt. Quaerit Saxius Part. II *De Laudibus Mariae* pag. 168 id unde profectum sit; et ad septem Ordinis Servorum Fundatores refert; qui dolorum B. Mariae contemplationi vacantes, eos in septem divisere, quorum aliqui habentur in Evangelio, ceteri probabili ratione et auctoritate verisimiles fiunt. In memoriam dolorum, quos Beatissima Virgo passa est in morte Domini nostri Iesu Christi, niger habitus a Patribus Ordinis Servorum usque a sui initio assumptus est, uti legitur in Bulla Innocentii VIII. Insuper quod orantibus Septem Ordinis Fundatoribus Beata Virgo apparuit, et eisque patefecit, se in suos Servos illos elegisse, et ab eis habitum nigrum esse deferendum in memoriam dolorum, quos passa est in morte Unigeniti Filii sui, uti non solum legitur in *Annalibus Fratris Archangeli Giani Lib. I centur.* I Cap. 14, sed etiam in Dialogo Fratris Pauli Florentini ad Petrum Cosmae, qui manuscriptus asservatur in celebri Bibliotheca Medicea. Rursus quod in antiqua Chronica Fratris Petri de Tuderti, cui maximopere fides deferenda esse videtur, cum ea, quae scripsit, hauserit ab ore Beati Alexii de Falconeriis, qui fuit unus ex Septem Fundatoribus Ordinis Servorum, narratur, quod, dum Fundatorum praedictorum spiritus examinabatur a Sancto Petro Martyre, qui tunc Florentiae morabatur, Beatissima Virgo eidem Sancto Petro apparuit, ipsique patefecit, se a Filio suo impetrasse, ut Ordo ipse suo particulari servitio adscriberetur, habitumque nigrum gerere deberet in signum moestitiae quam ipsa in morte Filii sui perpessa est. Ex his etenim omnibus simul junctis, sicuti probatum esse videtur, habitum nigrum fuisse a Fratribus assumptum in memoriam Dolorum

Beatissimae Virginis, ipsaque in Visionibus, et Apparitionibus indicante, suae voluntatis esse, ut habitus ille a Fratribus deferretur, sic argumentum non omnino spernendum insurgere posse videtur ad suadendum Imaginem Beatissimae Virginis septem Dolorum cum habitu nigro pingi posse, et eodem habitu indutam ad publicam exponi posse venerationem. Praxis Ordinis Servorum in qua habitui nigro faveret, non constituit consuetudinem Ecclesiae Universalis, et re quidem vera in plerisque Ecclesiis ejusdem Ordinis Beatissima Virgo depicta videtur juxta morem antiquum, hoc est, colore caeruleo, et rubro. Si festum de Septem Doloribus Beatae Mariae Virginis occurrat in aliud Festum altioris Ritus, transfertur in Sabbatum sequens. Si vero occurrat cum Festo Annunciationis ejusdem Beatae Mariae Virginis Vesperae dicuntur de Annunciatione sine Commemoratione de Septem Doloribus. Licet Officia universalia sint regulariter transferenda, hoc tamen Officium de Septem Doloribus excipitur ab hac Regula, quia non est transferendum nisi in Sabbatum sequens, et sic numquam ad tempus Paschale facienda est de eo festiva translatio.

CAPUT V.

DE FESTO VISITATIONIS B. MARIAE VIRGINIS.

I. Ut primaevam Festi hujus institutionem a primis ejus exordiis quam possumus altissime repetamus, revocandum est in memoriam spatium praeteriti temporis, quo Ecclesiae Catholicae concordia atque unitate misere distracta, tunica Iesu Christi inconsutilis pernicioso pariter ac diuturno schismate in partes avulsa, dissecta, et dilacerata fuit. Ad componendas Ecclesiae turbas, et famosum schisma extirpandum, solemnitatem hanc primus instituit Urbanus VI, sexto Idus Aprilis anno Christi 1389 pontificatus sui IX, ut pax unice necessaria a coelorum Regina ac Domina peteretur, quam mundus dare non poterat. Sublato e vivis Urbano VI, antequam decretum de hac colenda festivitate more debito quaquaversum potuerit promulgari, Boni-

facius IX, ejus Successor, illud publicavit anno 1389. Dicuntur Franciscani Religiosi hoc festum celebrasse in suo Ordine jam tum ab anno 1263, idest centum viginti annis et amplius ante communem ejus institutionem. Sunt qui velint, usitatum fuisse in Ecclesia Orientali, et in Syria celebratum Dominica quinta ex octo Dominicis, Natalem Domini praecedentibus, quae erat ordine quarta, huic festo natali praevia. Officium ecclesiasticum, quo tenore et ritu vulgatum apparuit a tempore Clementis VIII, auctorem habuit Petrum Ruisium de Visitatione, Ordinis S. Francisci de Paula religiosum, qui adhibitus fuerat ad formationem Kalendarii Romani sub Gregorio XIII. Nunc nonnulla, quae ad stabiliendam hujus mysterii in variis locis venerationem conducunt, ex antiquis aliquot Kalendariis ac Breviariis coacervemus. Exordium sumo a Kalendario Coptico, in quo ita legitur die 2 Iulii: *Festivitas Dominae nostrae Deiparae Mariae, et itus ipsius ad Elisabeth.* Accedit Kalendarium Chaldaicum sive Syriacum verbis italis, quae latine ita sonant: *Visitatio B. V. Mariae facta est Elisabeth.* Hujus festi Officium, quo majore cum splendore et solemnitate perageretur, cum Octava celebrandum praescripsit Ecclesia Spirensis, uti liquet ex antiquo ejusdem Breviario. Idem quoad Octavam in diocesi Leodiensi. Cur Ecclesia secundo die Iulii celebrat visitationem B. Virginis, cum ex Evangelio constet eam statim secutam fuisse post Annuntiationem. Azorius *Institutionum Moralium* part. 2 Lib. I. Cap. 23 se rationem probabilem invenisse arbitratur, cur ad secundam Iulii diem rejecta fit memoria visitationis: hanc scilicet: *quia tunc, vel paulo ante, Visitatio finem habuit, et Beata Virgo domum suam rediit.*

II. Non sponte iter illud suscepisse Mariam, sed peculiari Spiritus Sancti impulsu permotam affirmat Antipater. Ab humilitate permotam Mariam, ut visitaret Elisabeth, docet Ambrosius in Lucam Lib. II Num. 22. Sed alias quoque hujus itineris a Maria suscepti causas extitisse quis dubitet? Nonnullas Euthymius, aliique enumerant: Et hae sunt: ut gloriosior esset exultatione Ioannis in utero, Christi conceptio, et praenunciatio: ut Ioannes a daemonis potestate, Christi adventu, eripere-

tur, et tam ipse, quam illius mater Elisabeth repleretur Spiritu Sancto. Ut Maria obedientiam hortatibus Spiritus Sancti, et virtutes alias in eo itinere suscipiendo proderet. Haec si Patrum dictis, similitudinibus quoque, et allegoriis ex Scriptura desumptis confirmare, atque illustrare cupis, Carthagenam T. III *Homil. Cath.* Lib. VI *Hom.* III IV et V haec copiose persequentem consule. Viri praeclari non pauci, verisimile putant, Urbem Hebron incolatu Zachariae, et Elisabethae fuisse honestatam. In hac opinione Baronius est, Toletus quoque, aliique nobiles Scriptores, quos allegat Augustinus Calmet in Lucam Caput I v. 39. Eidem opinioni favet procul dubio Theophylus Raynaudus *Dyptica Mariana part.* I *punct.* VI n. 2: et egregius Liberatus Fassonius, *De Cognitione S. Ioannis Baptistae*. Alii Hierosolymis hanc laudem tribuunt. Alii oppido Macherunte trans Iordanem posito, alii in Bethleem, alii denique in Emmaus, seu certe prope Emmaus Zachariam moratum volunt. Nunc videndum, an Maria, nullo adhibito comite iter illud confecerit. Sapientissimus Benedictus XIV valde verisimile existimat, eam in itinere solam non fuisse; comitem vero illi fuisse Iosephum tuto affirmari non potest. Ayala in *Pictore Christiano erudito* Lib. IV Cap. 5 num 4 existimat quidem Iosephum in itinere comitem fuisse B. Virginis ; sed Pictores graviter reprehendit, quod praesentem eum pingant, cum Maria et Elisabeth inter se colloquuntur. Ut ad Zachariae aedes Maria pervenit, Elisabetham, cujus causa iter illud susceperat, statim perquisivit, et inventam salutavit. *Et intravit domum Zachariae* inquit Lucas, *et salutavit Elisabeth.* His de salutatione a Maria Elisabethae data, praelibatis, quae ex ea consecuta sunt, nostra studia atque investigationem exposcunt. Sunt vero subsultus Ioannis cum gaudio in utero matris, et gratia a Ioanne , et Elisabetha recepta. De Ioannis subsultu haec habet Irenaeus Lib. III *adversus haereses* Cap. 16: *Quem Ioannes cum adhuc in ventre matris suae esset, et ille in vulva Mariae, Dominum cognoscens, exultans salutabat.* Similiter Tertullianus *De carne Christi* Cap. XXI: *Tacebit igitur, et Elisabeth prophetam portans jam Domini sui conscium infantem, et insuper Spi-*

ritu Sancto adimpleta. Athanasius in hanc ipsam persuasionem allegatur a Cassiano Lib. VII *de Incarnatione Domini* Cap. 29, et in Concilio Ephesino, haec scilicet elocutus: *Multi ergo Sancti fuerunt, et mundi a peccato. Ieremias et ab utero sanctificatus est, et Ioannes cum esset in utero, exultavit in gaudio voce Mariae Theotocae.* Hilarius Pictaviensis iis temporibus, quibus Athanasius floruit, doctrina, et pietate fuit illustris. Is autem hic merito adducitur: etenim haec scriptis prodidit in *Libro II de Trinitate* num. 26: *Videamus igitur, quae sunt ministeria conceptus. Angelus Zachariae loquitur, sterili partus affertur, de incensi loco Sacerdos mutus egreditur. Ioannes in vocem adhuc utero matris detentus erumpit.* Alii etiam Patres eadem tradunt, atque in primis Cyrillus Hierosolymitanus: etenim docet, novisse Ioannem Dominum advenientem, seque propinquitate, et accessu sanctificantem, cognitionemque, et gaudium ex ea re conceptum subsultu suo prodidisse. Addit Ioannem in hoc praeferendum esse Ieremiae, quod uterque sit quidem sanctificatus in utero, sed non uterque in eo prophetaverit: Ioannes enim in utero prophetavit, non item Ieremias. Sed praestat ipsa Cyrilli verba describere. *Qui* (Ioannes) inquit. *Catechesi* III *De Baptismo* num. VI *etiam in utero matris cum gestaretur, a Spiritu Sancto sanctificatus est. Sanctificatus est eodem modo Hieremias, sed non prophetavit in utero. Solus Ioannes in utero conclusus exsilivit in gaudio: et cum corporeis oculis non videret, Dominum suum agnovit spiritu.* Epiphanius eamdem sententiam confirmat sua auctoritate: haec etenim de Ioanne scribit in *Libro* II *adversus haereses* LXII num. 5: *Qui cum adhuc matris utero contineretur, Domini sui ingressum agnovit, et exiliit.* Nec omittendus sane est Cyrillus Alexandrinus. Is Monachis Aegyptiis scribens illa ipsa expressissima Athanasii verba recitat, approbatque, quae nos antea attulimus. Idem docent Leo Magnus, Basilius Seleuciensis, Chrysologus, Venerabilis Beda, Rupertus, Bernardus, et Bonaventura. Euthymium, Theophylactum, Nicephorum his adjungunt Maldonatus, et Carthagena; alios porro adjiciunt Theologi alii, adeout constet, communem, vulgatumque apud Pa-

tres fuisse eam, quam vindicamus opinionem. Merito itaque Ecclesia nostris ipsis temporibus vetustis exemplis, et monumentis inhaerens, haec in hymno S. Ioannis canit:

Ventris obstruso recubans cubili,
Senseras regem thalamo manentem:

III. Sed quis vetat, ne Protestantes etiam adjiciamus: ex horum scilicet etiam testimonio, atque auctoritate constabit, immerito nos irrideri a nonnullis recentioribus Criticis, quibus displicet, quod miraculo adscribamus Ioannis in ventre adhuc matris detenti subsultum. Brentium praeire volo, qui ad hunc modum Lucae, de quo disserimus, locum explicat: *Vide obsecro mihi ingens miraculum. Ad salutationem Mariae saliit infans Ioannes in utero Elizabethae.* Pellicanus in Commentariis in hunc Lucae locum eandem prorsus sententiam tenet. Adjicit egregius Liberatus Fassonius in elaboratissima Dissertatione, quam inscripsit: *De Cognitione S. Ioannis Baptistae in matris utero* N. 3 Bucerum, Zeschium, et Ioannem Georgium Walchium inter protestantes summi nominis viros. Quod si theologicam rationem adjici vis, ecce illam. Si mirabilis prorsus, et naturae limites, ordinemque non superasset Ioannes subsultus, eum describere omisisset Evangelista. Cur enim rem obviam, et naturae limitibus contentam recensuisset, qui tot omisit Mariae, Elisabethae, et Ioannis praeclara gesta? Quid quod haud obscure Elisabetha declarat, agnovisse se Mariae excellentiam, et Domini in ejus utero conclusi praesentiam ex subsultu illo, seu exultatione, quam illa significavit? *Exultavit infans in utero meo. Mansit autem Maria* inquit Lucas *cum illa* (Elisabetha) *quasi mensibus tribus.* Ad quae verba non pauci Interpretes monent, per integros tres menses non permansisse apud Elisabetham, Mariam Virginem. Itaque si Theophylactum, Euthymium et Nicephorum audis, quos sequitur Iansenius Iprensis in locum hunc. *Mansit autem Maria cum Elisabeth circiter mensibus tribus: deinde reversa est.* Eadem tradit Titus Bostrensis, cujus verba Novatus allegat: Idem porro Novatus his, quos citavi, adjungit Rupertum, Ianse-

nium Gandavensem, et Cajetanum. At multo aliter visum est aliis etiam doctissimis, et antiquis Doctoribus, quibus adhaerent non pauci ex recentioribus. Sed praestat inter alios S. Petri Damiani verba producere: *Virgo* inquit, *in Commentariis* Lib. II num. 29 et 30 *festinat ad Elisabeth, et tribus mensibus praesentia sua cognatae dignatur hospitium, donec noni mensis fine, concluso, nativitas imminet Patriarchae.*

CAPUT VI.

DE FESTO BEATAE VIRGINIS DE MONTE CARMELO.

I. Si Patribus Carmelitanis credimus, vetusta, probabilique ratione edocemur, pios aliquot homines, qui vestigiis Sanctorum Prophetarum Eliae, et Elisei institerant, S. Ioannis Baptistae concionibus permotos fuisse, ut Iesum Christum promissum in lege Messiam agnoscerent, et testarentur. Id postquam praestitere, peculiari quodam affectu Beatissimam Virginem, cujus colloquiis, ac familiaritate frui potuere, adeo venerari coeperunt, ut primi omnium in eo montis Carmeli loco, ubi Elias olim ascendentem nebulam Virginis typo insignem conspexerat, eidem purissimae Virgini sacellum construxerint, aliaque eidem adhuc viventi deinceps adhibuerint pietatis, venerationisque argumenta. Ne vero id temere dixisse videantur Carmelitae, testes proferunt Iosephum Antiochenum, Ioannem Hierosolymitanum, et Cyrillum. Quod si ad obtinendam fidem hi satis non sunt, recentiores Scriptores iis adjungunt, atque in primis Arnaldum Bostrium, *in Breviloquio;* Danielem a Virgine Maria, in *Vinea Carmelitarum;* aliosque etiam. Quibus tamen, iisque etiam, quae Petrus Thomas Saracenus in *Carmelitarum* Menologio tradit, obsistunt plerumque ii, quos Criticos appellare consuevimus. Iidem porro Critici non verentur impugnare alias Carmelitici Ordinis traditiones. Praeterea nota est apparitio Beatissimae Virginis Beato Simoni Stok: narratur enim, ab ea praedicto Beato exhibitum fuisse sacrum *Scapulare,* ut ea caelesti veste Sacer Ordo Carmelitarum dignosceretur, et a malis ingruentibus pro-

tegeretur. Fertur etiam, Beatissimam Virginem Mariam promisisse filiis in Scapularis Societatem relatis, dum igne Purgatorii expiabantur, se solamen esse praestituram, et celerem in caelestem Patriam adventum impetraturam, si abstinentiam, et preces quasdam statutas frequentassent, ac pro sui status ratione castitatem coluissent. De Virtutibus porro, Miraculis, et Beatitate prae dicti Simonis plura habentur apud Bollandianos ad diem 16 Maji.

II. Quoniam vero a Protestantibus sacrum *Scapulare* (cujus etiam emolumentum in hac festivitate recolitur), ejusque delatio reprehenditur sic eos rejicimus. Ad sacri *Scapularis* commendationem necesse non esse, ut ea omnia. quae de exordio, continuatione, et per Orientales provincias Carmelitici Ordinis propagatione, illiusque privilegiis Carmelitici Scriptores narrant, ad Criticae regulas expendantur. Satis Doctorum judicio est, ad sacri *Scapularis* commendationem, quod illud tessera quaedam sit obsequii Beatissimae Virgini adhibiti: hoc scilicet ipsum non leve pietatis erga Virginem argumentum est, ideoque arrha quaedam praesidii a Virgine deferendi iis, qui hoc argumento eam colunt. Illa ipsa Deiparae imago, quae in iisdem Scapularibus extat, pietatem plurimum alit, daemonem in fugam si pie gestetur agit, aliaque praestat commoda, quae sacrae Deiparae Imagines habent. Multa legi possunt apud Theophylum Raynaudum in suo Opusculo, cui titulus: *Scapulare Marianum illustratum* inter ejus Opera T. VII. Festivitas Beatissimae Mariae de Monte Carmelo non sine gravi instituta est judicio, et in universali Ecclesia cum Officio et Missa propria celebratur. Eam pro Carmelitarum Ordine an. 1587 approbavit Sixtus V, ejusque Officium pro eodem Ordine Paulus V ex Decreto S. Rituum Congregationis novis auxit lectionibus a Venerabili Cardinali Bellarmino recognitis. Eamdem Festivitatem temporibus ab aetate nostra haud ita remotis una cum Officio ad aliquot Civitates, Provincias, et Regna, ut Episcoporum et Populorum, devotioni gratificarentur Romani Pontifices extenderunt, quod ex S. Rituum Congregationis Actis colligitur. Eam denique cum Officio et Missa nunc universa celebrat Catholica Ecclesia ex Decreto Benedicti XIII.

CAPUT VII.

DE FESTIVITATE SANCTAE MARIAE AD NIVES.

I. Festivitas S. Mariae ad Nives peculiaris Romanae Ecclesiae haec olim erat: eamque ob causam in multis veteribus Kalendariis omittitur: at quum Romanum Breviarium in plurimis Ecclesiis adhiberi coepit, celebrari etiam coepit in iisdem Ecclesiis ea, de qua nunc disserimus festivitas. Novimus quidem Tillemontium, Bailletum, alios Criticos, animose asserere, id quod de nive aestivis diebus nocte delapsa, et ejus indicio a R. Pontifice in S. Mariae honorem erecta Basilica dicitur, nec vetustis, nec probabilibus monumentis inniti nimirum nullus vetustus, ac probabilis Scriptor id posteris tradidit; primumque omnium, quos noverimus, hujus narrationis auctorem habemus Petrum de Natalibus saeculi XV Scriptorem, pium quidem, sed nimio plus credulum. At vero P. Sollerius vir doctissimus Martyrologia allegat, in quibus *Dedicatio S. Mariae ad Nives* notatur. Verba porro *Mariae ad Nives*, procul dubio miraculum delapsae nivis innuunt. Insuper Cl. Abbas de Angelis *De Basilica S. Mariae Majoris* Lib. II Cap. I affirmat in archivio Basilicae S. Mariae Majoris servari Bullam authenticam a Nicolao IV primo sui Pontificatus anno, ideoque aut anno 1228, aut certe subsequenti editam, in qua haec occurrunt: *Cupientes igitur, ut Ecclesia nostra ad honorem Virginis ejusdem constructa, cujus quidem structurum gloriosus Deus in Sanctis suis per immissionem nivis aestus tempore mirabiliter indicavit, congruis honoribus frequentetur.* Pius II edictionem edidit, eam quoque a Clarissimo de Angelis allatam, et deinceps a Benedicto XIV excitatam, cujus authenticum exemplar in Liberianae Basilicae Archivio servatur: in quâ edictione eadem Liberiana Basilica dicitur *Divino aestivae nivis miraculo aedificata.* Monumenta alia, eaque vetusta allegant Baronius, Severanus, de Angelis, aliique etiam, iis in locis, quos allegat doctissimus Benedictus XIV. Indubitatum est etiam, Viros praestantes, et quos novimus ab approbandis fictis, aut

etiam dubiis miraculis alienissimos, quos S. Pius V emendando, edendoque Romano Breviario praeposuit, illud, quod dicimus, miraculum approbasse. Arbitrati sunt praeclarissimi Theologi huic narrationi apprime monitum illud convenire, quod his verbis expressit Clarissimus Papebrochius: *Contingit etiam saepe traditionis substantiam talem esse, ut non nisi temere possit in dubium revocari etiam res coaevorum testimoniis destituta.*

II. Liberii tempore illud contigisse Romanum Martyrologium, et Breviarium jussu S. Pii V emendatum, atque editum affirmant. Id quoque affirmant Viri alii praeclarissimi nempe socii Bollandiani, Benedictus XIV, aliique non pauci. Nec temere id affirmant, etenim praeter quam quod vetustissima, et vulgatissima Traditio id docet, Liber Pontificalis de Liberio agens haec habet: *Hic fecit Basilicam nomine suo, juxta macellum Liviae:* docent autem viri eruditi macellum Liviae in Exquilino monte fuisse extructum. Docet nos doctissimus Pontifex Benedictus XIV, non in omnibus Romanae Urbis Ecclesiis hujusce Basilicae dedicationem fuisse celebratam: quin etiam subsequenti, idest XIII, saeculo, minime fuisse celebratam ex eo conjicit, quod Gregorius IX jusserit quinta Augusti die recoli solemnem memoriam S. Dominici Ordinis Praedicatorum institutoris. Porro id minime statuisset Pontifex, si eo die Romanus Clerus dedicationem S. Mariae Majoris recoluisset. Superest itaque, ut dicamus in sacra tantummodo S. Mariae Majoris Basilica illius dedicationem fuisse actam. Arbitrantur plerique saeculo XIV coepisse eam, quam dicimus, festivitatem, in aliis etiam Romanis Ecclesiis; idque affirmant Pagius junior, et doctissimus Benedictus XIV, ex quo etiam discimus Rodulphum Tungrensem Romanis festivitatibus eamdem dedicationem accensuisse. Deinceps ab aliis etiam, qui in aliis regionibus degerent, fuisse eamdem dedicationem celebratam ex scriptis, et typis editis Kalendariis, Missalibus, et Breviariis discimus: in iis enim fere omnibus notatur festivitas *Sanctae Mariae ad Nives.*

CAPUT VIII.

DE FESTIVITATE ASSUMPTIONIS BEATISSIMAE VIRGINIS.

I. Celebris est in Iure Canonico Solemnitas Assumptionis B. Mariae, ut videre est in Can. I de Consecratione Dist. 3 et Cap. ult. de Feriis. Et Suarez Tom. I de Religione Lib. II Cap. 8 num. 13 de hac solemnitate ita loquitur: *Festum hoc maxime proprium ipsius Virginis, et inter festivitates ejus habet quamdam excellentiam, quia gloriam, praemium ac triumphum Sanctissimae Virginis nobis repraesentat.* In vetustis monumentis haec Festivitas appellatur *Dormitio*, et re quidem vera in Libro Pontificali de Sergio legimus: *Constituit, ut diebus Adnunciationis Domini, Dormitionis et Nativitatis Sanctae Dei Genitricis. . . Litaniae exeant e Sancto Hadriano, et ad Sanctam Mariam populus occurrat.* In Martyrologiis Bedae, Adonis, Usuardi, et in aliis item Festum enunciatur *Sanctae Mariae Dormitio*, vel ut in Kalendariis Allatii et Frontonis, *Solemnia de pausatione Sanctae Mariae.* Sed ut optime advertit P. Rocca Tom. I Operum pag. 213 *Dormitionem*, ac Assumptionem idem valere. Idque etiam probari potest Iacobi Pamelii verbis, qui in Notis ad Epistolam S. Cypriani 24 ad finem numeri 13 ita scribit: *Certe Dormitionis, vel Assumptionis B. Virginis Festum celebratum constat jam ab aetate Divi Hieronymi, et Augustini.* Cum quo consentit doctissimus P. Le Quien Ord. Praed. in sua editione Operum S. Ioannis Damasceni Tom. 2 pag. 857. Quidam existimant, Assumptionis Festum Apostolos instituisse: Verum S. Bernardus celebri Epistola 174 scribit: *Accepi sane ab Ecclesia illum diem cum summa veneratione colendum, quo Assumpta* (B. Maria) *de saeculo nequam, Caelis quoque intulit celeberrimorum Festa gaudiorum.* Quamobrem Festivitatis hujus institutio ad Ecclesiam videtur referenda. Thomassinus *Tract. de Festis* Lib. II Cap. 20 num. 10 ostendere satagit, post Concilium Ephesinum, quo damnatus fuerit Nestorius, longe lateque ejusdem cultum fuisse diffusum, multis in ejus honorem excitatis templis, et Festivitatibus in-

stitutis. Praeclarissima haec celebritas Octavam habet, quam instituisse Leonem IV anno 847 tradit Pontificalis Anastasii Liber. Magnae huic solemnitati praecedit pervigilium cum jejunio; ac jejunium quidem valde antiquum esse oportet, cum de eo tanquam de re usitata in Romana Ecclesia mentionem facit Nicolaus I Pontifex creatus anno 858 nam Cap. 4 Epistolae ad Bulgaros scribit, jejunium hoc ab Romana Ecclesia *antiquitus* susceptum, et religiose servatum fuisse.

II. Festum Assumptionis Beatae Virginis antiquiores Galli mense Ianuarii celebrabant vide Mabillonium de *Liturgia Gallicana* Lib. II pag. 118 et 119. Unde in Missali Gallo-Gothico statim post Epiphaniam occurrit *Missa in Adsumptione Sanctae Mariae Matris Domini nostri*. Etiam in quibusdam Martyrologiis vetustis Hieronymianis *Depositio Beatae Virginis*, die XVIII Ianuarii commemoratur. Plura vide apud Florentinium in notis ad Martyrologium Lucense, die 18 Ianuarii, et in exercitatione de *Assumptione Deiparae*. At XVIII Kalendas Septembris Romanum Bedae genuinum, Adonis, et Usuardi Martyrologia *de Dormitione Sanctae Mariae* agunt. Hodie utraque Ecclesia mortem et Assumptionem Beatissimae Virginis die quinto decimo Augusti celebrat. Festivitas Assumptionis eratque apud antiquos Monachos una ex quinque praecipuis anni festivitatibus; in qua proinde eosdem omnino ritus observabant quos in Natali, in Resurrectione Domini, in adventu Spiritus Sancti, et in festis Patroni cujusque loci. Ad quartam cujusque Nocturni Lectionem incensum offerebatur ut videre est in Ordinario Tullensi. Tres post festum ipsum dies ex Dionysianis, et S. Germani consuetudinibus erant prorsus solemnes, quemadmodum in Resurrectione et in Pentecoste. Singulis diebus nova legebantur Evangelia.

III. Quoad sententiam Ecclesiae de Assumptione Beatissimae Virginis ait Baronius in *Annotationibus* ad *Martyrologium Romanum* die XV Augusti, *in eam partem propensior videtur, ut una cum carne assumpta sit in Coelum. Nam in hujus diei celebritate illas Sanctorum Patrum Homilias legendas tradidit, quibus eadem de ejus Assumptione firmantur; quae quidem sententia cum*

plurimorum Theologorum auctoritate, tum etiam communi consensu Fidelium jam recepto videtur. Antiquissimum ac locupletissimum hujusce mysterii testem profert Synodus Ierosolymitana praeside Dositheo Ierosolymorum Patriarcha adversus Calvinistas an. 1672 celebrata, Cyrillum scilicet Alexandrinum in *Homilia de Dormitione Virginis* haec proferentem : *Quidnam est magnum illud signum, quod apparuit in caelo, ubi et Deus habitat, et caelestes virtutes assistunt? Ipsa procul dubio est Virgo Sanctissima, quae magnum in terra signum cum extiterit, eo quod Deum in carne genuit, et post partum integerrima Virgo permansit; recte et signum esse dicitur in caelo, eo quod ipsa cum corpore assumpta est in caelum.* Adde, si vis, eos sermones, quos de eadem festivitate edidere Patres, quos sermones recenset Fabricius Tom. IX Bibliothecae Graecae pag. 116 et seqq. Venio ad Latinos. Quis omnium prior e Latinis eam, de qua agimus, virginei corporis assumptionem ad coelos tradiderit, incertum est. Gregorius Pontifex cognomento, et re ipsa Magnus ad vetustatem ejusdem persuasionis comprobandam adduci merito potest. Etenim in Libro *Sacramentorum* ante Missam festi Assumptionis Beatissimae Virginis oratio haec legitur : *Veneranda nobis Domine hujus diei festivitas opem conferat sempiternam, in qua Sancta Dei Genitrix mortem subjit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit* etc. Quid enim significant verba illa : *nec tamen mortis nexibus deprimi potuit*, nisi quod mortua diu non permansit, sed mortis vincula veluti disrupit, et vicit, excitata scilicet a mortuis, et corpore ipso ab caelos elata? Hildebertus id ipsum docet. Ecclesiam porro Gallicanam jam dudum pro hac stetisse sententia, manifesto assequimur ex Missali Gothico. Si Hildephonso Toletano tribuis sermonem sextum de *Assumptione*, habes profecto vetustum valde Scriptorem, qui affirmet aetate sua multos pietate praestantes viros eam, quam dicimus, corpoream Deiparae assumptionem propugnare. Expressissime anima, et corpore ad coelos elatam Virginem: quam quidem rem *Assumptionis Mariae* vocabulis intelligimus, affirmat Hildebertus Cenomanensis, tum Turonensis Archiepiscopus Serm. I in

Festo Assumptionis. Idipsum docet Fulbertus Carnotensis Sermone II de *Nativitate Virginis.* Assentitur his Petrus Damiani Sermone *De Assumptione num. I.* Luculento sermone id ipsum prosequitur Bernardus Sermone I *De Assumptione.* Hugo a S. Victore Lib. III *Erudit. Theolog.* corpoream Deiparae Assumptionem asserit. Petrus Blesensis Bathoniensis Archidiaconus eidem opinioni pariter favet. S. Thomas Opusculo octavo quod est *Expositio super Salutatione Angelica,* pag. 76 agens de tribus maledictionibus, quae datae sunt hominibus propter peccatum ita scribit: *Tertia fuit communis viris, et mulieribus, ut scilicet in pulverem reverterentur. Et ab hac immunis fuit Beata Virgo, quia cum corpore est assumpta in caelum.* Idem docent Melchior Canus, *de Locis Theologicis* Cap. X; Petrus Canisius, *de Deipara* Lib. V Cap. 5; Sotus, in IV *Sententiarum Distinct. 43 quaest. 2 art. 1;* Suarez, *in tertiam partem quaest. 33 art. I disp. 22 sect. 2 dub. I;* Raynaudus, in *Diptycis Marianis* part. II *punct. 2 num. 1.*

IV. Praeclaram quoque exhibent Breviaria ad id quod agimus ostendendum, probationem. Habent inter Octavam, et in Octava ipsa lectiones legebantur Bernardi et Damasceni quibus expressissime docemur, Virginem Deiparam a mortuis fuisse excitatam, et illius corpus, sive Angelorum opera, sive alia Deo nota, nobisque abdita ratione coelo illatum. Nec contemnas volo Missalia quae ipsissimas habent preces, quas exhibent Codices Gelasio et Gregorio Magno tributi, vel tam affines, ut pene ipsissimae dici possint. Piae, et religiosae sententiae de assumpto in coelos Virginis corpore rationes item theologicae suffragantur petitae ex dignitate Matris Dei, ab excellenti Virginitate, ab insigni supra homines omnes, et angelos sanctitate, ex intima cum Christo Filio conjuctione, et consensione, ex Filii in Matrem dignissimam affectu. His nihilominus minime refragantibus, nulla adhuc Ecclesiae prodiit definitio de Beata Virgine corpore et anima in coelum assumpta, definitio nempe id reponens inter articulos Fidei, quemadmodum docet Dominicus Soto *in 4 Sententiarum dist. 43 quaest. 2 art. I* ubi haec habet: *Iam vero temporum curriculo opinio haec, quod in Corpore,*

et Anima fuerit in coelum assumpta plurimum inolevit. Nondum tamen inter articulos Fidei creditu necessarios relata est, quamvis sit pientissime credendum; nam in Collecta illius Festi ait Ecclesia, quod nexibus mortis deprimi non potuit. Sequitur Melchior Canus Lib. X de *Locis Theologicis* Cap. 10 sic inquiens: *Beatam Virginem non esse in coelos cum corpore assumptam, licet Fidei minime adversum sit, quia tamen communi Ecclesiae consensioni repugnat, petulanti temeritate diceretur.* De loco ubi ea mortua sit, duo circumferuntur sententiae. Quidam putant Hierosolymis obiisse; quae opinio nititur S. Damasceni auctoritate, qui in Homiliis de Dormitione B. Virginis narrat ex Euthymiana Historia, Iuvenalem Episcopum Hierosolymorum Marciano et Pulcheriae Augustis de retegendo Mariae corpore solicitis respondisse, Hierosolymis mortuam, et Gethsemani sepultam. Idemque tradit Andreas ex Monacho et Presbytero Hierosolymitano Episcopus Cretensis, cum oratione secunda in Dormitionem Sanctissimae Deiparae affirmat, illam in monte Sion, qui pars est Urbis Hierosolymitanae, *naturae obsecutam legibus finem vitae accepisse.* Quod ipsum docet Cedrenus, *in Compendio Historiarum* pag. 149; et Nicephorus Callistus, Lib. XV *Historiae Ecclesiasticae* Cap. 14. Hanc venerabilis Canisius opinionem sequitur Lib. V Cap. 3 *de Maria Deipara Virgine.* Ejusdem multo antea fuit sententiae Guerricus Abbas S. Bernardi discipulus, qui Sermone secundo de Assumptione, *Ob hoc ipsum,* inquit, *creditur in valle Iosaphat commoratam* (B. Virginem) *ubi et sepulchrum ejus monstratum.* Et Urbanus II Summus Pontifex Sermone, quem habuit in Claramontana Synodo anno 1095 ait in valle Iosaphat fuisse sepultam. Quaresmius in *Elucidatione Terrae Sanctae* Lib. IV Cap. I et seqq. Tom. 2 narrat, extra Hierosolymam in media valle Iosaphat prope Gethsemani sub monte Oliveti sitam esse amplam Ecclesiam in honorem Deiparae dedicatam, in qua est B. Virginis sepulchrum. Qui Iuvenalis auctoritatem respuunt, nec sibi persuadere possunt, Beatam Virginem Hierosolymis obiisse, putant mortuam esse Ephesi. Quo anno aetatis, et quo anno Christi obiit Maria Virgo, nihil comperti est, ob va-

rias, et inter se discrepantes Scriptorum sententia. Nam, ut est in Annalibus Baronii ad annum 48 § 5. Nicephorus ex Evodio prodit, eam vixisse annos quinquaginta novem. Andreas Cretensis *Oratione prima in Dormitionem Sanctissimae Deiparae*, nihil definiens, hoc solum dicit, illam *migrasse ab humanis ubi ad extremam devenisset senectutem*. Epiphanius Presbyter Ecclesiae Constantinopolitanae annos duos et septuaginta ei tribuit. Quod etiam Cedrenus facit in Compendio Historiarum. Itaque dubitatur etiam, quo anno Christi obierit.

CAPUT IX.

DE FESTO NATIVITATIS BEATAE MARIAE VIRGINIS.

I. Azorius *Institutionum Moralium part. 2 Lib. I Cap. 19 quaest. I* putat temporibus Ephesini, et Chalcedonensis Concilii nativitatem Virginis peculiari festivitate celebrari coepisse. Nec defuit qui ad hanc, de qua agimus, festivitatis antiquitatem comprobandam, sermonem Augustini adduceret, illum ipsum scilicet, quem in die Nativitatis Virginis Romana legit Ecclesia: et sic se habet: *Adest nobis, dilectissimi, optatus dies Beatae et Venerabilis Virginis Mariae: ideo cum summa exultatione gaudeat terra nostra tantae Virginis illustrata natali*. Huic opinioni affinis ea est, quam proponit Saussay in Martyrologio Gallicano, et sequuntur Saxius in *Dissertatione de sacris corporibus Gervasii, et Protasii*, aliique etiam. Censent hi, S. Maurillum Mediolanensem, Sancti Martini discipulum, ac deinceps Andegavensem Episcopum, festivitatem hanc in Galliis instituisse. Thomassinus *De Festis* Lib. II Cap. 20 n. 2, 3, et 4 Fulberti Carnotensis tempore institutam putat. Apud Graecos valde antiqua fuit haec Deiparae festivitas, sed quo determinato tempore ea agi coeperit incertum. Quoad Latinos prioribus Ecclesiae saeculis non fuit (in tota saltem Ecclesia) peculiari solemnitate culta Beatissimae Mariae Virginis Nativitas. Id scilicet perspicue videtur erui ex iis Petri Cellensis Abbatis verbis Lib. VI Epist. 23: *Non erat ab initio Nativitas Virginis in Ecclesia solemnis, sed crescente Fidelium devo-*

tione addita est praeclaris Ecclesiae solemnitatibus. Mirum itaque non est, si Augustini tempore minime celebrata fuerit in Africa, peculiari festivitate Mariae Nativita. Id manifesto assequimur ex Sermonibus ejusdem Augustini. *Hinc attendat in Sermone* 287 inquit, *charitas vestra, quam magni hominis nativitas facta sit : natales dies carnis nulli prophetarum, nulli patriarcharum, nemini Apostolorum celebravit Ecclesia: solos duos natales celebrat, hujus et Christi*. Quod autem attinet ad sermonem illum S. Augustini, qui legitur in Officio hujus diei, in eo quidem genuinus S. Doctoris foetus agnoscitur, sed non in Nativitate, bene vero in Annunciatione Deiparae Virginis habitus est, et levi mutatione facta ad Nativitatem translatus fuit; sic enim legitur in Sermone S. Augustini : *Gaudeat terra nostra tantae Virginis illustrata solemni die*. Id jam pridem animadvertit, monuitque Florentinius *in Annotat. ad Martyrologium* a se editum ad octavam Septembris diem haec scribens: *Quamquam enim sermo Divi Augustini in Ecclesia legatur, et ipsius revera sit, Nativitati tamen accomodatus est, licet in Annunciatione dictus fuerit*. Haec quoque adnotavit sapientissimus Pontifex Benedictus XIV.

II. Sane antiquissimam esse in Ecclesia Romana festivitatem hanc, comprobant *Responsoriale*, et *Antiphonarium Ecclesiae Romanae*. His adjice Sacramentalia Pamelii Rocchae, Menardi, aliaque etiam, quae procul dubio antiquissima sunt, et ab Ecclesia Romana provenientia. Notatur pariter in *Sacramentario* Gregorii Magni, et in Romano Frontonis Kalendario. Quid, quod antiquitatem hujusce in Ecclesia Romana festivitatis declarant ea, quae de Sergio Romano Pontifice, qui anno 688 Romanam Ecclesiam regebat, Anastasius, quem *Bibliothecarium* appellant, tradit haec nempe : *Constituit, ut diebus Annunciationis Domini, Nativitatis, et Dormitionis Sanctae Dei Genitricis, semperque Virginis, et S. Simeonis, quod Hypapantem Graeci appellant, Litania exeat a S. Adriano, et ad S. Mariam populus occurrat*. Ut porro de aliis Ecclesiis, et continuatione ejusdem festivitatis in aliis provinciis aliquid dicam, ejusdem festivitatis meminere Usuardus,

atque Adonis Martyrologium antiquissimum a Florentinio editum. Saeculo septimo celebrata fuit haec festivitas in Hispania. Nimirum in eo Libro, qui *de perpetua Virginitate* S. Mariae inscribitur, quique a Fevardentio, aliisque etiam nobilibus Scriptoribus S. Ildephonso tribuitur haec occurrunt: *Nullius igitur in Bibliotheca Patrum* T. XII pag. 566 *nativitas celebratur in mundo, nisi Christi, et ejus* (de Maria Sanctissima loquitur), atque *Beati Ioannis . . . Quod si praeclara sanctissimae Virginis nativitas universaliter tam Sancta, et tam gloriosa jure recolitur.* Saeculo VIII in Galliis celebrata fuit peculiari festivitate Mariae Nativitas uti patet ex Codice Sacramentorum quem edidit egregius Cardinalis Thomasius. Saeculo X in Anglia festivitas haec procul dubio celebrata fuit. Id scilicet edocemur a Rogero de Hoveden Rerum Anglicarum Scriptore. Octava ad majus solemnitas incrementum addita illi est. Illius originem non pauci repetunt ex voto (si iis credimus) a Cardinalibus, mortuo Gregorio IX, in Conclavi detentis facto. Eorum porro precibus ac voto annuit Beatissima Virgo : elegerunt nimirum Innocentium IV, qui votum a se, dum in Conclavi detinebatur, et reliquis Cardidalibus factum ratum habuit, et in Concilio Lugdunensi Oecumenico Octavam solemnitati huic adjici jussit. Id tradunt Durandus, Lib. VII. Cap. ; Arnoldus Wion, Lib. V *Ligni Vitae* Cap. 22; Labbe, Tom. XI *Conciliorum* pag. 636 ; Spinellus, *De Festis,* ac *Templis Deiparae* pag. 677; Pagi Iunior, *Breviarium Romanorum Pontificum in vita Innocentii* IV num. 18 ; et alii etiam. At procul dubio, in aliquibus saltem Ecclesiis, Octava huic solemnitati multo ante Innocentii IV electionem adjici consueverat. Ut celebrius ea festivitas ageretur, jejunium diei, quae eam proxime praecederet, addidisse Gregorium XI affirmant omnes, qui hujusce praeclari Pontificis vitam describunt.

CAPUT X.

DE FESTO NOMINIS MARIAE.

I. Coepit hoc Festum solemni pompa celebrari in Hispania, primum in Ecclesia Conchensi Apostolica interveniente approbatione. Pius V in sua reformatione hoc sustulit Festum, quod postea procurante Petro Deza Cardinali a Sixto V restitutum fuit pro die 17 Septembris, tamquam prima non impedita post Octavam Nativitatis Deiparae. Ad Toletanam exinde transiit Ecclesiam, subinde ad totam Hispaniam extensum est, ex concessione Gregorii XV ad enixas preces Regis Catholici Philippi IV porrectas per suum Oratorem Emmanuelem de Fonseca, Comitem Montis Regii. Postea Clemens X constitutione edita anno Domini 1671 plenariam Indulgentiam largitus est iis omnibus, qui Missae de Nomine Beatae Virginis Mariae, die 17 Septembris in Ecclesiis Provinciarum, et Regnorum Regis Hispaniarum celebrandae interessent. De magna celebritate, qua tunc peractum est in Hispania Festum SS. Nominis Mariae, videri potest Fr. M. Franciscus de Arcos in Vita Ven. Fratris Simonis de Roxa. Innocentius denique XI in memoriam insignis victoriae ab armis Christianis sub ejusdem Virginis praesidio de Turcis reportatae, et Civitatis Viennae in Austria ab arctissima eorumdem obsidione solutae, praefatum Festum pro Dominica infra Octavam Nativitatis ejusdem sub ritu duplici majori extendendum esse censuit ad Ecclesiam universalem die 20 Novembris 1683, Sacra Rituum Congregatione Missam, et Officium approbante die 5 Februarii 1864. Non defuere tamen, qui Innocentianae Constitutioni oblocuti sunt, quasi Nomen Mariae aequaret Nomini Iesus, illiqui decerneret latriae cultum, qui solique Deo debitus est, creaturis penitus incommunicabilis. Verum has oblucutiones dissiparunt statim responsiones validae, per quas invicte demonstratum extitit, rationes omnes illas, quae Sanctorum invocationem, et cultum licitum, nobisque faciunt proficuum, etiam venerabile efficere Mariae nomen, non quidem

vi operatae Redemptionis cujusmodi est venerabile nomen Iesus, et nullum creaturae esse potest, sed vi validioris intercessionis prae caeteris Sanctis, vi cujus et institui decuit speciale Festum in honorem ejusdem SS. Nominis. Hac de re agunt egregie Battaglini, *Annales ad annum* 1684; et Baillet, *ad diem* 8 Septembris. S. Ambrosius, *de Institutione Virg.*; S. Ioannes Damascenus, *Homilia de his, qui in fide migrarunt*; S. Antoninus, part. 4. Tit. 15 Cap. 14; et alii tradunt, Mariae nomen fuisse parentibus revelatum. V*erum etsi*, inquit Benedictus XIV Lib. II de Festis Cap. 10 n. I *non satis exploratum habemus annuntiatum ne sit ab Angelo Mariae nomen, ac imponi jussum a Deo, ut nomen Iesu, aut Ioannis ejus Precursoris; magna tamen erga illud fuit in Ecclesia veneratio, ut aliquando foeminis vel regio sanguine prognatis illud minime licuerit indere; quasi de dignitate sancti nominis multum detraheretur.* Non constat de tempore praeciso, quo B. V. impositum est nomen. Nicephorus Lib. I *Hist.* Cap. 7 refert, id proxime a nativitate fuisse factum. Alii octavo ab ortus die Virginem nominatam esse testantur.

II. Iuxta Sanctos Patres Mariae nomen quatuor potissimum significare, nempe *Illuminatam*, et *Illuminantem*, *Dominam*, *stellam maris, et mare amarum:* quae interpretationes optime quadrant in Beatissima Virgine. Primo recte congruit B. Virgini nomenclaturae *Illuminatae*, et *Illuminantis*. *Convenienter*, inquit S. Thomas in *Expositione Salutationis Angelicae, vocatur Mariae, quae interpretatur illuminata in se; unde Isaiae* Cap. 58: *Implebit splendoribus animam tuam; et illuminatrix in alios, quantum ad totum mundum; et ideo assimilatur soli et lunae.* Et paullo latius S. Bonaventura in *Speculo* Cap. III *Maria*, inquit, *interpretatur illuminatrix. Hoc competit tantae Virgini, quae mirabiliter illuminata est per praesentiam Domini Maria est etiam illuminatrix per lucidissimam gloriam suam, quae per omnia illuminat coelum, sicut sol mundum.* Secundo merito Beatissima Virgo *Domina* vocatur. S. Ioannes Damascenus *Lib. IV de Fide*, Cap. 15 *Gratia*, inquit, (*nam hoc sonat Annae vocabulum*) *dominam parit; id enim Mariae nomine significatur. Vere enim Maria facta est Domina*

omnium creaturarum, cum omnium Conditoris facta est mater. Arnaldus Carnotensis Lib. *de Laudibus Virginis Maria* inquit, *lingua Syriaca Domina dicitur; Christus Dominus, Maria Domina.* Tertio congruenter Beatissima Virgo *stella maris* nuncupatur *Stella Virgo est,* ait S. Bernardus *Homilia II Super missus est , quia sine corruptione sydus emittit radium ; sic absque laesione sui, parturiit filium, nec syderi radius suam minuit claritatem, nec Virgini filius suam virginitatem. Ipsa,* prosequitur S. Bernardus ibidem, *est praeclara, et eximia stella super hoc mare magnum, et spatiosum necessario sublevata , micans meritis , illustrans exemplis. Stella* vero *maris,* idest procellosi hujus mundi vocatur , quia in mediis vitae tempestatibus , lucem navigantibus in coelum praefert, cursumque virtutum suarum exemplo, et patrocinio dirigit. Quarto demum convenienter dicitur Virgo *mare amarum ; mare* quidem, quia oceanus est omnium gratiarum, donorumque Spiritus Sancti : Dionsyius Carthusianus Lib. III *de Laudibus Virginis.Maria* inquit, *interpretatur mare, quia sicut nullus valet guttas maris dinumerare, sic misericordiam, gratiam, excellentiam, gloriamque Mariae nullus valet exprimere.* Dicitur autem Maria *mare amarum,* tum quia in divini Filii passione acerbos dolores passa est , tum quia est diabolo formidabilis, *Maria ,* scribit S. Bonaventura *in Speculo* III *in passione Filii sui valde amara fuit, quando suam ipsius animam gladius pertransivit ; unde ipsa bene potuit dicere illud* Ruth (Ruth Cap. I) *Non vocetis me Noemi, idest pulchram, sed vocate me mara, idest amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens.*

III. Emolumenta nec pauca, nec levia nobis proveniunt ex invocato Mariae nomine. Ad rem audiatur Albertus Magnus qui in Commentariis in Caput I. Lucae haec habet : *Si illecebrae carnis te trahant, et superantes jam ad illicitas delectationes te propellant , baptiza te in amaritudine maris, et invoca intercessionem Dei matris , et nomina Mariam : tandem etiam si adversitates tribulationum te jactent, etiam superantes te quasi prosternant : leva oculos ad Dominam et invoca Mariam : et sic pro certo in te experieris, quam juste*

vocatum est nomen Virginis Maria. Nec praetereas, opto, quae Petrus Blesensis in eamdem sententiam ait: *Audito hoc nomine Sermone de Assumptione Mariae Virginis sub finem, pericula diffugiunt, commoda redeunt, et inferna pertimescunt, perimuntur blasphemi, desperati conciliantur, nullique difficultas recuperare gratiam, qui votorum suorum adjutricem habuerit Mariam.* Alia ad id ipsum asserendum Novatus, et Plazza Patrum, et Theologorum loca proferunt. Adjice frequentes preces, quibus Ecclesiae praecepto moniti utimur; praesertim vero cum salutationem angelicam recitamus: *Ave Maria gratia plena* etc. Horrent quoque Daemones Mariam, ideoque illius nomen, quod illis Mariae praestantiam, ac vires in memoriam revocat. Quibus positis, nemo ut arbitror, revocabit in dubium quin plurimum emolumenti ex invocato Mariae nomine nobis proveniat. Haec omnia attingit, breviterque complectitur Raymundus Iordanis, olim sub *Idiotae* nomine latens: etenim sic Angelum Mariam alloquentem inducit. *Ne timeas Mariae:* in opere cui titulus: *De Contemplatione Virginis Mariae, tota supersancta Trinitas nomen, quod post nomen superbenedicti filii tui est super omne nomen . . . . Tantae virtutis, et excellentiae est tuum sanctissimum Nomen, Beatissima Virgo, quod ad invocationem ipsius coelum ridet, terra laetatur, Angeli congaudent, daemones contremiscunt et infernus conturbatur.* Genuflexionem, et capitis inclinationem inter obsequii, honorisque argumenta enumerandas esse, nemo est, qui vertat in dubium. Obsequium hoc Nomini Virginis Sanctissimae ab ipsis Ecclesiae exordiis fuisse a fidelibus delatum nonnulli viri pii asseverant. Hildebertus Turonensis Archiepiscopus haec in fine *Sermonis I de Assumptione* habet: *Nec frustra consuevit Ecclesia intercessionem Beatae Virginis affectuosius ceteris implorare, ita quod audito ejus nomine genua terrae affigat, imo pro nominis reverentia quasi mare confragosum, sonant vota populorum.* Eadem prorsus monita occurrunt in *Sermone de Assumptione Beatae Mariae Virginis* qui ab aliquibus Petro Blesensi, ab aliis Petro Comestori Historiae Ecclesiasticae Scriptori tribuitur. Affine superiori est obsequium, quod Beatis-

simae Virginis nomini adhibemus, dum illo audito caput inclinamus. Hujus moris monumenta recentia multa non afferro, quoniam compertissima cuique sunt, et in Rubricis ipsis Missalis haec extant: *Cum in oratione nominatur nomen Virginis Beatae Mariae* caput inclinat Sacerdos.

CAPUT XI.

DE FESTO B. MARIAE DE MERCEDE.

I. Celebrat Ecclesia memoriam illius faustae noctis, qua Virgo in somnis Petro Nolasco, Raymundo de Pennafort, et Iacobo Aragoniae Regi apparens eos excitavit ad Ordinem sacrum instituendum, cui peculiariter curae esset, ut Christiani, qui in Maurorum potestate devenerant, redimerentur eamque curam ut certius exsequerentur, consuetis tribus votis solemnibus quartum adjungerent, quo obstringerentur, ut apud fideles pignus manerent, si captivorum redemptio id exposcat. Haec omnia narrant Zumel, Vargas, Remon, Salmeron, Vidondus, Spondanus, Zurita, Castillo, et Penia. Potiora vero hujusce Apparitionis fundamenta ex tribus aliis monumentis desumi possunt; quorum primum sunt Acta authentica Sancti Petri Nolasci inserta in primum Librum Canonizationis Sanctorum immortalis Pontificis Benedicti XIV. Secundum est Epistola Sancti Raymundi de Pennafort eidem Sancto Petro Nolasco scripta, in qua praedictam commemorat apparitionem. Epistola haec integra refertur a Stephano de Corbera, *in Vita Beatae Mariae de Socos* Cap. 28; a Salmeron, in *Monumentis Historicis* Saec. I *monum.* 8 § 3; nec non ejusdem Epistolae meminit Nicolaus Antonius *in veteri Bibliotheca* Lib. VIII Cap. 4 num. 141. Tertium denique fundamentum deducitur ex Bulla Canonizationis Sancti Raymundi de Pennafort.

II. Ut igitur tanti beneficii, et institutionis debitae Deo, et Virgini Matri gratiae redderentur, indultum privilegium primo fuit Religioni Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum ut Officium recitaretur, sicut in Festo Beatae Mariae ad Nives; postea tempore

Summi Pontificis Pauli V facta est concessio propriarum Lectionum, in quibus saepe memorata exponitur Apparitio; tempore Innocentii XI extensio facta est ad universa Regna Hispaniarum, et sub eodem Pontifice facta est descriptio in Martyrologio Romano sequenti Elogio: *In Hispania Apparitio Beatae Mariae Virginis, quae Sanctis Petro Nolasco, et Raymundo de Pennafort,* et *Iacobo I, Aragoniae Regi se conspiciendam dedit, ut fundaretur Ordo Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum;* sub Alexandro VIII nova indulta est extensio ad Regna Galliarum; et tandem sub Innocentio XII statutum est, ut in universa Ecclesia praedictum Officium recitaretur die 24 Septembris cum Oratione propria, propriisque Lectionibus iterum revisis, et examinatis, et nonnullis in locis correctis, et reformatis. Apostolica harum rerum Indulta edita sunt in Bullario Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum pag. 224, pag. 373, pag. 339, et pag. 424, et sequentibus.

CAPUT XII.

DE FESTO ROSARII BEATISSIMAE VIRGINIS.

I. Sanctissimi Rosarii B. Mariae solemnitas prima Octobris Dominica celebratur. Septima Octobris die anni 1571 quae fuit prima Dominica mensis, commissum est navale praelium ad Naupactum S. Pio V Pontifice, qui eodem momento, quo Christianorum classis Turcarum classem prope deleverat, de nostrorum victoria divinitus monitus est; quod constat ex processu ejus Beatificationis. S. Pius V jussit quotannis S. Mariae de Victoria commemorationem fieri, ut habetur in Martyrologio ad hunc diem. At animadvertens Gregorius XIII, ea ipsa die fuisse victoriam hanc relatam, qua die fideles Confraternitati Rosarii adscripti solemni supplicatione Rosarium pie recitabant, recte arbitratus est, multam vim ad placandum Deum, et ad conterendos Christiani nominis hostes habuisse preces ab iisdem confratribus fusas; ideoque, ut hujus insignis beneficii memoriam apud posteros servaretur, et subsequentibus

etiam temporibus Virgini gratiae redderentur, statuit, ut in iis Ecclesiis, in quibus Altare, seu Capella Rosarii titulo erecta erat, ea Dominica die, quae prima Octobris foret, Officium solemne, novem scilicet Lectiones habens, ritu duplici majori celebraretur. Statutum id est Kalendis Aprilis anni 1573, inestque decretum illud in Bullario Romano. Clemens X, exposcente Maria Anna Hispaniarum Regina indulsit, ut Ecclesiastici Regi Hispaniarum subditas provincias incolentes illud, de quo agimus officium rite persolverent. Clemens XI statuit, ut deinceps universus Clerus ac populus prima Octobris Dominica solemnem agerent Rosarii festivitatem, eo scilicet ritu, quem *duplicem majorem* appellant, ediditque ea de re tertia Octobris die anni 1716 decretum: adjecit vero eidem Officio peculiares secundi Nocturni Lectiones Benedictus XIII, quandoquidem superioribus temporibus desumebantur eadem Lectiones ex Sermone S. Augustini eidem festivitati accomodato.

II. *Est Rosarium* haec discimus ex Romano Breviario *certa precandi formula, qua quindecim Angelicarum salutationum decades, oratione Dominica interjecta, distinguimus, et ad earum singulas totidem nostrae reparationis mysteria pia meditatione recolimus.* Andreas Coppestein ex Praedicatorum Ordine in eo Libro quem B. *Alani Redivivi tractatum* mirabilem inscripsit, a primis usque Ecclesiae temporibus, nonnulla saltem ex parte repetit consuetudinem recitandi Rosarium. Paucos tamen asseclas opinio Coppesteini obtinuit: neque enim ullum veterem, probatumque dictorum suorum vadem profert. Quidam insuper ipsum S. Benedicto tribuunt, alii Venerabili Bedae, alii Petro cuidam Eremitae, alii Fratri Alano de Rupe, qui fuit Ordinis Praedicatorum. Sed illud omnem videtur difficultatem amoliri, quod perpetua fuit in Ordine Praedicatorum traditio, S. Dominicum Rosarii fuisse Auctorem. Eam vero traditionem graves amplexi sunt Scriptores, probaruntque Romani Pontifices, nec validis destituitur conjecturis. Quamvis forte desint Auctores contemporanei institutionem Sancto Dominico adscribentes, magni nihilominus momenti traditio habenda est, cum plu-

ribus fulciatur adminiculis. Leo Papa X *in sua Constitutione, quae est in ordine secunda in Appendice Tomi tertii Bullarii veteris* refert, quod in Historiis legebatur, Sanctum Dominicum in Civitate Coloniensi *Confraternitatem* utriusque sexus Christifidelium instituisse nuncupatam de Rosario Beatae Mariae Virginis ad honorem Angelicae salutationis, unde doctissimus P. Mabillonius in *Praefatione ad saeculum V Benedectinum ex quodam Chronico Sanctae Agnetis* num. 128 haec habet: *Institutio itaque Confraternitatis Rosarii anno 1475 facta est in alma Universitate Coloniensi per Doctores Sacrae Paginae Praedicatorum Ordinis.* Post obitum quoque Sancti Dominici Sanctissimi Rosarii devotio in universo Ordine Dominicano propagata est, veluti antiqua Historiarum monumenta produnt erudite collecta Tom. I Scriptorum Ordinis Praedicatorum inchoato a P. Iacobo Quetif, et absoluto a fratre Iacobo Echard pag. 852 atque etiam in *Historia Ecclesiastica Placentina* Petri Campi *in Regesto Privilegiorum* num. 108 pag. 406 tom. 2 prostrat Bulla Alexandri IV Summi Pontificis expedita anno 1294 et idcirco tantum triginta quatuor annis post obitum Sancti Dominici, in qua Indulgentiam elargitur Confraternitati Sanctissimi Rosarii erectae in Ecclesia Fratrum Praedicatorum Civitatis Placentinae. Itaque non alius quam S. Dominicus, pro quo communis sententia pugnat, statuendus est ritus nostri auctor. Et quidem Sancti hujus viri non vulgaris extitit in Deiparam pietas, quemadmodum maxima fuit Deiparae in eum, ejusque Ordinem benevolentia; hanc, ut alia praeteream, ostendit indumentum ipsum sacrae hujus familiae, quod vivente adhuc Dominico, et B. Virginem exorante, Reginaldo Aurelianensi Decano, totique Ordini e coelo attulisse, veteres Ordinis Scriptores memoriae prodiderunt, maxime Vincentius Bellovacensis, et Nicolaus Trivetus in accuratissimo Chronico ad annum 1217. Praeter haec, alia non deficiunt monumenta, quae adeo suadent, institutionem Rosarii esse ad S. Dominicum, tamquam auctorem referendam, ut rigidus censor Baillet ad diem 15 Augusti § 6 num. 33 ingenue dixerit, injustum esse refragari institutioni Rosarii a Sancto Dominico factae. Quibus om-

nibus si addantur Romanorum Pontificum Bullae, Leonis videlicet X, Sancti Pii V, Sixti V, Clementis VIII, Alexandri VII, Innocenti XI et Clementis XI fateri necesse erit, dictum P. Malvendae in *Annalibus Ordinis Praedicatorum* ad annum 1215 pag. 132 ubi haec habet: *Romanorum Pontificum apertissima attestatione exploratissimum esse constat, Sanctissimum Dominicum Praedicatorum Ordinis Fundatorem, Virum Apostolicum, Rosarii non sine Spiritus Sancti afflatu extitisse excogitatorem, repertorem, auctorem, promulgatorem, et clarissimum ubique terrarum Christiani Orbis praeconem.*

III. Rosarium esse piam orandi formam, sanctam, et utilem liquet Primo quia multis prodigiis, et miraculis confirmata fuit, ut in variis Libris narratur, et praesertim in Historiis Dominicanorum. Secundo quia multi Pontifices eam approbarunt, et Sodalitatum Rosarii erectiones permiserunt et laudarunt; imo Rosarium recitantibus, ejusdemque Rosarii Sodalitatibus Indulgentias pene innumeras concessere, ut dicitur in Breviario. Tertio quia partes, ex quibus constat, Deo gratissimae sunt. Quoad repetitionem salutationum Angelicarum, et orationis Dominicae, in re praesenti uti illo fortasse possumus argumento, quod in Tullium olim intorsit Lanctantius *De vera Sapientia* Cap. 28: *Si semel facere optimum est quanto magis saepius? Si hora prima, ergo et tota die. Si una hostia placabilis, placabiliores utique hostiae plures, quia multiplicata obsequia demerentur potius, quam offendunt. Non enim nobis odiosi videntur ii famuli, qui assidui, et frequentes ad obsequium fuerint, sed magis cari.* Quibus non absimilia tradit Hieronymus n. 10 Libri adversus Vigilantium scripti: *Quod* inquiens, *semel fecisse bonum est, non potest malum esse, si frequentius fuit.* Ipse Salvator repetitae precis visus est dedisse exemplum in horto orans: eumdem nempe sermonem ter repetivit: *Et oravit tertio eumdem sermonem* dicens apud Divum Matthaeum Cap. XXVI v. 44. Quis etiam ignorat, in Veteri Testamento non pauca exempla deprecationum extare, in quibus populus repetebat haec verba: *Quoniam in aeternum misericordia ejus*, et tres pueros ca-

nentes in Babilonicae fornacis igne laudes Domino ad singulos versiculos repetiisse: *Laudate, et superexaltate eum in saecula* apud Danielem Cap. III v. 57, 58 et seqq. Quin etiam vocem *Sanctus* a Seraphim, et quatuor animalibus Deum laudantibus saepius repetitam discimus apud Isaiam Cap. VI v. 3, et in Apocalypsi Cap. IV v. 8. Denique si animum adverterent Protestantes, manifesto conspicerent, temere nos ab iis redargui, perinde quasi dum Rosarium recitamus, ad Virginem, Christo neglecto, unice nos convertamus. An Christum negligimus, dum praecipua ejus vitae gesta percolimus, proponimusque ad imitandum.

CAPUT XIII.

DE FESTO PATROCINII ET PRAESENTATIONIS B. VIRGINIS.

I. Plurima Beatissimae Virginis obtentu, et precibus nos consequi beneficia Theologi demonstrant. Ut id testatum faciamus, utque etiam efficaciores ejusdem Virginis preces, et pium apud Filium interventum assequamur, festivitas, quam Patrocinii B. Mariae appellamus, instituta esse videtur. Eadem porro festivitas in provinciis Christiani Orbis sane non paucis celebrabatur, cum Benedictus XIII die 22 Augusti anni 1725 statuit, ut in iis quoque Provinciis, quae temporali Romani Pontificis Dominio subsunt, eadem festivitas celebraretur, ut scilicet eae Provinciae nossent, frequentibus se a Deipara locupletari beneficiis, et patrocinio defendi. Divus Thomas in Cap. VIII Epistolae ad Romanos Lectione V docet, Deiparam uberiori gratia fuisse praeditam, quam quae caeteris Sanctis obtigerit. *Unicuique* (Deus) *dat gratiam proportionatam ei, ad quod eligitur. Sicut homini Christo data est excellentissima gratia; quia ad hoc est electus, ut ejus natura in unitatem personae divinae assumeretur, et post eum habuit maximam plenitudinem gratiae B. Maria, quae ad hoc est electa, ut esset Mater Christi.* Idem S. Doctor 3. part. quaest. 25 art. 5 docet, Deiparam non solum eo quo caeteri Sancti, sed praestantiori quodam cultu colendam, qui dicitur Hyperduliae, quo neque San-

ctos, neque Angelos veneramur. Nam Beatissima Virgo Sanctos omnes sanctitate superavit, nec quisquam Deipara humilitate fuit Deo subjectior, nec amore conjuctior, nec cultui divino obsequentior. Si quis Patrum auctoritates cognoscere cupiat de potentissima Beatissimae Virginis Mariae intercessione adeat Suarez, *in tertiam partem Divi Thomae Tom. 2 quaest. 37 art. 4 disp. 23 sect. 3;* Spinellum, *De Maria Deipara* Cap. 30; Trombelli, *Mariae Sanctissimae vita ac gesta cultusque illi adhibitus* T. V *Dissertatio I et II;* Sedl-mayr, *Theologia Mariana* Liber III Cap. VIII.

II. Vigesima prima die Novembris celebratur Festivitas Praesentationis B. Virginis, qua mysterium recolimus, cum Ipsa a suis Parentibus in Templo praesentata est. Vetus est in Ecclesia Orientali haec Festivitas, quae quondam etiam Officium ejus celebrabat: nam in Constitutione Emmanuelis Imperatoris, qui regnare coepit anno 1143 apud Balsamonem in Nomo-Canone Photii tit. 7 Cap. 1 inter alias Festivitates etiam Praesentationis solemnitas numeratur. Doctissimus P. Trombelli fatetur Romanam Ecclesiam festivitatem hanc desumpsisse a Graecis: etenim in vetustis sive Martyrologiis, sive Missalibus, sive aliis quibuscunque Ecclesiasticis Latinorum Libris, qui XIV saeculum aetate superent, ea festivitas notata non est: et quamquam Meratus, aliique recentiores Usuardi Martyrologium citant, non alia tamen Usuardi exemplaria allegare possunt, nisi ea, quae additamentis posterioribus interpolata sunt. Et sane Sollerius vir diligentissimus nullum vetustum Usuardi exemplar allegat, in quo haec festivitas descripta sit. Officium hujus Festi Avenione Romano Pontifici exhibuit Philippus Mazerius Regis Cypri apud S. Sedem Orator. Quod Officium diligenti examine fuit excussum, decretumque, ut haec toto Occidente celebritas ageretur, cujus initium refertur ad annum 1374. Id ex litteris colligitur Caroli V Francorum Regis ad Magistros et scholares Universitatis Navarrae die 10 Novembris ejusdem anni, quibus Rex Festivitatis hujus narrat institutionem, omnesque ad eam quotannis celebrandam cohortatur 21 die Novembris. Hanc Festivitatem Pius II et Paulus II va-

riis Indulgentiis locupletarunt, teste Molano in Martyrologio Usuardi aucto: *Hierosolymis Praesentatio Beatae Dei Genitricis Dei Mariae, quam Pius et Paulus Pontifices Romani cum Indulgentiis instituerunt.* Idem in Historia Lombardica Cap. 84 narratur enucleatius. Bailletus in Historia hujus diei existimat, ab Ecclesia solemnitatem hanc institutam, ut honor habeatur innocentiae morum, quae inter infantiam et Annunciationem in B. Virgine enituit. Benedictus XIV existimat, B. Virginem in Templo praesentatam esse, ut ibi bene educaretur; quod in Veteri Testamento non est inauditum. Nam Lib. IV Regum Cap. II Iosaba filia regis Ioram, soror Ochoziae, ut a furore Athaliae surriperet Ochoziae filium, *abscondit eum a facie Ataliae, ut non interficeretur*, secumque sex annos habuit in Templo. *Eratque cum ea sex annis clam in Domo Domini* quod rursus narratur in Libro II Paralipom. Cap. 22.

III. Antiquissima procul dubio opinio est, Mariam a parentibus Deo oblatam fuisse in Templo, dum trina adhuc esset. Nicephorus Callixtus Lib. II Hist. Cap. III haec scriptis tradidit: *Trimula cum esset, in Templum est praesentata, ibi in Sanctis Sanctorum traduxit annos undecim.* S. Gregorius Nyssenus in Oratione *de Nativitate* tom. II edit. Paris. 1615 haec inquit: *Illam igitur* (Mariam) *cum jam grandiuscula esset, nec ubere matris amplius indigeret, ducens ad Templum Deo reddidit, et studiose promissum exsolvit.* Hanc sententiam expressissime excepit Bartholomaeus Tridentinus, haud ignobilis saeculi XIII Scriptor. Atque hanc quidem sententiam ab Ecclesiasticis viris deinceps fuisse approbatam, Martyrologia, Missalia, ac Breviaria manifesto declarant. Ut in iis consistam Martyrologiis, quae Sollerius allegat, Hagenoyense haec habet: *Praesentatio Beatae Virginis in Templum in tertio anno nativitatis suae.* Missale Romanum anno 1493 Venetiis jussu, et expensis Octaviani Scoti impressum *Sequentiam*, uti appellant, hanc habet:

Benedicta Virgo nata
Templo trina praesentata.
It ter quinis gradibus.

Hanc ipsissimam precem exhibent Breviarium Cardinalis Quignonii, aliaque multa, quae singillatim enumerare non vacat. Et hanc quidem opinionem placuisse viris praeclarissimis Petro Canisio, et Cardinali Baronio eorum scripta cuique notissima declarant.

IV. Maria Sanctissima virginitatis votum antequam Incarnationis nuncium ab Angelo accepit, revera emisit. Evangelica historia, votum, de quo disserimus, a se emissum fuisse haud obscure indicat: Patres vero apertissime id tradunt. S. Ambrosius *de Institutione Virginis* Cap. V § 35: *Egregia* inquit, *Maria quae signum sacrae virginitatis extulit, et intemeratae integritati, pium Christo vexillum erexit.* Praeclarum eadem de re S. Augustini testimonium legimus in *Libro de Sancta Virginitate* Cap. IV. *Quomodo*, inquit, *fiet istud,* quoniam virum non cognosco? *Quod profecto non diceret, nisi Deo Virginem se ante vovisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo.* Venerabilis Beda id ipsum innuit: etenim commentariis illustrans haec, de quibus agimus, Mariae verba: *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* haec tradit *in I. Lucae Caput*, ad verba haec: *Propositum suae mentis reverenter exposuit, vitam scilicet virginalem se ducere decrevisse. Quae quia prima feminarum tantae se virtuti mancipare curavit, jure singulari prae ceteris feminis beatitate meruit excellere.* Quod de Beda dixi, tu de Damasceno dicere potes: haec enim docet Oratione I. in *Dormitione* B. M. V. n. 7: *Ista Maria ob sermonem ejus turbata est, ut quae cum viris colloqui minime consueverat, eam virginitatem sedulo servare instituisset.* S. Anselmus hac in re minime deest. Etenim in meditatione IX, quae *de Christi humanitate* inscribitur, sic Christum ipsum alloquitur: *Descendisti a regali solio sublimis gloriae tuae in humilem in oculis suis puellam, primo virginalis continentiae voto sigillatam.* Sed si alios expressius virginitatis votum a Beatissima Virgine Maria editum cupis, eos statim affero. Arnoldus Abbas, *in Laudatione Mariae;* Fulbertus Carnotensis, *Sermone II de Nativitate Beatae Mariae Virginis;* Adam Praemonstratensis, *in Sermone* XVI num.; Rupertus, *de Virginitate;*

Hugo a S. Victore, *de perpetua Mariae virginitate* Cap. I.

V. Putavere, putantque non pauci celebria illa Ecclesiae verba: *Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Iesu Christo*, ita esse accipienda, ut nos doceant, nullam feminam in virginitate servanda praeivisse Mariam; commendat etenim eo in loco Ecclesia Sanctae Mariae virginitatem. Atque id quidem a Sanctis Patribus traditum, aut certe judicatum ajunt. Origenes haec scriptis prodidit in Caput XIII Matthaei ad verba illa: *Et factum est, cum consumasset Iesus*, idest ad versum 53. *Arbitror rationi consentaneum esse virilis quidem puritatis in castitate primitias fuisse Iesum, muliebris vero Mariam.* Innuit id ipsum Hieronymus his verbis Eustochii nomine prolatis in Epistola ad Eustochium: *Mihi virginitas in Maria dedicatur, et Christo.* Fuisse ab aliquibus eximiis viris in veteri Lege virginitatem servatam ultro fateor: fuisse a mulieribus in gentilitate positis etiam fateor, quamquam invita plerumque ea erat, et si ex voluntate procedens falsis numinibus dicata ea fuit, ideoque eam ob causam illaudabilis, raro etiam perpetua. Essenos extremis Reipublicae Hebraicae temporibus mulieres habuisse, quae virginitatem colerent, pariter fateor: num antiquum proferre possis ab Hebraea muliere servatae virginitatis exemplum, valde dubium censeo. Multis placet Virginem voventem facere eo ipso tempore, quo rationis usu ea praedita est. Piam esse sententiam, nec novum esse inventum docet Raynaundus *Diptyca Mariana* part. I punct. III num. 5.

CAPUT XIV.

DE FESTO CONCEPTIONIS BEATAE VIRGINIS.

I. Cultum Conceptionis Sanctissimae Virginis a Saeculo ut minimum V in Ecclesia Orientali obtinuisse ex Typico S. Sabae manifestum fit. Celebratum pariter Saeculo Octavo hoc festum fuisse, docet nos Leo Allatius § 68 *Prolegomenorum ad opera S. Ioannis Damasceni.* Claruit saeculo nono S. Petrus Argorum Episcopus,

qui Orationem exaravit in *Conceptionem S. Annae, quando concepit Sanctae Dei Genitricem*. Saeculo decimo jussu Basilii junioris conscriptum est Graecorum Menologium, in quo, quinto idus Decembris notatur: *Conceptio S. Annae, Matris Genitricis*. Emmanuel Comnenus Imperator, qui suum auspicatus est imperium anno 1143, et obiit anno 1180 in Novella apud Theodorum Balsamonem in *Observationibus ad Nomocanonem Photii*, Festa recensens, quae a populo essent observanda, ait: *Nonus dies Decembris; quia tunc Genitricis Dei nostri Conceptio celebratur*; quorum non is sensus est, ut hanc ille Festivitatem tunc institueret, sed ut veterem et multo antea institutam populus, quemadmodum caeteras de praecepto Festivitates coleret: non enim novam, sed vetustam esse hanc celebritatem testatur Georgius Episcopus Nicomediensis sub Imperio Heraclii: *non novissime institutam*. Insuper antiquitatem nostri Festi apud Graecos evidenter probat unanimis in eo celebrando consensus omnium Ecclesiarum Orientalium, omniumque Graecorum, tam Catholicorum, quam schismaticorum, et haereticorum, qui licet in multis, Officia divina concernentibus ab invicem plurimum discrepent, in hoc tamen unanimiter omnes conveniunt. Si ad Latinos sermonem convertas, S. Ildephonsus Toletanus rebus in Episcopatu gestis, sanctitate et scriptis celebratissimus, quique saeculo VII vixit hujusce festivitatis auctor fuisse putatur. Id sane tradit Trithemius in Libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, cave vero putes, haec tantummodo a Trithemio fuisse tradita. Haec sane occurrunt in celebratissimo Opere, quod P. Martene vir praeclarissimus *de antiquis Ecclesiae ritibus* inscribit, quae hic describamus oportet: *VI idus Lib.* IV *Cap. 30 num. 12* col. 558 T. III Decembris *celebramus Immaculatae Virginis Conceptionis festivitatem, cujus prima institutio S. Ildephonso Episcopo referenda videtur*. Salazar *de Conceptione B. Virginis* Cap. 35 num. 53 et cum Bernardino Busto facit auctorem Gondisalvum Episcopum Tholosanum, qui paulo post Ildephonsum vixit ann. 800. Alii porro Fridericum Aquilejensem Antistitem Idelphonso substituunt, is est Pelbartus a Temeswar in opere cui titulus: *Stellarium Lib. IV part. I*

art. I. Extat enim vetus marmoreum Neapolitanae Ecclesiae Kalendarium, quod digestum esse saeculo Ecclesiae IX Alexius Symmachus Mazochius, qui eruditissimum de illo edidit commentarium, luculenter ostendit. At in ejusmodi Kalendario ad diem IX decembris, more Graecorum, haec habentur inscripta: *Conceptio Sanctae Mariae Virginis.* Iure igitur meritoque Iosephus Simonius Assemanius inde concludit: *Neapolitani in Italia, ante Gallos et Anglos, sanctissimae Deiparae Immaculatae Conceptae cultum a Graecis, ut videtur, acceptum deferunt.* In Casinensi Archicoenobio saltem ejusdem commemorationem peractam Saeculo X, pulchre ostendit Federici ex Kalendario manuscripto Basilicae Casinensis, in opere cui titulus: *La Immacolata Concezione della B. Vergine Maria comprovata ai sentimenti de'Padri.*

II. Circa finem saeculi Undecimi, Sanctus Anselmus, Cantuariensis Archiepiscopus, *Coepiscopis suis, et omnibus B. M. mysteria colentibus* epistolam scripsit *de Conceptione Beatae Mariae*, in qua, ut eos, ad istius Mysterii Festum recolendum, induceret, revelationem narrat, coelitus Elsino factam, seu Elphino, Monasterii Ramesiensis Abbati, in mari cum sociis periclitanti, dum in Angliam rediret e Dania. In hac autem revelatione dicto Abbati fuit iniunctum, ut diem Conceptionis, et *Creationis Matris Domini Iesu Christi solemniter*, die octava Decembris celebraret, ac celebrandum aliis praedicaret. PP. Gabriel Gerberon, et Natalis Alexander hanc Anselmi Epistolam, ipsamque revelationis historiam commentitiam esse contendunt. Sed objectiones eorum adaequate refellere videtur P. Plazza. Sancti Bernardi aetate, qui mortuus est anno 1155 Festum Conceptionis nondum erat in Romanam Ecclesiam invectum. Ille enim, in sua Epistola 174, Canonicos Lugdunenses acriter repraehendit, quod in suam Ecclesiam hoc Festum induxerint, nullo Ecclesiae Romane exemplo praeeunte.

III. Conceptionem B. M. saeculo XIII fuisse solemni festivitate cultam, haec Bartholomaei Tridentini verba declarant: *Conceptio*, inquit (*Vitae et Actus Sanctorum* Cap. 6) *Matris Dei a plerisque solemniter celebratur*:

sicut ipse praesens, *Romana Curia non inhibente*, *in Cathedrali Ecclesia Anagniae fieri vidi*. At in ipsa Romana Urbe jamdudum festivitatem hanc fuisse celebratam, ex Ioanne de Bachone perspicue assequimur. Haec ille scribit: *Publica* (*in IV Sentent. distinct.* 2 *quaest. IV* art. 3) *et diuturna consuetudine celebratum est hoc Festum in Curia Romana*. Aliis quoque in locis ac provinciis eam festivitatem, antequam etiam Sixtus IV Romanus Pontifex eligeretur, ex consuetudine multarum Ecclesiarum celebrari. Postquam vero Sixtus IV Officium a Nogarolo compositum approbavit, concessisque indulgentiis, ad illud recitandum fideles invitavit, crevit maxime in eo celebrando fidelium conspiratio ac consensus. Ceterum insequuti Pontifices omnia eximio studio adhibuerunt, quibus Conceptae Deiparae cultum Sixti auctoritate ac religione stabilitum, splendidius ornarent, pleniusque communirent. Innocentius VIII Constitutione *Inter innumera* pridie Kalendas Maij 1489 Beatrici de Silva concessit, ut unum monasterium erigeret *in honorem Conceptionis Beatae Mariae Virginis*, ejusque Monialibus praecepit, ut omnibus diebus per annum festis non impeditis, horas Canonicas majores de *Conceptione* recitarent. Leo X Festum Conceptionis novis auxit ornamentis. Hadrianus VI Constitutione *Romanus Pontifex* Confraternitatem Toletanam appellatione Conceptionis a Francisco Ximenio Cardinali et Toletano Praesule erectam sua auctoritate firmavit. Pium V auctorem amplificati illustratique cultus Conceptae Deiparae veneramur. Clemens VIII Officium ad ritum duplicis majoris sustulit. Clemens IX Octavam addidit; et Clemens XI ad Conceptionis Mariae venerationem et cultum amplificandum voluit, hanc festivitatem ex iis esse, quae in tota universali Ecclesia de praecepto celebrarentur, ut videre est in Constitutione 40 ejus Bullarii pag. 90. Benedictus XIV decrevit ut die VIII Decembris Deiparae Conceptioni sacra Cappella Pontificia in Liberiana Basilica haberetur. Eadem mens fuit reliquis Pontificibus. Pius VI voluit, ut centum Indulgentiarum dies lucrarentur qui devote hasce preces recitarent: *In Conceptione tua, Virgo Maria, Immaculata fuisti:* et *Be-*

nedicta sit sancta et Immaculata Conceptio Beatae Mariae Virginis: et Franciscanis concessit ut in Missa diceretur *et te in Conceptione Immaculata.* Gregorius XVI disposuit ut in Missae Praefatione diceretur: *Et te in Conceptione Immaculata ;* et in Litaniis Lauretanis *Regina sine labe originali concepta.* Beatissimus Pontifex Pius IX Gregorii XVI Decreta confirmavit, Deiparam sine labe peccati originalis conceptam fecisse dogmatica definitione die VIII Dec. 1854 sancivit et propria manu adprobavit Officium integre proprium cum Missa in die Festi et per Octavam.

CAPUT XV.

DE FESTO TRANSLATIONIS SANCTAE DOMUS LAURETANAE.

I. Die decima Decembris Festum celebratur Translationis Sanctae Domus Lauretanae. De ea meminit Martyrologium Romanum ad eumdem diem 10 Decembris: *Laureti in Piceno Translatio sacrae Domus Dei Genitricis Mariae, in qua Verbum Caro factum est.* Sub Innocentio Papa XII actum fuit de concessione Officii, et Missae propriae pro universa Piceni Provincia, cum antea celebraretur in eadem Provincia sine Lectionibus propriis. Secundae autem Lectiones Officii proprii subinde concessi desumptae sunt ex Sermone Sancti Bernardi Abbatis. Missa propria et Officium ad alias provincias extensum fuit. Extat Laureti, quod parva urbs et italica in Piceni regione, nunc *Marchia Anconitana* appellata, ad mare Adriaticum: illuc enim ab Angelis translata est. Hujus translationis Historia sic perhibetur : anno 1291 occupata Terrasancta a Seraphio Aegypti Sultano, Angeli sacram illam domum a fundamentis avulsam Tersactum, Dalmatiae oppidum, detulerunt, et super collem prope litus maris Adriatici deposuerunt, Nicolao IV in Cathedra S. Petri sedente. Inde vero anno 1294 sub Coelestino V in Picenum delata fuit, ibique stationem elegit, et deinceps appellata

est *Domus Lauretana*, et urbs *Lauretum* a quadam muliere nomine *Laureta* cujus erat fundus, in quo constitit sacra domus. Translationem hanc conati sunt prae caeteris Novatoribus oppugnare Vergerius, *in Idolo Mariano*, Thomas Bernegerus, Basnagius, et Illyricus. At isti omnes refutantur a Hieronymo Angelita, *in Historia Lauretana;* a Canisio, Lib. V *de Deipara* Cap. XXV; a Tursellino, Lib. I *Historiae Lauretanae*; a Reira, *Historia almae domus Lauretanae*; ab Honorato a S. Maria, *Animadversiones in usum et regulas Criticos* Lib. III Diss. I; a Benedicto XIV, *Lib. IV de Canonizatione Sanctorum* p. 2. Cap. X; *et Lib. II de Festis* Cap. XVI; a Iacobo Gretsero, Lib. *de sacris Peregrinationibus* Cap. 3. a Trombelli, *Mariae Sanctissimae vita ac gesta cultusque illi adhibitus Tom. VI Dissertatio XXIV Caput I* et seqq. et ab aliis. Quod Aedes Lauretana ea sit, in qua Beatissima Virgo nata est, et in qua ab Angelo salutata Salvatorem mundi de Spiritu Sancto concepit, dubitari non potest, uti desumitur ex Litteris Apostolicis Pauli II expeditis anno 1471, et ex Apostolicis Litteris Iulii II expeditis anno 1507, ex Apostolicis Litteris Leonis X expeditis anno 1519, ex Apostolicis Litteris Pauli III expeditis anno 1535. Quod autem attinet ad celeberrimam totius Orbis venerationem, et continuam miraculorum virtutem, notissima res est nulla indigens probatione. Tursellinus in *Historia Sanctae Domus Lauretanae* Lib. I Cap. 2 tradit illam a primis Christianis in Ecclesiam fuisse conversam, et in eo statu ab Angelis mirifice fuisse translatam.

II. Placet aliqua monumenta ex laudatis Catholicis Scriptoribus deprompta afferre, quibus translatio sanctae Domus ostenditur. Leander Albertus qui non modicam ex Italiae descriptione laudem sibi comparavit, apertissime sacram hanc domum, eam ipsam affirmat, in qua orta Deipara fuit, in qua pariter Angelicum Incarnationis nuncium excepit. Beatus Ioannes Fesulanus de inclito Dominicanorum Ordine quem merito Angelicum Pictorem vulgus appellabat, iconem coloribus expressit, in qua Angeli sacram Nazarethis aedem in aere sustinent. Ejusdem sacrae Aedis tecto insidet Virgo brachio Puerum Iesum sustinens. Flavius Blon-

dus sub initium saeculi XV litterarum laude valde nobilis, in *Italiae Descriptione Regione* V hoc sacrae Lauretanae aedi testimonium praebet. Baptista Mantuanus ab omnibus de argumento hoc disserentibus merito profertur testis: etenim et translationem a Nazareth, et moram in Illyrio, et sedem, ut ita loquamur, ab hac sacra aede in agro Lauretano positam, et peregrinos huc advenientes et mirabiles morborum curationes, et daemones ex corporibus, quae obsidebant, expulsos, aliaque miracula in ea aede describit in suis versibus. Quaresmius in *Historia Terrae Sanctae* id ipsum affirmat, Praeses is quoque, et Terrae Sanctae Commissarius: *In poenam*, inquit, *iniquorum hominum desolatum hoc illustrissimum Templum Annunciationis B. Virginis et sacra Aedes inde mirabiliter sublata est, et ad oras Fidelium translata*. Canisium hujus opinionis defensorem quis esse denegabit, postquam ea legerit, quae hoc de argumento ille scripsit? Adeo vero de translatione sacrae hujus preclarae aedis meritus is est, ut ad eum Magnus Baronius lectorem rejiciat. Roestium quis ignorat praestantissimum ejusdem translationis vindicem? Consulat Lector, quae is scripsit *in Apologia pro Deiparae Virginis Mariae Camera*. Idem dic de Tursellino, ad cujus *Lauretanam Historiam* Spondanus aliique egregii viri Lectorem amandant. Rutilium Benzonium, Ludovicum Cento-florinum in eamdem rem allegant praestantes viri. Idem pariter dic de Petra Sancta, cujus in rem hanc auctoritatem affert doctissimus Benedictus XIV, tomum tertium allegans *Miraculorum perpetuorum Ecclesiae Catholicae*. Baronius Vir summi nominis quantum translationi, de qua agimus, faveat, monita haec declarant: *Porro domus* (*ad annum Domini IX* § I) *illa, in qua de Verbi Incarnatione SS. Virgo coeleste accepit nuntium, adhuc magno miraculo non tantum integra perseverat, sed Angelorum ministerio ab infidelium manibus vindicata, in Dalmatiam primum, inde in Italiam translata est in agrum Lauretanum Piceni provinciae; quod perinsigne, ac nobilissimum vetustatis monumentum totus christianus orbis veneratur ac colit*. Imitatur, quod saepe solet Baronium Spondanus: etenim in *Continuatione Baronii ad*

annum 1291 n. 22 praeclarum testimonium de adventu sanctae Nazarenae domus in Italiam praebet. Summo in honore apud Theologos Theophilus Raynaudus est. Is in *Antemurali adversus fortia ingentia* pag. 144, et seqq. Tomi VIII pro sententia quam asserimus, fortiter dimicat, eaque de causa non levem assecutus est laudem. Inter Bollandi consectatores imitatoresque, est procul dubio recensendus Ioannes Stiltingus, qui in re, de qua agimus, quid censeat, manifesto docuit, dum haec scriptis prodidit *ad diem XXV Augusti in annotatis ad n. 38 littera* g. pag. 551: *Porro cum ibi* (Nazareth) *fuit S. Ludovicus, aedes sacra nondum translata erat, de cujus in Dalmatia primum, deindeque Lauretum translatione fuse disputat Quaresmius.* Baillet porro ad *XV Augusti diem* de Lauretana Basilica sermonem habens, deque peregrinatione ab universi Christiani Orbis Provinciis ad eam suscepta, nihil adjicit, quod in his reprehendat: immo contra approbat ea quae de hoc argumento egregius Tursellinus tradidit. His adjiciendus est Graveson *De Vita, et Mysteriis Christi* Tom. I Diss. 2 etenim de Translatione sacrae Domus, in qua conceptus est Christus, sermonem habens, narrationem, quae eamdem translationem describit appellat *rem omnium litteris, et constanti fama comprobatam, Summorum Pontificum decretis confirmatam, confluentium populorum numero longe lateque celebratam, sanctitate loci, et frequentia miraculorum luce clarius manifestatam.*

III. Historicorum agmini commode adjungimus eos, qui itineraria, aut regionum descriptiones confecerunt. Hi porro multum eam juvant causam, pro qua certamus. Nimirum eam, de qua agimus, translationem edocemur a P. Philippo a S. Trinitate, *Viaggi Orientali tradotti in Lingua italiana*; a P. Stephano Mondegazo, *Relazione del Viaggio di Gerusalemme* Lib. I Cap. 65; ab Ioanne Zuallando, *Viaggio in Gerusalemme*; ab Aquilante Rocchetta, *Peregrinazione di Terra Santa*; ab Equite Bremond, *Viaggio di Egitto*; quos merito allegat piissimus Montanus. Quamquam porro Ioannes Georgius Trissinus poetarum libertate usus, fabulas inserat theologicae serietati non tolerandas, eam tamen traditionem, de qua contendimus, apertis-

sime declarat, dum hanc in Poemate, quod inscripsit: *Italia liberata da'Goti* exponit, ideoque hic omnino recenseri meretur. Quod si poetas minus antiquos ad traditionem hanc asserendam non spernimus, Vincentii Nolfi poema adducere hic possumus, quod inscripsit: *Della Santa Casa di Loreto.* His constitutis quis non fateatur consensisse nationes omnes in approbanda Nazarenae domus translatione? Hi sane quos nuper attulimus, non ex eadem natione sunt: non Itali modo, sed ex aliis quoque Provinciis acciti sunt. Ex variis quoque Provinciis ad Lauretanam Aedem venerandam Peregrini veniunt, ea persuasione ducti, quod ibi Nazarenam ipsam Aedem osculentur et colant. Merito itaque praeclari viri in approbanda hac, quam asserimus, Translationem totum Christianum Orbem, Romana favente Ecclesia, conspirasse affirmarunt: quis enim favere huic opinioni Romanam Ecclesiam neget, quandoquidem id apertissime nos docet Festivitas peculiari Missa et Officio approbata, tributa eidem Festivitati X Decembris die: qua die creditur Sacra Aedes Lauretum translata? Miracula porro, et plurima, et maxima in eadem sacra Aede fieri, indubitata res est, idque compertissimum effecerunt ea, quae scriptis prodidit eximius scriptor Tursellinus: atque adeo diu ante eum Pius II, Blondus, et Baptista Mantuanus, aliique etiam. An porro hujusce, ut ita appellemus, extraordinariae divinae beneficentiae, et largitatis, et Virginis erga eamdem aedem dilectionis et bonitatis aliam afferemus causam, praeter hanc, quod aedes ea acceptissima propterea Deo, et Virgini est; quod in illa carnem sumens Dominus, in ea etiam ceperit beneficentior hominibus apparere? Cur autem sacro horrore percellimur, quum eamdem Aedem ingredimur, nisi quod omnium maximi beneficii, Incarnationis scilicet, in eadem Aede peractae et ineffabilis mysterii causa nostri completi memoria nos subit, ideoque nos etiam subit eximiorum beneficiorum recordatio? An non id sacrum quemdam horrorem nobis merito ingerit? Sed ad rem audiatur Tursellinus Lib. II Cap. 6: *Cum nuper venissem ad sacratissimae Virginis Mariae sanctum domicilium, vidissemque qualia, et quanta Deus ostendit in eo loco miracula, et*

suae virtutis, atque clementiae signa manifestissima, me subito horror invasit, et visus sum audire vocem Domini loquentis ad Mosen: Non appropinques huc, solve calceamenta tua de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est.

CAPUT XVI.

DE FESTO EXPECTATIONIS PARTUS.

I. In Hispaniarum Ecclesiis ex Decreto Concilii Toletani VII Festum Annunciationis non 25 Martii, sed 18 Decembris die celebrari consuevit; cujus Decreti ea ratio fuit, quod 25 Martii dies plerumque in Quadragesimam, vel in Paschalia solemnia incideret, cum nullam Sanctorum celebritatem peragere licebat. Sed Romanae Ecclesiae constans et perpetua fuit consuetudo Annuntiationem Beatissimae Virginis celebrandi die vigesima quinta Martii: nunc vero illud adjicere huc oportet, Hispaniae Ecclesias temporibus, quae consequuta sunt, ad Romanae morem Ecclesiae se conformasse, et eam festivitatem die vigesima quinta Martii coepisse peragere; substituta in ejus locum hac celebritate de Expectatione Partus ad diem 18 Decembris, quam a Gregorio XIII approbatam esse, ex litteris ejus Apostolicis anni 1573 constat. Haec Solemnitas in Hispania Festivitas appellatur B. Mariae de O, teste Garzia Loaisa in Notis ad Toletanum saeculi VII Concilium T. 6 Collectionis Labbeanae. Cujus nominis origo ducta ab antiphonis, quae per adverbium O incipiunt, quarum prima dicitur in Vesperis Vigiliae hujus Festi. Celeberrimam habent multis quidem de causis Festivitatem hanc Hispani, sed ex eo praesertim, quia hac ipsa die donatum fuisse ajunt candidissima veste a Deipara ipsa Ildephonsum. Vide Breviarium Toletanum, et Politum *de Ecclesiae Toletanae Officiis ordinandis*. Hispaniarum Ecclesias pietatem imitata est deinceps Venetorum Respublica: poposcit enim, atque impetravit a sacra Rituum Congregatione, ut Civitas ipsa Venetiarum, et Provinciae universae Venetorum ditioni subjectae *Expectationem virginei partus* peculiari festivi-

tate colerent, ideoque Officium et Missam huic solemnitati convenientem celebrarent: idque etiam aliae Ecclesiae deinceps obtinuere. Eandem facultatem Provinciis omnibus temporali Romanae Ecclesiae dominio subjectis peculiari Decreto die XXII Augusti anni 1725 lato impertiit Benedictus XIII.

CAPUT XVII.

DE COMMEMORATIONE OMNIUM SANCTORUM DIE PRIMA NOVEMBRIS, ET DE COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM DIE SECUNDA NOVEMBRIS.

I. Celebratur die prima Novembris festiva Omnium Sanctorum Commemoratio. Cum Romae adhuc extaret celebre Pantheon, extructum a Marco Agrippa sub Imperio Augusti, Pontifex Bonifacius IV ipsum solemniter dicavit Sanctissimae Virgini Deiparae, et omnibus Sanctis Martyribus, et Confessoribus, et illius jussu illuc traslata fuerunt octo supra viginti conferta plaustra Ossium Sanctorum Martyrum, quae divisa erant, et jacebant in variis Romae Coemeteriis. Hoc fuit exordium Solemnitatis Omnium Sanctorum, quae celebrabatur Romae die 13 Maji, cum illa ipsa die dedicatum fuisset Templum Sanctae Mariae ad Martyres, uti observat Cardinalis Baronius in *Notis ad Martyrologium Romanum* hac die, cui consentit Thomassinus *de dierum Festorum celebratione* Lib. II Cap. 21 num. 3 et 4. Unde Sigebertus ad annum 835 loquens de hac Solemnitate, sic scripsit: *Quam Romani ex instituto Bonifacii Papae celebrant.* Haec ipsa Solemnitas Omnium Sanctorum Ecclesiae Romanae propria fuit, deinde ad Ecclesiam universam propagata, ut aliqui opinantur, a Gregorio III seu ut alii, a Gregorio IV. Prima opinio est Edmundi Martene, *de antiqua Ecclesiae Disciplina in divinis celebrandis Officiis.* Cap. XXXIV num. 26; Menardi, *in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii*, pag. 184.; Pagii Iunioris, in Vita Gregorii num. 9. Secunda opinio est Cardinalis Baronii, in *notis ad Martyrologium Romanum prima die Novembris;* Florentinii, *in Notis ad suum Martyrologium eodem die;* et Sollerius, *in Notis*

ad Martyrologium Usuardi. Concludendum itaque, Festum omnium sanctorum fuisse institutum a Bonifacio Quarto, ad universalem Ecclesiam propagatum a Gregorio Tertio, translatum vero a die 13 Maji ad primam diem Novembris a Gregorio Quarto. Non deest tamen, qui censeat, Festum omnium Sanctorum praecessisse tempus Bonifacii Quarti, cum in Kalendario antiquiori legatur *in Octava Domini ad Sanctam Mariam ad Martyres*, et in Sacramentario Sancti Gregorii die 14 Maji: *Dedicatio Ecclesiae Sanctae Mariae ad Martyres*; sed eruditissimus scriptor P. Meratus in suo Opere, seu Commentario in Gavantum T. II part. I sect. 7 Cap. 13 asserit, et efficaciter probat, non esse deserendam communem opinionem, iuxta quam Bonifacius IV hujus Festi habetur Institutor.

II. Secunda die Novembris habetur Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum. Galesinius *in Notis ad Martyrologium* asserit, hanc Commemorationem suum habuisse exordium a tempore Apostolorum. Sed est mera aequivocatio, nam certum est, a Traditione Apostolica derivari Ecclesiae consuetudinem orandi pro Defunctis, cujus rei in Sacris Paginis utriusque Testamenti clarissima habemus documenta; sed nihil neque certum, neque conjecturale habemus, quo suadeatur ab Apostolis fuisse institutum, ut feria ac determinata die ab Ecclesia fieret Omnium Fidelium Defunctorum Commemoratio. Alii institutionem hujus Commemorationis post Omnium Sanctorum Festum referunt ad Bonifacium IV. Ita scripsit Petrus Esquilinus Lib. X Cap. I cui suscribit Theophylus Raynaudus *T. XV suorum Operum* pag. 342. S. Odilo Abbas obiit anno 1048 ut bene observat Longueval in sua *Historia Ecclesiae Gallicanae* T. VII pag. 303. Illius vita conscripta fuit a Beato Petro Damiani, et inserta ejusdem Operibus, fuit etiam transcripta a Bollando T. I Mensis Ianuarii, et in ipsa sic habetur: *Venerabilis Odilo per omnia Monasteria sua constituit generale Decretum, ut sicut primo die mensis Novembris juxta universalis Ecclesiae regulam Omnium Sanctorum Solemnitas agitur, ita sequenti die in psalmis, et eleemosynis, et praecipue Missarum solemnis Omnium in Christo quiescentibus memoria ce-*

lebretur. Quare inter antiquiores Consuetudines Monasterii Cluniacensis Cap. 42 Tom. I *Spicilegii* Lucae Achery sic scriptum reperitur : *Hoc enim decretum est a Patre Odilone, ut sicut in priore die Commemoratio fieri solet Omnium Sanctorum; sic in sequenti Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum.* Insistendo his documentis, videtur dici posse tribuendam esse Sancto Abbati Odiloni institutionem Commemorationis Omnium fidelium Defunctorum 2 die Novembris post Festum Omnium Sanctorum. Sed cum Amalarius Fortunatus, qui ducentos annos ante S. Odilonem vixit, sic scriptum reliquerit in suo Libro *de Ordinatione Antiphonarii* Cap. 65 *post Officium Sanctorum inserui Officium pro mortuis ; multi enim transierunt de praesenti saeculo, qui non illico Sanctis conjunguntur, pro quibus solito more Officium agitur*, concludendum videtur, Sanctum Abbatem Odilonem ab Amalario exemplar accepisse generalis hujus Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum 2 die Novembris post Festum Omnium Sanctorum , eamque praescripsisse omnibus suis Monasteriis; et inde factum esse, ut Romani Pontifices eam ad Ecclesiam universum propagaverint.

CAPUT XVIII.

DE FESTO DEDICATIONIS ECCLESIAE.

I. Ecclesiae Dedicatio inter Festa propria primo loco recensetur, tum quia est veluti Natalis dies cujuslibet Ecclesiae , ut ait S. Leo *Sermone de Machabaeis*. Dedicatio autem Ecclesiae est ipsamet Consecratio facta ab Episcopo solemni ritu , qui in Pontificali praescribitur. Duplex itaque est Dedicationis Ecclesiae Festum, alterum , quod semel tantum fit, eo videlicet die, quo ipsa Ecclesia dedicatur ; alterum vero , quod singulis deinceps annis , eodem ipso die recurrente peragitur, et hic dicitur anniversarius dies Dedicationis. Perquirenti initium celebrandi Anniversarium diem Dedicationis Ecclesiae , seu, ut loquuntur Libri Ecclesiastici Natalis *Ecclesiae* , quatuor occurrunt monumenta, quibus illud innotescere potest, videlicet primo : Sacramentarii

Libri Ecclesiarum, quibus adnumeranda etiam Kalendaria, Capitularia Evangeliorum, et similia. Secundo Martyrologia cum Menologiis, et aliis Libris enunciantibus Festa per annum. Tertio Lapides, seu Epigraphae, Notitiae etiam ac Diplomata, in quibus descripta habetur Ecclesiae alicujus Dedicatio. Quarto demum Scriptorum testimonia genuinis eorum Libris consignata. In prima Classe documentorum conflata ex Sacramentariis, Kalendariis, et Libris Ritualibus haec reperiuntur ad astruendum istud annuum Festum. Martenius T. V *Anecdotorum* profert vetustum Kalendarium, quo exaratum putat saeculo IV in quo ad diem 13 Maji adnotatur annuum Festum: *Dedicationis S. Mariae ad Martyres.* In Sacramentario Leoniano habetur adnotatum duplex Festum Anniversarium Dedicationis. Primum post Festa Paschae Basilicae cujusdam in honorem Sancti Petri, alterum Anniversarium Festum in eodem Sacramentario Leoniano habetur ultima die septembris apud Muratorium Tom. I *Liturgiae* pag. 407 *Pridie Kalendas Octobris Natale Basilicae Angeli in Salaria.* In Sacramentario Gregoriano apud eumdem Muratorium Tom. 2 ad diem 29 Septembris pag. 125 adnotatur: *Dedicatio Basilicae S. Angeli Michaelis.* Idipsum constat ex Martyrologiis. Anniversarium Dedicationis S. Mariae ad Martyres habetur in Martyrologio Bedae, in Romano Parvo, et in genuino Usuardi. Circa Inscriptiones, notandum est, antiquissimum esse morem diem Dedicationum Ecclesiarum lapidibus insculpere, ad memoriam scilicet, et ad recolendum Anniversarium Festum earumdem, uti patet ex innumeris monumentis.

II. Jam ad Scriptorum testimonia convertamur ad astruendum annuum Festum Consecrationis Ecclesiae. Apud S. Augustinum Tom. 5 part. 2 PP. Maurinorum Edit. Venet. habentur plures Sermones de Dedicatione Ecclesiae. Tempore S. Gregorii I qui obiit anno 604 ubique in Occidente celebrantur annui Natales Ecclesiarum dies, patet ex Epistola 71 ad Mellitum Episcopum properantem ad Angelos apud PP. Maurinos Tom. 2. Lib. II Epistola 76. Usum peragendi *Anniversaria* antiquis Christianis valde familiarem fuisse, vel ad agen-

das Deo gratias pro beneficio aliquo, vel in memoriam Defunctorum legimus. De Ecclesiae Dedicatione fit officium, et omnino idem tam in ipsa die, in qua consecratur, quam quotannis in die anniversaria Dedicationis, in utroque casu primae Classis cum octava, ut constat ex Breviario, ita tamen, ut in ipso die Dedicationis dicatur Oratio: *Deus qui invisibiliter* in Anniversario dicatur alia videlicet: *Deus qui nobis*. Quando in officio Dedicationis alicujus Ecclesiae habetur aliquod de proprio, illud retinendum, et caetera de Communi supplenda, puta pro Dedicatione Basilicae SS. Salvatoris, et Basilicarum SS. Apostolorum Petri et Pauli. Rursus aliquando contigit nihil esse sumendum de Communi Officii Dedicationis, quando nempe pro Festo Dedicationis fit officium de Titulari, et casus datur in Dedicatione S. Mariae ad Nives, et in Dedicatione S. Michaelis Archangeli, in quibus Festis nihil sumitur de officio Dedicationis.

III. Si contingat dedicari Ecclesiam in aliquo Festo ex solemnioribus, tunc ne quotannis occurrentia duo Festa se invicem impediant, potest Consecrator decernere alium diem ad celebrandum anniversarium Festum Dedicationis ejusdem Ecclesiae a se consecratae. Nomine autem Festorum solemniorum veniunt profecto hi dies, quibus interdicitur a Rubricis cujuscunque Festi celebratio. Extra actum Consecrationis non potest amplius mutari Festum, inconsulta Sancta sede Apostolica. Praeter propriae Ecclesiae Dedicationem, celebrari quoque debet anniversaria Dedicatio Ecclesiae Cathedralis, in Civitate quidem cum Octava, in Dioecesi sine Octava ex Decreto S. R. C. 2 Maji 1619. Officium Dedicationis est Duplex majus, apud Durandum Lib. VII Cap. 1 cum Octava ubi et indicat Officium, quo nunc utimur. Pius V mutavit Lectiones primi Nocturni, ut essent de Scriptura, juxta regulam antiquam Romanam, ex Radulpho Prop. II additque Lectiones varias pro tota Octava et Orationem propriam pro ipso die Dedicationis, atque ex hac Octava, cum Lectionibus unicuique diei assignatis, colligitur ejusdem Festi excellentia, et dignitas. De origine, rituque dedicandi, et consecrandi Ecclesias, nec non de modo celebrandi tam

ipsum Festum Dedicationis, quam diem ejus anniversarium, erudite disserunt Castaldus, Lib. II Sect. 13 Cap. 4; Gavantus, Tom. 1 part. 4 Tit. 16 num. 9; Tobias Corona, part. 1 Cap. 7. Rursus super eadem re eruditiones varias afferunt Joannes Clericatus, in *Decisionibus de Missae Sacrificio dec. 41;* et Bissus, V *Dedicatio Ecclesiae* num. 51; ubi ostendit Festum Dedicationis Ecclesiae celebrandum esse, sumpto exemplo a Christo Domino, et ex auctoritate Apostolica.

LIBER UNDECIMUS

DE SACRIS ALTARIS MINISTRORUM INDUMENTIS, ET DE VASIS SACRIS.

I. Prima vestis, quam Sacerdos sumit (1), est Amictus, qui primum capiti, deinde humeris injicitur. Varia ei nomina tribuuntur; *Humerale* vocatur, et per analogiam ad legalium sacerdotum indumenta *Ephod*. In Ordine Romano *Ambolagium*, rectius autem *Anabolagium*, sive *Anaboladium* nuncupatur. Ἀναβολὴ anabole enim graece idem est, ac latine *Amictus*. Eadem voce utitur Ambrosius Lib. *de Benedictionibus Patriarcharum*. Petrus Le-Brun Tom. I *Explicatio Missae* observat Amictum seqüiori aevo in plerisque Ecclesiis tanquam ornatum poenitentiali sacco suffectum consideratum fuisse. Et quidem id videntur indicare, quae

(1) Durandus, *de Ritibus Ecclesiae Catholicae;* Vicecomes, *de Missae apparatu*, *Lib. II* Cap. 3; Saussajus, *Panoplia Sacerdotalis*, *Lib. I pag. 1 et seqq.;* Bellotte, *Observationes ad Ritus Ecclesiae Laudunensis*, pag. 240 et seqq; Bocquillot, *Traitè historique de la Liturgie*, Cap. VII num. 4 et seqq; Bona, *Rerum Liturgicarum*, Lib. I Cap. XXIV et seqq; Catalano, *Prolegomena in Pontificale Romanum*, Cap. X et seqq; Georgi *Liturgia Romani Pontificis*, *Liber I Cap. XVI* et Liber II Cap. 2 et seqq; Macri, Hierolexicon; Ducange, *Glossarium mediae et infimae Latinitatis;* Zaccaria, *Onomasticum Rituale;* Benedictus XIV, *de Sacrosancto Missae Sacrificio*, Liber I Caput I et seqq;

leguntur in Missa Illyrici : *cum* (Sacerdos) *se exuerit quotidianis vestibus*, *dicat* : *conscinde Domine saccum meum*, *et circumda me laetitia salutari*. Amictus insuper, destinatus ad significandum primo deposito poenitentiae sacco succedere gaudium, et laetitiam. Secundo Amictus velut spiritualis galea capiti imposita respicitur ad propulsandos diabolicos incursus, ita in Missali Romano ait Sacerdos Amictum induceus : *impone Domine capiti meo galeam salutis ad expugnandos omnes diabolicos incursus:* idque apposite juxta Apostoli monitum ad Ephesios Caput VI v. 11: *Induite vos armaturam Dei*, *ut possitis stare adversus insidias Diaboli:* et vers. 16 ac 17: *In omnibus sumentes scutum Fidei*, *ut possitis omnia tela nequissimi extinguere*, *et galeam salutis assumite:* figuratae procul dubio, ac symbolicae sunt apud Apostolum voces istae *armatura*, *scutum*, *galea*, quibus vim animi, robur, ac firmitatem designat ad omnes daemonis impetus repellendos necessariam. Per Amictum praeterea symbolice sacri admonentur Ministri, ut ponant ori suo custodiam, ac voce sua potissimum utantur ad sacra pertractanda Mysteria, divinasque laudes decantandas, quem finem apprime exponit oratio, quae in antiquo Missali Cameracensi an. 1527 et 1542 apud Petrum Le-Brun Tom. I pag. 44 refertur recitanda a Sacerdote his verbis: *ad Amictum*, *per quem admonetur castigatio vocis:* dicat: *castiget et moderetur vocem meam custodia tua*. *Deus ut non delinquam in lingua mea*, *sed loqui merear*, *quae tibi sunt accepta*. Pariter in Missali Sancti Martini Fornacensis Saeculo XIII haec legitur Oratio: *Pone Domine custodiam ori meo etc.*

II. In Ecclesia Occidentali praeter Ambrosianos ex Missa jussu Sancti Caroli anno 1560 edita, ubi post Cingulum Amictus sumi praecipitur ; id etiam in usu adhuc est apud Canonicos Lugdunenses. In Orientali id adhuc et Maronitae observant, et quondam Graeci, qui nunc non amplius utuntur Amictu. Sane quod antiquitus vigeret usus Amictum accipiendi post Albam, colligitur ex Ordine Romano V ex vulgatis a Mabillonio *Musei Italici* Tomus II. Missale item plenarium Vaticanum annorum supra 700 quod refert doctissimus

Dominicus Georgius, praescribit pariter Amictum sumendum post Albam, et Cingulum, adjecta peculiari oratione. Verum Missale Vallicellianum Romanum Saeculi XI accipiendum Amictum ante Albam indicat; quare inde dignoscitur ante id temporis in Romana Ecclesia hunc morem invaluisse Amictum sumendi ante Albam, et aliam quamcumque vestem sacerdotalem. Sunt quidam, qui Amictui ex holoserico, vel aurea textura plagulam assuunt colori, et opificio Casulae, sive Stolae consimilem; sed hujus assumenti nullum vestigium reperit apud antiquos Scriptores Cardinalis Bona. Amictum quidem in medio Cruce insignitum esse, et ex veteri more institutum docet Ioseph Vicecomes *de Missae apparatu* Lib. I Cap. 14. Nil porro frequentius apud Anastasium, aliosque Ecclesiasticarum rerum, Scriptores, quam veteres stauraceae, idest signo Crucis variegatae, Sacerdos sibi Amictum imponens osculari eum debet in medio, ubi est formata Crux. Solebant antiqui Amictu totum caput obnubere, et cum Missam inciperent, illum more Religiosorum mendicantium, in humeros rejicere, et adhuc nunc hujus ritus vestigium observatur in subdiaconi ordinatione, quo tempore hic mos desierit, haud cognitum est.

III. Amictus super humeros circumquaque diffunditur, per quod operum fortitudo significatur. Duo ligamina, quibus Amictus ante pectus ligatur, signant intentionem, et finem, quibus informandum est opus, ne fiat in fermento malitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis. S. Bruno Episcopus Signiensis mysticas Amictus significationes his verbis comprehendit: *Amictus quidem, quo et collum stringitur, et pectus tegitur, interioris hominis castitatem designat, tegit enim cor ne vanitates cogitet; stringit etiam collum, ne inde ad linguam transeat mendacium.* Sunt et aliae significationes Amictui a viris divino zelo animatis tributae, quae partim ad revocanda nobis in memoriam Redemptionis nostrae mysteria inserviant, partim morum documentis animum nostrum imbuant. Sic Amictus mystice apud nonnullos significat, aut velum, quo Iudae Christi faciem obtexerunt, aut spineam Coronam, aut ipsius Divinitatem sub humanitatis Amictu absconditam.

Auctores insuper sunt, ut dum collum, humeri, et pectus Amictu conteguntur, consideremus vocem esse custodiendam, et divinas dumtaxat cogitationes esse admittendas. Haec de Amictu prima veste, quam Sacerdos sumit, adnotata sufficiant. Qui plura desiderat, et uberiora, legat quae fusiori calamo exaravit Joseph Vicecomes de *Missae Apparatu* Lib. II Cap. 3 et seqq; ubi agit de nominibus variis, quibus haec vestis appellata fuit, item de materia, forma, vario usu, nec non de veteri more Amictum adhibendi in sacris Christianorum ministeriis; legi item poterunt quae de eodem Amictu tradidit Andreas Saussajus in *Panoplia Sacerdotali* Lib. I pag. 1.

CAPUT II.

DE ALBA CINGULO ET MANIPULO.

I. Linea tunica talaris erat prima vestis Sacerdotalis in Veteri Testamento. A Scriptoribus Ecclesiasticis *Alba* a colore nuncupatur: cujus nominis mentio fit in Concilio Carthaginensi sub Anastasio I Can. 41. De candida seu Linea veste, qua universus Ecclesiasticus Ordo in Sacrificiorum celebratione utebatur, diserte meminit S. Hieronymus Dialogo I adversus Pelagianos. Legitur quoque in Ordine Romano, et in Tractatu *de Ritibus Ecclesiasticis*, quem sub nomine Caroli Magni edidit Wolfangus Lazius. Item Gregorius Turonensis pluribus in locis, tum in Historia Francorum Lib. IV Cap. 44 tum in Vita S. Aredii Abbatis Cap. VIII et Lib. *de Gloria Confessorum* Cap. XX Albae vestis Sacerdotum, et Diaconorum mentionem facit. Alii *Camisiam* vocant, Amalarius Lib. II Cap. 18: *Postea Camisiam induimus, quam Albam vocamus.* Isidorus Lib. XIX *Originum* Cap. 21: *Poderis est tunica Sacerdotalis linea corpori astricta usque ad pedes descendens. Haec vulgo Camisia vocatur.* Anastasius in Vita Benedicti III inter donaria, quae Rex Saxonum misit Ecclesiae S. Petri, enumerat *Camisias Albas sigillatas holosericas cum crysoclavo.* Ordo Romanus, ubi loquitur de Episcopi consecratione, *lineam* sine addito vocat dicens:

Induunt eum lineam et Cingulum. Constat ex Actis Proconsularibus S. Cypriani Episcopi et Martyris, ubi legitur, quod cum se Dalmatica expoliasset, et Diaconis tradidisset, in *Linea* stetit. Ea igitur ex lino debet esse confecta, non autem ex lana. Suus quoque est Ecclesiae, et Doctoribus de Alba symbolicus sensus. Illa quidem in precibus agnum Mysticum nobis proponit, in quo dealbari nos oportet, et conversationem Salvatoris nostri in terris, cujus vestigiis nobis accurate est insistendum. Theologi per eam officii nostri nos admonent, quo mundo corde, candida anima, immaculatis moribus, et inviolata justitia vivere jubemur. P. Soto insuper sub hujus indumenti figura Albam illam vestem, qua indutum Christum Jesum Herodes irrisit, considerationi nostrae proponit. Praeter haec alia in Alba Ecclesiastici Scriptores agnoscunt mysteria. Alcuinus *de Divinis Officiis* dicit Albam significare perseverantiam. Per eam, docet Le-Brun, significari puritatem cordis, quam petimus per merita Agni immaculati, quem sacrificamus. Natalis Alexander dicit, eam esse beatae aeternitatis symbolum. Hinc, ut observant Amalarius et Beda, Alba stringere debet manus, et brachia Sacerdotis, ne quidpiam inutile faciat; pectus, ne quid inane cogitet, genua, ne ab Orationis instantia torpeant; tibias et pedes, ne ad malum currant. Alba inferiorum etiam Ordinum vestis fuit, Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum, Acolythorum, et Saussay in *Panoplia Clericali Part. I* Lib. V Cap. 5 observat in inferioribus Ministris idcirco Albae superpelliceum substitutum fuisse, ut ambulando caeterisque muniis obeundis essent expeditiores. Precationes, cum Alba sumitur, inter se fere omnes conveniunt, licet aliae aliis verbis exprimantur. Haec de Alba, seu Camisia quoad Latinos; Graeci vero hujusmodi sacrum indumentum habent quidem, sed ex serico vario colore, et quasi caelesti, eodem utuntur, praesertim Episcopi, idque *Sticharium* vocant, quod candidi coloris esse debet juxta Symeonem Thessalonicensem.

II. Inter sacra vestimenta frequentius nominatur Cingulum, etsi idem etiam quandoque *Zona*, *et Baltheus* appelletur, de quo item meminit Hieronymus *Epistola*

128 ad Fabiolam: *Tertium genus est vestimenti, quod illi* (Hebraei scilicet) *appellant Abner nos cingulum, vel Baltheum, vel Zonam possumus dicere.* Similiter Alcuinus de *Divinis Officiis* Cap. 39: *Deinde sequitur Zona quae dicitur Cingulum.* Varii quondam coloris fuere hujusmodi Cinguli, Zonae, aut Balthei, et auro quandoque ornati, uti colligitur ex Riculfi Helenensis Episcopi Testamento apud Baluzium in Appendice ad Reginonem pag. 626 ubi legitur eumdem legasse Ecclesiae suae anno 916 *Zonas quinque, unam cum auro, et gemmis pretiosis, alias quatuor cum auro.* Ut autem perspiciatur, quam antiquus in Romana Ecclesia sit sacrae hujus vestis seu *Cinguli* usus; Ioannes Diaconus in Vita S. Gregorii Magni Lib. IV Cap. 80 narrat fideles magna veneratione solitos prosequi fuisse ejusdem S. Pontificis Baltheum: *sed et ejus Baltheum* inquit, *consuetudinaliter osculatos esse.* Non sine mystica significatione, lumbos Cingulo praecingunt Sacri Ecclesiae Ministri ex Iesu Christi Domini praecepto Lucae Caput XII ubi ait: *Sint lumbi vestri praecincti,* quod Divinum mandatum licet ad Christianos omnes pertineat, praecipue tamen Sacerdotes spectat, sicut et illud Apostoli: *state succincti lumbos vestros in veritate,* ut admoneantur restringendos omnes cupiditatis motus, ut in ipsis maneat virtus continentiae, et castitatis, quemadmodum in oratione propria exprimitur, quod et S. Gregorius Magnus Homilia XIII in Evangelia declarat dicens: *Lumbos enim praecingimns, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus.* Praeterea Innocentius III in Lib. I de *Mysteriis Missae* Cap. 52 observat, quod Alba circa lumbos debet zona praecingi, ut castitas sacerdotalis nullis incentivorum stimulis dissolvatur. Idem sentiunt Honorius Augustodunensis, Titelmannus, et Suarez. Quidam pie putant, Cingulo significari funem, quo Christus in horto ligatus est, alii flagella in ejusdem passione. Ita Durandus, Sanctus Thomas, Sanctus Bonaventura, et alii cum ipsis. Ad Orationes, quae dicuntur, accedimus. In Pontificali Prudentii Trecensis Episcopi habetur: *Praecinge me Domine, virtute, et pone immaculatam viam meam, et praecinge lumbos meos; et circumcide vitia cordis mei*

amen. Codex Tilianus, ad Zonam: *Domine, accinge in me custodiam mentis meae, nec ipsa mens inflectatur spiritu elationis*. In hodierna praeparatione ad Pontificalem Missam retinetur haec oratio: *Praecinge me, Domine Cingulo puritatis, et extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiae et castitatis*. Communis est haec Oratio ceteris Sacerdotibus, et ponitur ab Alberto Castellano in *Libro Sacerdotali*.

III. Manipulus posterioris aevi additamentum est, neque in antiquis Ritualibus commemoratur, nec a priscis Patribus inter sacras vestes recensetur. Erat autem lintea sindon, sive mappula brachio sinistro alligata, qua sudor et sordes abstergebantur, ut illi passim testantur, qui de Divinis Officiis tractatus ediderunt. Amalarius Lib. II Cap. 24: *Sudarium ad hoc portamus, ut eo detergamus sudorem*. Rabanus Maurus Lib. I *de Institutione Clericorum Cap. 18: Quartum Sacerdotis indumentum Mappula sive mantile est, quod vulgo Fanonem vocant*. Est autem *Fano* vox saxonica, quae idem valet ac sudariolum, ut docet Vossius Lib. II de vitiis Sermonis Cap. 7. Triplex fanonis significatio statuitur a Mabillonio in notis ad vitam S. Wiboradae Virginis et Martyris, primo pro quavis mappula, secundo pro parte illa sacrae vestis, quae manipulus vocatur, tertio pro corporali. Usum mappulae, seu manipuli, Ecclesiae Romanae proprium fuisse, scripsit Sanctus Gregorius Iohanni Archiepiscopo Ravennati, Lib. II Epistola LIV. Duravit autem hic mappulae, sive sudarii lintei usus, donec in locum ejus Manipulus, non ad tergendas sordes, sed ad ornatum suffectus est, qui propterea ejus materiae et texturae est, ex qua Stola, et Planeta fieri solent. Hanc vero mutationem Mappulae in Manipulum saeculo nono factam esse sacra monumenta ostendunt. Olim ut apparet ex antiquis picturis, ejus forma longior erat et strictior, vix duos pollices excedens.

IV. Manipulo nostro respondet apud Graecos Epimanicion, de quo agit Goar in notis ad S. Ioannis Chrysostomi Liturgiam n. 12. Duobus vero Graeci et Maronitae utuntur Manipulis, quorum singulos ad sin-

gula brachia alligant teste Macri in Hierolexico verbo Manipulus. Nunc vero precationes ad mappulam, seu Manipulum accipiendum proferam. In codice monasterii Sancti Dionysii, aetate Caroli Magni scripto, ut monet Martenius, post orationem ad casulam, legitur ad Manipulum: *Praecinge me, Domine, virtute, et pone immaculatam viam meam.* Missale Bibliothecae Vallicellianae saeculo XI scriptum, post orationem ad casulam, hanc habet ad Manipulum precem: *Da Domine, in manibus meis manipulum: ad extergendas sordes, et a corpore meo, ut sine pollutione valeam nomen tuum laudare et benedicere Amen.* Liturgiae antiquae omnes statuunt, Manipulum sumendum post reliqua sacerdotalia indumenta, quod planeta ambiret totum corpus, et ea super brachia duplicanda, vel triplicanda esset, quare cum brachia essent expedita, revoluta planeta, Manipulus porrigebatur, et tunc Presbyteri, et Episcopi extremo loco Manipulum accipiebant, quod modo soli Episcopi praestant, ut expleta confessione, manipulum accipiant, quia prisco more post confessionem casula elevabatur. Accessit item ad hoc ornamentum et symbolica, seu mystica significatio, doloris scilicet, et fletus, qui hac in vita sustinendus est, et manipulo quasi detergendus, quo certe tendit oratio, cum Manipulus ex Missali Romano a Sacerdote ad laevam sumitur; merear Domine portare manipulum fletus et doloris quae etiam consonat cum oratione, quam refert P. Edmundus Martene ex antiquo Missali Ecclesiae Narbonensis tom.. 1 de *antiquis Ecclesiae Ritibus* pag. 334. Episcopus denique cum ei aptant Ministri Manipulum, Missa iam incepta, nullam orationem dicit, ne Missae cursus interrumpatur.

CAPUT III.

DE STOLA.

I. Stolae nomen apud profanos Scriptores tam Graecos, a quibus fluxit, quam Latinos, muliebrem vestem significat ad talos usque demissam. Erat autem proprie matronarum vestimentum, ut docet Ferrarius de *re ve-*

stiaria Lib. III Cap. 17. Interdum tamen suptam legimus pro quolibet genere vestimenti, Regum, Sacerdotum, et privatorum. Nam Genesi Cap. 41 cum Pharao constituit Ioseph super universam terram Aegypti, vestivit eum stola byssina: et ipse Ioseph Genes. Cap. 45 singulis fratribus suis proferri jussit binas stolas, Beniamin vero dedit quinque stolas optimas. De Stola Summi Sacerdotis in Lege veteri agit Iosephus Lib. XV *Antiquit* Cap. 14 et Lib. XIII Cap. 6. Sacerdotes item stantes ante Altare cum stolis sacerdotalibus commemorat Lib. II Machabaeorum Cap. 3. Alio praeterea satis vulgato nomine Stola dicitur *Orarium* in genere neutro, ut frequentius accipitur, et *Orarius* in masculino, quemadmodum loquitur Ordo Romanus. Quod si primam hujus vocis originem inspiciamus, profana est, et ab eo sensu diversa, quo nunc usurpatur. Antiquis enim Scriptoribus tam Ethnicis, quam Christianis *Orarium* nihil aliud est, quam *sudarium*, *strophium*, *linteolum*, quo facies abstergitur. Ambrosius Epistola 54 de miraculis Sanctorum Gervasii, et Protasii, ait: *Quanta Oraria jactitantur? et tactu ipso medicabilia reposcuntur?* Pontius in vita S. Cypriani, *Fratres linteamina, et oraria ante eum ponebant, ne sanctus cruor defluus absorberetur a terra.* Graecorum nonnulli, atque inter eos Theodorus Balsamon in can. 22 *Concilii Laodiceni*, ac Matthaeus Blastares in *Nomocanone*, ab ωραω idest video, observo petitum asserunt: quod Presbyteri Orarium induti diligenter videre debeant et observare quae in Mysteriis sacris agenda sunt, eaque Orario significare Diaconis qui sunt in ambone. Non incongrue etiam deduci potest ab ωρα, idest cura et custodia: quia qui Orarium ferunt sive Pontifices, sive Sacerdotes, sive Diaconi, fideles populos curare eosque custodire debent, sicut et sacra ac mysteria quae suae sollicitudini ac fidei commissa sunt. Alii enim ab *oro*, quod est precor, dictum censent, quia in publicis Ecclesiae precibus, atque in Sacramentorum administratione adhibetur Orarium. Alii ab *oro*, quod est concionor, vocatum arbitrantur, quia oratoribus sacris, seu concionatoribus dabatur; quae sententia est Concilii Toletani IV in can. 39; Venerabilis Be-

da, in *Collectaneis*, Cap. *de septem Ordinibus*; Alcuini, in Libro *de divinis Officiis*, Tit. *Quid significent indumenta;* Rabani Mauri, in Lib. II de Institutione Clericorum, Cap. 19.

II. Quod sane ornamentum, quando coeperit a Sacerdotibus in sacris adhiberi, et cur ei Stolae nomen tributum sit, solerti indiget disquisitione. Quidam aevo Apostolorum coepisse scribunt, eo quod legerint stolam S. Iacobi Apostoli missam fuisse a Theodosio Hierosolymorum Episcopo ad S. Ignatium Costantinopolitanum; et stolam S. Stephani Protomartyris a Macario item Hierosolymitano datam Helenae Augustae, et ab ea Vesontionem transmissam. Sed hos Scriptores vocis aequivocatione deceptos evidens est; stola enim illorum temporum, ut ex dictis constat, vestis oblonga erat totum corpus ambiens, nihilque habet commune cum stola hodierna praeter nomen. Illud autem fateamur oportet, stolae usum antiquissimum esse in Ecclesia. De Stola porro Diaconorum in ecclesiastico ministerio apertissimus locus est apud Anonymum in brevi expositione antiquae Liturgiae Gallicanae, editus ab Edmundo Martene, quae quidem expositio ante Caroli M. aetatem exarata est, ac S. Germano Parisiensi adtribui potest. Stolam semper et ubique gestabant Episcopi, et Presbyteri; Diaconi itidem semper et ubique, sed primo tantum ordinationis suae anno. In vita S. Thomae Cantuariensis, quam Ioannes Salisberiensis conscripsit, haec habentur: *Stolam tamen jugum Christi suave circa collum diebus ac noctibus habebat.* In Concilio Moguntino anno 813 Cap. 28 ita statutum: *Ut Presbyteri sine intermissione utantur Orario.* Hoc vero tempore solus Romanus Pontifex veterem Episcoporum Presbyterorumque morem retinuit semper gestandi Stolam. Longior erat antiquitus Stola, quam quae sit ea, qua nunc utimur. In musivo sub absidam Basilicae S. Mariae transtyberim S. Clepodius Presbyter Stolam gerit ad talos prope pertingentem, quae albi coloris est cum fimbris rubeis.

III. Antiquissimus est autem Ecclesiae mos, ut Diaconi Stolam a sinistro humero ad tibias recta descendentem portarent, Sacerdotes vero eam ad collum, et

ante pectus in formam crucis conformarent. Hanc sane disciplinam duo Conciliorum Hispanicorum Canones asserunt Concilium Bracarense II A. D. 563, et Concilium Toletanum IV A. D. 633. Innocentius III ritus hujus partem manifeste docuit Lib. I *Mysteriorum Missae* Cap. 5 de Diaconibus; dum scribit: *a viginti quinque annis, et supra, iussi sunt in Tabernaculo servire, tanquam aetatis ad onera portanda robusti, qui possint arcam foederis, mensam propositionis, et vasa Tabernaculi deportat. Quod etiam in Novo Testamento recolitur, cum Diaconibus supra sinistrum humerum stola imponitur, et in diebus iejunii supra eumdem humerum casula complicatur. Quia quicquid laboris in hac vita sufferimus, tanquam in sinistra portamus; donec a sinistra transeamus in dextram, in qua requiem habeamus*. Verum haec Innocentii verba non modo ritum, sed etiam ritus rationem ostendunt, ut nimirum intelligerent Diaconi, varios labores, quorum humerus symbolum est, in hac mortali vita, quae sinistri nomine exprimitur, sibi exantlandos esse; donec ad vitae immortalis praemia evocarentur. Episcopis porro Stola ita aptatur, ut aeque hinc inde pendeat, neque in crucis formam ante pectus complicetur. Quoniam vero aliquando occurrit in veteribus monumentis mentio Stolae, et manipuli cum tintinnabulis, ea tintinnabula iuxta doctissimum Georgi, nihil aliud erant, quam filamenta illa argentea Stolarum extremitatibus adsuta, campanulae instar, quae hodie etiam in usu sunt. Imagines enim ad Stolae extremitates adiici consuevisse, Episcopi Stolam sibi non accomodant in modum Crucis; nam pendentem e collo Crucem cum Reliquiis deferunt, ut notat Macri in Hierolexico verbo Stola.

IV. Porro circa modum Stolam deferendi, observandum est quod apud Monachos Cluniacenses, eorum Sacerdotes Stolam prae manibus tenebant, dum ante Missam confitebantur, eamque facta confessione dumtaxat collo imponebant. Quamvis autem Orarium commune sit Diaconis, et Presbyteris, a Graecis tamen Diacono proprie tribuitur, Stolam vero sacerdotalem Epitrachelion vocant. Eodem saepe utitur Diaconus ad venerationis signum, ibidemque in Graecorum Liturgia cre-

bro dicitur: Diaconus versus Sacerdotem dicit inclinans caput suum, et Orarium in manu tenens. Stola symbolum est dignitatis, ac jurisdictionis, unde in Concilio Moguntino statuitur, ut a Sacerdotibus deferatur: propter differentiam Sacerdotii dignitatis. Stola obedientiam significat et jugum Domini, cui collum subiicimus ejus sectantes vestigia. Stola immortalitatem notari demonstrant illa Sacerdotis Stolam induentis verba, quae in omnibus propemodum Missalibus libris reperiuntur. Stola innocentiae indicium est apud Guillelmum Durandum, num. 2. A quibusdam Pontificibus cum Sacerdos in ordinatione Stolam accipit, additur: Stola innocentiae induat te Dominus: quod Stolam respicit primitivam, quae fuit innocentiae significatio. Iuxta Innocentium III in Lib. I de Officiis Missae et Sacramento Altaris, Cap. 42 significat patientiam.

CAPUT IV.

DE PLANETA.

I. Postrema vestis sacerdotalis, Planeta appellatur. Variis, aliisque nominibus hoc sacerdotale indumentum pariter appellatum fuit, nimirum, *Casula*, *Paenula*. Casula appellatur apud S. Isidorum Lib. XIX Cap. 24: *Planeta graece et latine dicitur casula, quae totum hominis corpus tegit*. Et Rabanus Maurus *de Institutione Clericorum* Cap. 21: *Casula*, inquit, *dicitur vulgo Planeta Presbyteri, quia instar parvae casae totum tegit*. Planetam, antequam sacra vestis esset, profanum fuisse indumentum, et laicis commune, constat ex pluribus monumentis. Ioannes Diaconus Libro IV de *Vita S. Gregorii Magni* Cap. 83 ubi de S. Pontificis parentibus Gordiano, et Silvia loquitur, de Gordiani veste ait: *Cujus Gordiani habitus castanei coloris Planeta est*. Casula insuper, ut hoc etiam obiter moneamus, fuit vestis, seu tunica Monachorum. Id observatum jam pridem a viris eruditis. Planetae porro et indumenta sacra, secutis inde temporibus auro, et materia magni pretii exornari consueverunt. Planeta insuper tradebatur Presbyteris in eorum ordinatione. Id ex Sacramentario Gre-

goriano Menardi perspicuum est, et ex Ordinibus Romanis VIII et IX. Concilium Toletanum IV praecipit Canone XXVIII ut dum Presbyter in suum gradum restituitur, recipiat ab Episcopo *orarium*, et *planetam*.

II. Quoad formam ipsius attinet, scite docent Auctores eruditissimi, Angelus Rocca, in peculiari disquisitione *De Sancti Gregorii*, *ejusque Parentum Imaginibus*, tom. II pag. 368 novae editionis, et Ioannes Cardinalis Bona, Lib. I *Rerum Liturgicarum*, Cap. XXIV § VIII et alii, rotundam illam prorsus fuisse, totum hominem a collo usque ad pedes ambientem, unicamque in medio aperturam habentem, per quam caput immitteretur; eaque de causa necessarium fuisse ajunt, ut Sacerdos operari, et manibus libere uti posset, ipsam Casulam super brachia revolvere, et complicare. Certe sic indutos Pontifices, et Sacerdotes Romae passim in priscis Ecclesiarum parietibus cernimus. Insuper Planeta seu Casula totum olim, ut diximus, Sacerdotem involvebat. hinc ortum esse usum plerique existimant, ut a ministro inserviente elevetur, cum Sacerdos sacrosanctam Hostiam, et Calicem elevat; Cardinalis Bona etiam adjungit, exinde ortum etiam fuisse usum, ut in Quadragesima, aliisque diebus jejuniorum, quibus Ministri utuntur planetis, complicatae sint a parte anteriori, quod olim propter earum amplitudinem necessarium erat, ut expediti essent ad ministrandum, sicque paulatim introductum esse ait, ut Diaconus, cujus in Missa potissimum est ministerium, Planetam exuat, ejusque locum stolam latiorem accipiat; quod aevi recentioris est; nam Ordo vetus Romanus, non exui Planetam, sed elevari mandat: *Diaconi* inquit, *levant planetas in scapulas*. Porro docet Grancolas, in *Commentario historico ad Breviarium Romanum*, Cap. XXVII ubi agit de Casula, Diaconum quidem ex Ritu Romano Casulam deponere ad Evangelium, nimirum in Quadragesima, et nonnisi post Communionem illam iterum assumere, quo liberius munere suo fungatur; Subdiaconum etiam Epistolam lecturum, Casulam exui juxta veterem morem, quo Lectores, dum munus suum exercebant, albis erant induti. Graeci adhuc hodie antiquam Casulae formam retinent, Latini vero ad vitandum in-

commodum, eas paulatim a lateribus scindere, et decurtare coeperunt, donec ad formam, qua hodie utimur, redactae sunt.

III. Casula, quae super omnes vestes induitur, Charitatis symbolum est, ut post Alcuinum, omnes fere, qui eum secuti sunt Scriptores de Divinis Officiis agentes docent. Aliae tropologicae expositiones erui possunt ex variis antiquis precationum formulis, quae ab Episcopis, vel a Sacerdotibus recitari solebant, dum illam sumebant. In antiqua Missa Illyrici duae ad Casulam statuuntur precationum formulae, quarum prima haec est: *Indue me Domine Sacerdotali justitia ut indui merear in tabernacula sempiterna:* Altera vero est hujusmodi: *Indue me Domine, ornamento humilitatis et charitatis, et concede mihi protectionem contra hostem insidiatorem, ut valeam puro corde, et casto corpore laudare nomen tuum sanctum in saecula saeculorum.* Missa edita ex Codice Chisiano a Cardinale Bona brevem hanc orationem continet: *Indue me, Domine ornamento humilitatis, et charitatis, et pacis, ut undique munitus virtutibus, possim resistere vitiis, et hostibus mentis, et corporis.* Donec Planetae vetus forma permansit, Manipulum a Sacerdote post *Confiteor* accipi consuevisse: tunc enim super Sacerdotis brachia sustentbatur Planeta. Nunc vero, etsi Planetae forma mutata est, eumdem morem Episcopi retinent. De Planetis optime scripserunt Rocca, tom. 2. novissimae edit. pag. 568.; Meratus, tom. I. part. I pag. 321 num. 32; Sarti, de *veteri Casula Diptycha;* et Pastritius, in *Dissertatione de Patena argentea S. Petri Chrysologi* pag. 141; Macri, in *Hierolexico* verbo Casula.

CAPUT V.

DE TUNICELLA ET DALMATICA.

I. Subdiaconi vestem sui ordinis propriam habent, quae modo *tunica*, modo *roccus*, modo *subtile*, est appellata, sed cujusnam materiae, et formae tunc fuerit, non satis est exploratum. Ex S. Gregorii verbis in Epistola LXIV Lib. VII ad Iohannem Syracusanum eli-

citur, Subdiaconorum tunicam fuisse lineam, ac talarem. Sed saeculo VIII et IX raro tunicae Subdiaconalis nomen usurpatum videtur, ejusque loco *roccus*, et *subtile* substitutum. *Roccus*, ut explicat Cangius, vox germanica est, supremam vestem significans. Ansegisus *Saecul. IV Benedict.* part. I pag. 624 n. 7 Abbas Fontanellensis largitus est anno Domini 820 coenobio Fontanellensi *roccum Subdiaconalem unum*, quo nomine tunica Subdiaconorum venit. Praeter nomen *rocci* *Subtile* dicta est vestis Subdiaconorum. Plura testimonia congerit Cangius in *Glossario* ad hoc verbum. S. Meinvvercus apud Bollandum Iunii tom. I pag. 549 Episcopus Paderbonensis, qui obiit a. D. 1036 multa sacra ornamenta obtulit monasterio Abdinghoffensi, a se condito, inter quae *subtilia tria*. Tunica Subdiaconi ab Honorio *Gemmae Animae* Lib. II Cap. CCXXIX *Subtile* appellatur. Tunicellae nomine usi sunt Pontificales Libri XIII et XIV saeculi, videlicet vulgatum Caeremoniale Episcoporum ad tunicam Episcopalem etiam significandam. Forma igitur tunicae subdiaconalis non admodum dissimilis olim a Dalmatica Diaconi fuit; et in hoc differre ex Liturgicorum scriptis videmus, quod strictiores manicas habuerit. Ita quoque traditum est in Caeremoniali Episcoporum Lib. I Cap. X. Diebus jejuniorum et in Adventu tam Diaconi, quam Subdiaconi planetis utuntur. Quando autem, et qua occasione hic ritus coeperit, non liquet. Ejus meminit Ordo Romanus I, a quo usus Planetae etiam Acolythis tribuitur.

II. Dalmatica vestis sacra est, qua Diaconi fere semper in divinis mysteriis obeundis usi sunt; semper vero Romani Pontifices, et a multis saeculis omnes Episcopi. De hoc vestis genere fuse a viris doctis est disceptatum. Nos ea decerpemus, quae instituto operi convenient. Scriptores omnes vulgo tradunt, ac ii etiam, qui de sacris ritibus uberius commentati sunt, *Dalmaticam vestem* ita dictam, quod in Dalmatia reperta sit. Perhibent nonnulli, earum usum, in sacris praescriptum fuisse Diaconis a Sancto Silvestro. Nituntur vero auctoritate Libri Pontificalis, vulgati Alcuini, de *divinis Officiis* Cap. XXXIX; Durandi. *Rationalis Divinorum Officiorum* Lib. III Cap. XI.; et aliorum. At Iosephus

Vicecomes *De Apparatu Missae* Lib. III Cap. XXV, existimat, Dalmaticas in uso ecclesiastico ante S. Silvestrum fuisse, ex Pontio Diacono in actis S. Cypriani, in quibus ejus Dalmatica memoratur, sed a S. Silvestro colobii usum fuisse abrogatum. Hanc sententiam amplexus est Andreas Saussay, *Panopliae Episcopalis* Lib. VI. Cap. III et IV; Petrus Coustantius, *Epistolae Romanorum Pontificum tom. I* pag. 300 §. 3 et 4; difficilem hunc nodum de Dalmaticae origine, et usu in ecclesiastico ministerio paucis dissolvit. Sensit igitur, initium Dalmaticae perperam S. Silvestro adscribi, quod Colobii, et Dalmaticae usus Silvestro antiquior sit; nam apparet, S. Cyprianum Dalmatica indutum fuisse, dum ad martyrium duceretur. Colobia, ut ibidem notat Constantius, sicut et *Dalmaticae*, tunicae erant talares. Discrimen Colobii a Dalmatica hoc est, quod Dalmaticis amplae erant manicae, Colobiis vel nullae, vel breves citra cubitum desinentes. S. Isidorus Hispalensis Episcopus, Lib. XIX *Orig*. Cap. XXI Dalmaticam his verbis describit: *Dalmatica vestis primum in Dalmatia provinciae Graeciae texta, est tunica candida cum clavis ex purpura*. Dalmaticae itidem forma ita ab Alcuino *De divinis Officiis* Cap. XXIX definitur, ut nimirum sit *vestimentum in modum Crucis*, monens *indutorem suum crucifixum esse debere mundo juxta* Apostolum ad Galatas Cap. VI v. 14: Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

III. Locus hic esse videtur, ut de colore ac materia Dalmaticarum nonnulla supereddantur. Sexto certe Ecclesiae saeculo Dalmaticae coloris albi erant. Dalmatica Paschalis I in musivo absidae, ad S. Praxedem A. D. 818 elaborato albi coloris est, talaris, et variis lineis diversorum colorum variegata. Vide Ciampinum *vetera monimenta* tom. II tab. XXII. pag. 73. In eadem absida ut videre potes apud eundem Ciampinum ibidem tab. XLVII pag. 148 spectatur Diaconus, forte S. Laurentius, Dalmatica albi coloris indutus, quae manicas latas habet, instar hodiernae cucullae Monachorum. In manicarum summitate sunt lineae rubei coloris, et sex cruciculae rubei coloris ad oram manicae in sinistro brachio. Dalmatica talaris est, et

habet lineas octo, partim coloris rubei, partim caerulei. In extremitate quoque fimbria circumducitur. Supra pectus crux magna rubei coloris visitur. Dalmatica circa collum constringitur. In absida praeterea Basilicae S. Mariae transtyberim, ubi musivum opus Innocentii II studio fabrefactum est. S. Innocentius Romanus Pontifex Dalmatica talari albi coloris indutus est, in qua sunt lineae coloris caerulei, et ad extremam oram fimbriae cum auro. Ibidem S. Laurentius candidam Dalmaticam gestat lineis coccineis distinctam, manicas latas habentem, et circa collum, et circa talos ad extremitatem, fimbrias cum auro. At saeculo X Dalmaticas variorum colorum adhiberi in sacris mysteriis consuevit, donec saeculo XII et insequentibus conformes omnino fuerunt colori ceterorum ornamentorum.

IV. Fuisse Dalmaticam unam praesertim ex indumentis Summi Pontificis, ubi Missarum solemnia erat celebraturus, patet ex Ordinibus I, III, et V, itemque ex testimonio Ioannis Diaconi, qui Lib. V Vitae S. Gregorii, Capite LXXXIV. Dalmaticam ipsius Pontificis memorat. Mos tamen antiquissimus fuit, ut Romani Pontifices, aut Episcopis optime meritis Dalmaticas mitterent, earumque usum iis concederent, aut ipsi Episcopi easdem ab Apostolica Sede peterent, atque eorum precibus Diaconis suarum Ecclesiarum impertirentur. Ex Sancto Gregorio Lib. VII *Epist. CXII Ind. II.* liquido apparet, Aregium Episcopum Vapincensem, ab eodem Gregorio usum Dalmaticae pro se, et pro Archidiacono Ecclesiae suae petiisse, ac benigne Gregorium petitioni annuisse. Ex his intelliges Diaconos in Gallia quousque viguit Liturgia Gallicana, nempe usque ad Hadrianum I Dalmaticis non usos esse, sed tantum *alba*, ac *Stola*, iis tantum exceptis, quibus Romani Pontifices potestatem Dalmaticae induendae fecerant. Id nobis confirmat Anonymus in brevi expositione Liturgiae Gallicanae, quam S. Germano Parisiensi Antistiti adscribit Edmundus Martenius Tom. V *Anecdotorum* pag. 90. Dalmatica insuper fuit peculiare insigne Diaconorum Romanae Ecclesiae; quare ex privilegio, Diaconis alicujus nobilis Ecclesiae identidem Romani Pontifices eam concessere. Post S. Gregorii tempora Dalmaticae usus vul-

gatior etiam in aliis Ecclesiis fieri coepit, partim concessione Summorum Pontificum, partim usu, et quadam consuetudine. Vulgatus Alcuinus *de Divinis Officiis* Cap. XXXIX innuit, Dalmaticam in multis Ecclesiis communem fuisse, et Diaconos, qui Dalmaticam non induebant, planetis usos esse. Veteres porro sacrorum rituum Scriptores, nempe Amalarius, Honorius Augustodunensis, Hugo a S. Victore, Innocentius III, Durandus et alii Dalmaticam Episcopis adscribunt. Et vero in vetustissimis Liturgiis Dalmatica inter indumenta Episcopi recensetur, praesignata precationis formula. In Missa Illyrici haec ponitur oratio ad induendam Dalmaticam apud Martene *de antiquis Ecclesiae ritibus* Lib. I Cap. IV art. XII: *Indumento hoc typico priscorum patrum ritu in modum crucis tramitibus purpureis contexto vestitus, humiliter postulo, ut ex commemoratione passionis tuae fiam tibi Domine Iesu Christe gratiosus qui vivis etc.* Aliae precationum formulae videri possunt apud Martenium *De antiquis Ecclesiae ritibus*, Lib. I Capite IV Articulo XII. Dalmaticae denique immaculatae vitae typus est, uti docet Durandus; sive liberalitatis erga pauperes, uti interpretatur Innocentius III sive etiam charitatis geminae ex Hugone a S. Victore.

CAPUT VI.

DE PLUVIALI SEU CAPPA.

I. Sacrarum vestium instituta tractatio monet, ut de Pluviali quoque disceptemus. Pluvialis seu Cappae mentio habetur apud priscos Scriptores, tum ante, tum post annum Christi millesimum. Quandonam vero huic sacrae vesti, quam Cappam dictam apud antiquos, *Pluvialis* nomen inditum sit non tam facile est invenire. Pluviale, seu Pluvialis apud veteres quidem Scriptores vestis erat, quae totum hominem operiebat, et a pluvia tuebatur. Ioannes Monachus in vita S. Odonis Abbatis Cluniacensis Lib. II *Pallium Pluviale*, Wibertus in vita Leonis Papae IX. Cap. VIII *Vestem Pluvialem* vocant. Sed hi de veste communi, non vero sacra loquuntur,

qualis est hodie *Cappa* in ministerio ecclesiastico, quae alio nomine appellatur *Pluviale*, quia olim pluviae tempore sumebatur, ut Ferrarius Lib. I *De re vestiaria* Cap. XXXX suspicatur. Hinc emanasse inquit Ioannes Cardinalis Bona Lib. I *Rerum Liturgicarum*, Cap. XXIV num. XVII, ut a parte posteriori capitis tegumentum assutum haberet, quod caputium vocamus, cujus quaedam forma, seu vestigium in hodiernis Pluvialibus remansit. Fuit autem *Cappa*, seu *Pluviale* non modo sacrorum ministrorum, sed peculiare, ut auctor est Honorius Augustodunensis *Gemmae Animae* Cap. CCXXVII etiam Cantorum in magnis solemnitatibus indumentum. Consuevisse novum Romanum Pontificem pluviali rubei coloris ab Archidiacono Romanae Ecclesiae indui, testatur Ceremoniale Cencii Camerarii, ubi de Summi Pontificis inaugaratione agit: *Prior* inquit, *Diaconorum ipsum de Pluviali rubeo ammantat, et eidem electo nomen imponit*. Gulielmus Durandus Lib. III *Rationalis divinorum Officiorum*, Cap. I num. XIII vestimentum hujusmodi ita describit, et explicat: *Est etiam et alia vestis, quae Pluviale, vel Cappa vocatur, quae creditur a legali tunica mutuata. Unde sicut illa tintinnabulis, sic ista fimbriis infigitur, quae sunt labores hujus mundi solicitudines. Habet etiam caputium, quod est supernum gaudium. Prolixa est usque ad pedes, per quod perseverantia usque ad finem significatur*. Idem docet Honorius Augustodunensis in *Gemma Animae* Lib. I Cap. CXXVII., et Hugo Guidardius Archiepiscopus Beneventanus in sua Synodo Provinciali; ubi singillatim sacra indumenta recenset.

CAPUT VII.

DE ROCHETTO, SUPERPELLICEO ET BIRRETO.

I. Genus Albae sunt Rochettum, et Superpelliceum; utrumque sicut Alba ex lino conficitur; in eo autem ab ipsa differunt, quod Alba usque ad talos, Rochettum vero, et Superpelliceum ferme usque ad genua demittuntur. Quod Rochetti etymologiam spectat, eam a voce germanica *Roch* derivat Ioannes Meursius, in

Glossario; Gerardus Vossius, Lib. II de *vitiis Sermonis* Cap. XVI; Octavius Ferrarius, in *originibus linguae italicae;* et alii. At vero aliter docent Guillelmus Sonnerus, in *Dictionario Saxonico-Latino-Anglico;* et Henricus Spelmannus, in *Glossario Archaeologico;* qui etymon ejus vocabuli a voce anglo-saxonica *rocc* deducendum putant. Gavantus in *Thesauro Sacrorum Rituum* parte II Tit. I, gallicam vocem esse contendit, et Avenione forte, cum ibidem Summi Pontifices degerent, introductam. Definitur autem a Ferrario, nempe, ut sit *linea vestis sacrorum, strictis manicis, et plicis striata.* Differt tamen Rochettum a superpelliceo, ut nemo ignorat, non materia, sed forma: utrumque enim lineum est. At Rochettum strictas manicas, superpelliceum vero latas manicas habet. In Romana Ecclesia initio saeculi XIV Rochetti nomen vix obtinuerat, et hoc indumenti genus alio nomine designabatur, nimirum *albae Romanae, camisiae Romanae et camisiae lineae.* Ordo Romanus XV cujus auctor est Petrus Amelius, quando sacra indumenta a Pontifice sumenda sint in nocte Nativitatis Domini scilicet post hymnum *Te Deum* decantatum, subdit: *Et interim Papa stando duo Diaconi Cardinales deponunt sibi illa vestimenta praecisa usque ad Camisiam, seu Albam Romanam.* Idem ubi agit de benedictione Candelarum in die Purificationis Beatissimae Virginis: *Completa ergo benedictione, Dominus noster Papa in camera paramenti induit se Albam, sive Romanam Camisiam stolam etc.* Quamobrem quae saeculo XIII et XIV *Alba Romana, et Alba Camisia* vocabatur, advecto deinde e regionibus transalpinis *Rochetti* nomine, ita lineum illud indumentum appellare maluerunt, vetustioribus eliminatis.

II. Cardinalis Baronius ad annum CCLXI de Rochetto mentionem fieri censet in Actis Proconsularibus S. Cypriani, in quibus dicitur, *quod cum se Dalmatica expoliasset, et Diaconibus tradidisset in linea stetit.* Lineam hic ait esse Baronius non lineam interulam, sed commune Episcopis omnibus indumentum, quod Rochettum dicitur, etsi aliter velint Theodoricus Ruinartius in *Acta Martyrum*, pag. 218 editionis Parisiensis

et Stephanus Baluzius in notis ad acta ipsa S. Cypriani, aliique Scriptores. Verum hanc sententiam Baronii non modo Claudius Molinetus, et alii amplectuntur, verum etiam tueri videtur laudatus Gavantus, et Clarissimus Dominicus Georgius ubi etiam variis allatis veterum Auctorum locis, perspicue ostendit, ante saeculum Christi millesimum consuevisse non modo Episcopos, sed et Presbyteros Missae Sacrificium celebraturos, Rochettum ante Albam induere.

III. Clerici minorum Ordinum, cum Sacerdoti celebranti ministrant Superpelliceis utuntur: res autem sub aliis nominibus an fuerit ab antiquis designata, incertum est. Qui a temporibus Apostolorum usum Superpellicei derivant, vetusta ei vocabula tribuunt; nam quidam esse Ephod contendunt, alii lacernum birrum, alii amphibalum, de quo Remigius in Testamento ait: *futuro Episcopo successori meo amphibalum album paschalem relinquo*. Illud sane certum est tempore S. Hieronymi, ut ipse testatur Lib. I adversus Pelagianos, omnem Clerum in Sacrificii consummatione candidis vestibus ministrasse. Ideo autem Superpelliceum vocatum est, quia ut Claudii Molineti probabilis conjectura fert, Canonicis divinae psalmodiae excubantibus, in regionibus praesertim aquilonaribus, frigoris arcendi causa, pellibus corpus integere mos erat, supra quas lineam tunicam imponebant: Superpellicea autem saeculo XII a Canonicis Regularibus (si Praemonstratenses excipias) ac item a Canonicis quarumdam Ecclesiarum jugiter gestabantur. Saeculo etiam XII superpelliceum in usu communi, nedum sacro, plerorumque Canonicorum fuisse, deinde vero antiqua, et genuina hujus indumenti nomenclatione proprie *tunicae lineae*, et a vulgo Superpelliceum indicatum.

IV. Neque praeterea velim existimes, saeculo XIII morem omnino obsolevisse, extra rem divinam superpellicea quotidie gestandi, in hujus autem saeculi Synodis passim cautum est, ne Episcopi domi forisque indumentum illud abjicerent; ne Presbyteri sine illo Missas agerent, ne Clerici sacris mysteriis sine illo interessent, neve Canonici Regulares sine illo domi, et foris incederent. Superpelliceum etsi hodie ita contra-

ctum aliqui interdum deferunt, ut ad pectus perveniat, olim tamen ad talos usque descendebat, teste Stephano Tornacensi, qui vivebat anno MCLXXX in Epistola sua CVI ad Albinum S. Romanae Ecclesiae Presbyterum Cardinalem, cui non modo ejus vestimenti formam, sed et mysterium in hunc modum explicat: *Hujus habitus indicium principale vobis mitto, Superpelliceum novum, candidum, et talare, quod repraesentet vobis vitae novitatem, munditiae candorem, perseverantiae finem.* Contractum deinde fuit ad medias tibias, uti constat ex sessione XXI Concilii Basileensis. Est insuper Superpelliceum laxum, quia clericalis vita debet esse in eleemosynis larga ut docet Honorius *Gemma Animae* Lib. I Cap. 232. Induitur supra communes vestes, quia Charitas operit multitudinem peccatorum: et habet formam Crucis, ut Passionis Iesu Christi vestigia imitetur Ecclesiasticus. Sed et ecce, nos ad aliud nomen pervenimus, quod prope saeculi XII finem *tunicae lineae* datum reperimus, nempe *cottae.* Haec vox alicubi vestis speciem, laicorum propriam significabat, Clericis interdictam. Stephanus Baluzius existimat, *cottam*, sive *cottum* fuisse vestem laicorum oblongam, caputio, ut vulgato vocabulo utamur, carentem, et Clericis vetitam. Certum est autem saeculo XII *cottae* vocabulo, superpellicea designari consuevisse. Gregorius Archiepiscopus Antibarensis, sub hujus saeculi finem testamento legavit monasterio S. Chrisogoni apud Iuderam *duas mitras, et virgam pastoralem, planetam,* et *pluvialem, dalmaticam et camisum, stolam, et manipulum, et cingulum cum cotta.* Sub haec item tempora, nempe A. D. 1196 Tedelgarius Tarracinensis Ecclesiae Episcopus bona quaedam Capitulo Tarracinensi donavit, et in donationis literis regulas praescripsit, ac statuit, ut per aestatem Canonici cum *cottis horas canonicas*, et divina officia persolverent.

V. Birretum a birro diminutivo est, et sicuti birrus humerorum simul, et brachiorum tegumentum dicitur, ita birretum capitis tantum. Romae et in plerisque aliis Ecclesiis nono saeculo Birreti nullus erat usus. Amictu enim caput obnubebant, et cum Missam inciperent, illum, quemadmodum nunc Mendicantium

Ordinum Religiosos in humeros rejiciebant. Quando autem Birreti, seu quadrati pilei usus apud Clerum in Ecclesia, et extra Altare pro communi capitis operimento, itemque apud Ecclesiae ministros ad sacrum aliquod exercitium adhiberi coeperit, incompertum est. Illud non est praetereundum, pileolis usos esse antiquitus Ecclesiasticos viros in modum Camauri, quorum figuras in pluribus templis Romae observare licet.

II. Birretum porro, quod nunc quadratum, ab origine rotundum erat. Galli vulgo Bonnetum appellarunt a panno, ex quo conficitur. Processu temporis e rotundo in quadratum evasit, uti et nunc gestant Clerici Germani, Galli, et Hispani. Soli Itali uno submisso angulo, tres reliquos ad honorem SS. Trinitatis elevant, et nihilominus species ac figura crucis servatur. Hoc Clericale capitis tegumentum violaceum erat, fuit postea color niger.

CAPUT VIII.

DE COLORIBUS SACRARUM VESTIUM.

I. Coloribus sacrorum indumentorum, quibus ex vetustissimo ritu Romana Ecclesia utitur, ex qua etiam ii colores ad ceteras Occidentis Ecclesias manarunt, potissimum sunt, nimirum, albus, rubeus, violaceus, viridis, et niger. Ut omnes norunt, et usitatior in divinis mysteriis est albus color, Totidem enumerat colores Innocentius III Lib. I Cap. 65 quamvis nigrum confundere videatur cum violaceo. Color albus in re divina memoratur non semel a S. Hieronymo in Libris *adversus Pelagianos, et commentario in Ezechielem*, item a S. Gregorio Turonensi *in Historia Francorum*: *Cui* (Sidonio) *adsistebant*, inquit, *multi Sacerdotum in albis vestibus*: et in *Libro de Gloria Confessorum*, ubi sermo est *de dedicatione oratorii sui*: *Erat autem Sacerdotum, ac Levitarum in albis vestibus non minimus chorus*. Praeterea S. Isidorus *in Orig*. Lib. IX Cap. 22 sacerdotalem vestem commemorat albam, cum quibusdam institis rubei coloris. A Graecis vero color albus *ασπρος* est appellatus; de quo multa disserit vir

doctus Vincentius Riccardus Clericus Regularis in *Commentario ad orationem IX S. Procli Archiepiscopi CPolitani*, et deinde Cangius ad hoc verbum in *Glossario meviae et infimae Graecitatis*. Hinc etiam Latini Scriptores medii et inferioris aevi, sumpto a Graecis vocabulo sacras vestes materiae pretiosioris, et in candidum colorem vergentes, *diaspras* vocarunt, et Galli *diasprèes* a colore jaspidis, vestes variegatas, et versicolores. Exempla aliquot habemus apud Cangium.

II. Proxime accedunt colori albo, *lacteus*, *niveus*, *candidus*, *vitreus*, *marmoreus*, *argenteus*, *flavus*, *palearis*, *buxeus*, *citrius*, a quo citrinus, et diacitrinus, aureus, fulvus, et alii hujusmodi, de quibus scitissime Iulius Caesar Scaliger in Libris *de subtilitate contra Cardanum*. Istiusmodi autem omnia ferme nomina, sacris vestibus indita etiam reperimus, eaque ad album colorem sacrum referimus. Paschalis Papae I imago musiva in apsida Ecclesiarum S. Caeciliae, S. Praxedis, et S. Mariae in Domnica aurei coloris planeta, limbis rubeis variegata, induta est. In sacrario monasterii Centulensis enumerabantur casulae galnae idest flavae. Basilius Macedo, et Leo Imperatores, datis literis, vestem diacitrini coloris, aliaque munera Hadriano Papae II miserunt. Ad haec, semiprisci aevi alia testimonia proferimus, quibus albus color, ασπρος dicitur. Henricus Imperator obtulit B. Benedicto pluviale diasprum cum listis auro textis. Victor III moriens donavit B. Benedicto Planetas diaspras deauratas quinque, et tres sine auro. Atque haec satis esse putes ad colorem album adstruendum.

III. Post album colorem sequitur color rubeus, seu purpureus. Sed quoniam multiplex est iste color, ac variis nominibus in monumentis Ecclesiasticis effertur, ideo de purpurae speciebus aliqua sunt praemittenda. Nulli eruditorum non constat, triplex purpurae genus distingui ab Octavio Ferrario, ac a nonnullis, qui de re vestiaria, et de coloribus scripserunt, nempe coccineum, sive roseum, amethystinum, seu violaceum saturatum, conchyliatum, scilicet irascenti mari simile, seu mavis caeruleum. Blatteus enim color uti censet Ferrarius, sumptus est aliquando ab inferioris aevi Scriptoribus pro purpureo. Ante Ferrarium egregia aliquot de coloribus

vestium, et praesertim de purpureo adnotavit Vincentius Riccardus Clericus Regularis in commentariis ad orationes Procli CPolitani. Purpuram diversorum colorum fuisse observat laudatus Riccardus, scilicet punicei, coloris, coccineam a cocco gravi succo, chermes dicto, unde chermesinum. Quum autem purpura inter nobiliores vestes haberetur, hinc ea induti Imperatores, Caesares, ac Imperatorum filii ex utero matris egredientes purpura involuti. Memoratae porro Augustorum purpureae vestes, holoverae, seu oloverae dictae sunt, quod ex mera purpura, et puro murice, nulla alterius coloris permixtione, inficiebantur; oloveras itaque privatis omnibus non modo gestare, sed vendere vetitum erat. qua de re titulus est in Theodosiano Codice, et Iustinianeo de *vestibus oloveris et auratis.* Licet enim Imperatores Augusti severis legibus purpuram aliis divendi vetuerint, ad ornatum Ecclesiarum tamen eam dedicabant. Iustinus Imperator, Hormisda Pontifice sedente, multa dona Romam misit, quae votorum gratia Beato Petro oblata sunt. In his pallia olovera blattea cum tabulis auro textis. Iustianus Imperator, Iohanne II Romano Pontifice, obtulit dona Beato Petro, inter quae, Pallia olovera auro texta. At semipriscae aetatis Ecclesiastici Scriptores a Graecis vocem mutuantes, colorem rubeum, seu roseum, appellare maluerunt rhodinum, leuchordinum, rhodomelinum. His cognitis, ad ipsa vetustissima monumenta afferenda descendamus, quibus in Ecclesiae ornatu, ac in ipso Divino Sacrificio color rubeus, et purpureus demonstretur. S. Augustinus Anglorum Apostolus, sacerdotio initiato S. Livino, ut auctor est Gorgellinus monachus in vita, dedit in ipsa dilecti discipuli ordinatione dulcissimum pignus, et memoriale perpetuae dilectionis suae, casulam videlicet purpuream gloriosi martyrii praesagam. Leo Ostiensis refert uxorem Roberti Guiscardi obtulisse Beato Benedicto planetam purpuream cum friso, et cum aquila de margaritis. Agnes Imperatrix post dedicationem Ecclesiae S. Benedicti in Monte Casino obtulit B. Benedicto varia munera, inter quae pluviales duos purpureos pretiosis aureis listis ornatos. Longiora exempla inferiorum temporum consulto praeter-

mittimus, ne taedio potius, quam oblectamento simus.

IV. Conjunctus adeo fuit antiquitus color violaceus cum colore nigro, ut pro uno et eodem ab Ecclesia Romana sumeretur in divinis officiis. Mos vetustissimus Ecclesiae fuit hujus violacei coloris inter sacra mysteria usurpandi, quamvis Protestantes novum quoque esse hunc colorem contendunt, irridentque Cardinalem Bellarminum, quod antiquissimos auctores ea de re non producat. Violacei coloris est casula S. Martini in Codice Rabani Mauri saeculo IX scripti. Violacei coloris est casula, aureis fimbris exornata S. Callisti Papae in absida Basilicae S. Mariae transtiberinae. Nonnulla de violaceo, et violato colore panduntur in brevi notitia, seu descriptione, indumentorum Fulconis Episcopi Tolosani, exarata A. D. 1231. Quartum inter colores sacros locum sibi vindicat color niger. Varia sunt apud veteres nomina, quae in hunc censum veniunt. Niger enim in summo suo fastigio, ater vocatur a Romanis, sin vero sit citra illud obscuritatis fastigium, fuscum dixere. Suppares praeterea nigro putantur, lividus, cinereus, murinus a muribus et pramnius ab Indica gemma, de qua Plinius, et est ater cum splendore. In usu sacro fuscus color obvius saepe est pro nigro, seu atro violaceo. Sane quidem in Romana Ecclesia, statis diebus, sacrae vestes, fusci, et nigri coloris adhibitas fuisse legimus, cujus rei testem damus Alcuinum, ubi de Officio feriae VI in parasceve secundum Romanae Ecclesiae ritum verba facit, Diaconos ea die planetis fusci coloris indui consuevisse perhibet: *Pontifex autem*, inquit, *seu clerus, atque populus procedunt ad Ecclesiam. Interim vero egreditur Archidiaconus cum aliis Diaconibus de Sacrario, indutis scilicet planetis fuscis*. Verum, ne putemus atri coloris usum in divinis Officiis, aevo tantum Alcuini invectum esse, ejusque solo testimonio fulciri, musivi operis figurae, adhuc superstites in alma Urbe omnium matre, Alcuino vetustiores, hujus coloris antiquitatem oculis subjiciunt. Fusci coloris sunt planetae in musivis imaginibus Honorii. Romani Pontificis, ac alterius Romani Pontificis, quae in emicyclo absidae in D. Agnetis extra Urbem via Nomentana adhuc visuntur. In vetustissima notitia

eruta a Mabillonio ex codice Bibliothecae Thuaneae, inter S. Germani Parisiensis Antistites vestes recensentur ejusdem S. Germani fuscana casula.

V. De fusco colore, ac ejus in Ecclesia Romana veterrimo usu jam satis; ad castaneum nos convertamus, qui a fusco non est dissimilis. A colore corticis castaneae ita dictum putat Scaliger. Baronius item castaneum colorem de subobscura veste interpretatur, cui ultro accedit Gullielmus Peyeratius *in Antiquitatibus regiae Cappellae Regum Francorum*. S. Gregorii M. imago in absidula S. Andreae ad clivum Scauri, prout a Iohanne Diacono describitur, delineata erat cum planeta super dalmaticam coloris castanei. Planeta etiam Gordiani, coloris castanei fuit, ut ex eodem Iohanne Diacono liquet.

VI. Quintum et postremum inter sacros colores, quibus semper in Divinis Officiis usa est Romana Ecclesia locum obtinet color viridis. Alio etiam nomine effertur; si quidem prasinus saepe vocatur. De prasino colore apud veteres, et de prasina factione, quae et viridis, satis multa apud Iosephum Laurentium de *re vestiaria*, et apud Vossium in *Etymologico*. Quapropter smaragdus gemma, quae viridem colorem praefert, prasinus, seu prasina appellatur. De prasinis gemmis passim mentio apud vulgatum Anastasium, cujus aliquot ea de re testimonia congerit Salmasius. Hujusmodi vocem rerum sacrarum scriptores semiprisci frequenter usurparunt, ad viridem colorem designandum, licet eam aliquanto corruperint; scripserunt enim dioprasium, diaprasium. Sanctus Ansègisus Abbas Fontanellensis, sub A. D. 835 contulit Ecclesiae sui Monasterii varias casulas, inter quas viridis coloris tres. Hodoardus in Historia Remensis Ecclesiae tradit, Hincmarum Rhemensem Amalrico Turonensi Archiepiscopo in dilectionis signum misisse quaedam pretiosa ornamenta, casulam, scilicet, diaprasinam, et alia munuscula. Ex testamento Riculfi Episcopi Helenensis discimus, relictas fuisse ab hoc Antistite casulas Episcopales optimas tres, unam diaprasiam. Apud Graecos usque ad XIII saeculum non plures quam duo colores fuerunt, albus, et rubeus; idcirco Theodoretus tam-

quam novum quiddam et inusitatum refert, Acacium Constantinopolitanum Patriarcham, ut dolorem suum declararet, quam ex Imperatoris Basilii edicto ceperat adversus Chalcedonensem Synodum, veste nigra se, Altare, et Patriarchalem Cathedram contexisse.

VII. Protestantes reponunt hanc in (1) vestibus Ecclesiasticis colorum varietatem non ex mysterio, sed ex donantium, seu etiam pictorum placito fluxisse, ac proinde novitatem Latinorum esse, antiquis penitus ignotam. Candidas vestes gloriam, majestatem, et puritatem significare nos docent, primo Salvator Dominus gloriose transfiguratus in Monte Thabor, cujus vestimenta facta sunt alba sicut nix, Angeli deinde, quos vidit Maria Magdalene in albis sedentes in Iesu Christi sepulchrum Ioannes Cap. XX etsi, quos in vestibus albis astitisse viderunt Apostoli, dum euntem in coelum Dominum intuerentur Act. Cap. I. Seniores viginti quatuor, quos circa Thronum Dei sedentes vidit Iohannes in Apocalypsi, et hi erant circumamicti vestimentis albis. Haec de albo colore, qui idcirco frequentissime a sacris Ecclesiae ministris usurpatur in re divina facienda, quod eos omnium maxime puris, et candidis mentibus, non secus ac Angeli, et Sancti in coelis, qui amicti stolis albis assistunt ante Dominum esse oporteat. Ita ergo, inquit Alcuinus de *Div. Offic. Lib. II* de Celebratione Missae qui Corpus Christi in se recipere desiderat, per multos bonorum operum labores, et per mentis, et corporis puritatem debet se reddere mundum et candidum. Hinc passim in sacris color albus memoratus, hinc albis vestibus Neophyti post baptismum induebantur, quo candor innocentiae per baptismum collatae ostenderetur. Hinc est, quod ab Ecclesia Romana albus color adhibitus est in sacrosancto Missae Sacrificio, teste Divo Hieronymo, et significat gloriam, gaudium et innocentiam, ex eodem Hieronymo in Ezechielem et aliis Patribus. Color rubeus seu purpureus indicat dignitatis gradum aliis excellentiorem; humano sanguini similis est, igneam refert naturam atque ideo in variis

(1) Bona, *Rerum Liturgicarum cum additamentis Roberti Sala*, Lib. I Cap. XXIV.

solemnitatibus adhibetur, videlicet in festo Pentecostes propter Sancti Spiritus fervorem, qui in forma ignis descendit, et propter potestatis plenitudinem in igne significatam, et Apostolis datam. Item in festis S. Crucis, eo quod Sanguine Redemptoris consecrata fuit, et Passionem illius indicet idem rubeus color. Apostolorum, et Martyrum propter Sanguinem Passionis, quem pro Salvatore fuderunt. Exceptus est ab istis Sanctus Ioannes Evangelista, de quo tamquam de Virgine festum celebratur. Excepta pariter est conversio Divi Pauli ad significandam primum ejus sanctitatem: Cathedra similiter Divi Petri, in quo ut inquit Innocentius III veneramur Petrum tamquam Pontificem a peccatoribus segregatum.

VIII. Violaceus modo adhibetur color, in diebus afflictionis, et abstinentiae. Quare congruenter utitur Ecclesia violaceo colore ab Adventu ad Natalem Domini, et a Septuagesima usque ad Pascha. Similiter in quatuor anni temporibus, Vigiliis, et Litaniis, quae omnia cum sacro moerore quodam celebrantur. In festo itidem Sanctorum Innocentium, quia in eo die potissimum commemorat Ecclesia ploratum illum, et ululatum, de quo dicitur in Evangelio Matth. Cap. II· *Vox in Rhama audita est, ploratus, et ululatus multus: Rachel plorans filios suos*. Color niger propriissimus mortis color apud omnes atque ab Ecclesia Romana, et olim ab Orientali diebus moestitiae, et abstinentiae usitatus. Viridi colore utitur Ecclesia in diebus Dominicis minus solemnibus, ut vireat Dei gratia in mentibus fidelium, nec marcescat unquam in eis affectus virtutis atque iustitiae, sed vigeat semper, et floreat in iis perfectae puritatis amor, impuritatis horror, et sincerae devotionis cultus Celebriores porro Auctores qui de hujusmodi Ecclesiasticis coloribus disserunt, sunt Innocentius III, *de Mysteriis Missae Lib. I Cap. 67*; Ioannes Burcardus, *in Ordine Missae;* Gullielmus Durandus, *in Rationali Divinorum Officiorum Lib. III* Cap. 19 § 6; Ioseph Vicecomes, *de Missae Apparatu Lib. I Cap. 13;* Andreas Saussayus, *in sua Panoplia Clericali part.* 2 Lib. IV Cap. 6 § 1 et 2; Bartholomaeus Piazzain suo Tractatu italice exarato sub hoc titulo: *L'Iride sagra*.

CAPUT IX.

DE INSIGNIBUS EPISCOPORUM

DE CALIGIS ET SANDALIS.

I. Sandalia pro caligis aliquando a Scriptoribus Ecclesiasticis accepta fuisse, multis docet Angelus Rocca Tagastensis Episcopus, in opere cui titulus: *Observationes in imagines S. Gregorii a Iohanne Diacono descriptas.* Etenim ea verba Actuum Apostolorum Cap. XII v. 8. *Praecingere, et calcea te caligas tuas,* in greco textu σανδαλια pro caligis sunt ; et Hieronymus in Isaiam *Cap. XX* calceamenta, et sandalia pro eadem re sumit. Caligas autem pro calceis usurpavit etiam S. Gregorius *Dialogorum Lib. I Cap. IV,* et Iohannes Diaconus in *vita ejusdem S. Gregorii Lib. IV Cap. LXXXIII.* Isidorus praeterea in etymologiis per Sandalia, caligas intelligere videtur. Tradit laudatus Tagastensis Antistes , hodie nonnisi Romanum Pontificem, Episcopos, et Presbyteros Cardinales uti solere, et quidem a veterum sandaliorum forma dissimilibus : aliquando vero Presbyteris, ac Diaconis , et Subdiaconis in Sacrificio permissa. Re vera in consecratione Episcopi sandalia , ceu unum ex ornamentis Episcopalibus recensentur. Ortus autem videtur mos ab Apostolis quibus Dominus praecepit, ut sandalia gestarent, quo factum, ut ab Ecclesia institutum fuerit, Episcopos uti sandaliis, dum sacrificant solemniter. Quod vero de Episcopis est institutum, ut sandalia deferant, id aut Apostoli jussere aut ii primi hunc ritum induxere.

II. Sandaliorum mentio apud omnes sacrarum caeremoniarum Scriptores occurrit. Rupertus Tuitiensis sandalia, peculiaria Episcoporum facit, et mysticas eorum significationes expromit. Ita quoque Honorius Augustodunensis minutim singulas sandaliorum partes mystice interpretatur. Brevibus vero sandalia Episcoporum describit Hugo Victorinus. Nec praetereundus quae de sandaliis memoriae prodidit Sicardus Episcopus Cremonensis in *Mitrali*. Sicardo jungendus est Innocentius III

de Mysteriis Missae Lib. I Cap. XLVIII, et eum secutus ex more Guilelmus Durandus. Varia Sandaliorum genera pro varietate ministrorum sunt constituta, quae nunc abierunt in desuetudinem, illis solis pormanentibus , quibus utuntur Episcopi solemniter celebrantes. Ordo Romanus ad Abbates Sandaliorum usum extendit, agens enim de illorum ordinatione, *Episcopus*, inquit, *dat ei baculum*, et *pedules*. Sunt autem pedules idem ac Sandalia , quae Leo XI Abbatibus Cassinensibus concessit, teste Leone Ostiensi *Lib. II Chronici;* idque aliis postea ab Apostolica sede indultum fuit. Sandalia et Chirothecae non adhibentur a Pontifice in Missis pro defunctis, quemadmodum neque ab Episcopis, ut est in Caeremoniali Episcoporum. In Pontificali Guillelmi Durandi a Martenio vulgato, affertur ratio, et ea est, quia tunc ait, omnis solemnitas cessare debet. In Missa Ratoldi singularis oratio est ad sandalia induenda. Eam accipe: *Indue me, Domine, calceamentis justitiae, quem Ioannes vidit vestitum podere, ut possim tibi omni tempore cum timore servire.*

CAPUT X.

DE CRUCE PECTORALI EPISCOPORUM.

I. Nemini adhuc satis exploratum est, an primis saeculis in usu fuerit Episcopis Crucem cum Sanctorum reliquiis, quam nos pectoralem dicimus, collo appensam deferre. Eminentissimus Cardinalis Bona, et Andreas Saussajus ex alto de ea re veterum Scriptorum silentio eum ritum non admodum antiquum putant. Quo autem tempore Crucem hujusmodi pectoralem gestare coeperint Episcopi, certo statui ac definiri non potest. Insuper ex more apud Orientales recepto , Religionis, et incolumitatis causa crux collo appendebatur a Christifidelibus, et praesertim ab Episcopis, quae crux Ενκολπιον graece appellari solebat. S. Willibrodus Episcopus Trajectensis hanc Crucem etiam in itinere gestabat. Rothadus Suessionensis Episcopus in libello proclamationis, quem de se ipso obtulit. A. D. 863 affirmat, se ad Suessionense Concilium accessisse cum Cruce

pectorali. De encolpiis, idest Crucibus reliquias Sanctorum, ac vivificae crucis particulas continentibus, ab Imperatoribus gestari solitis, et fidei faciendae, vel securitatis praestandae causa, ad alios trasmissis, multa congessit Cangius in *notis ad Alexiadem Annae Comnenae*. Nicephorus Imperator multa ornamenta sacra Leoni III Romano Pontifici misit, inter quae encolpium. Ceterum ad vetustissimum morem confirmandum, ut Episcopi Crucem pectoralem, in qua Sanctorum reliquiae, ad collum deferrent, exstat praeclarus S. Gregorii Turonensis locus in libris *de Gloria Martyrum*. Refert enim Gregorius, se Crucem auream ad collum gestasse, in qua erant reliquiae Beatissimae Virginis, Sanctorum Apostolorum, et Beati Martini, cujus ope incendium restinxit, quod aqua mitigari non poterat. Alterum Crucis pectoralis egregium testimonium praebet Osbernus in *vita Sancti Elphegi martyris, et Archiepiscopi Cantuariensis*.

II. Quod autem discutiendum venit, illud est, num inter indumenta sacra Episcopalia olim adnumeraretur. Negant uti supra observavimus Bona et Saussajus, et Clarissimus Georgi, quod nusquam a Scriptoribus Liturgicis, et veteribus Sacramentariis Crux pectoralis memoretur idcirco statuunt, usum recentem esse. Praeter scriptorum sacrorum rituum ac Caeremonialium silentium, est etiam S. Thomae auctoritas, qui in Commentariis in *Libro Sententiarum*, dum enumerat indumenta Episcopis peculiaria, de Cruce nullam mentionem facit. Quid quod Innocentius III describens singularia Episcoporum ornamenta, Crucem pectoralem inter ea non adnumerat Guillelmus quoque Durandus in *Rationali* affirmat, sex indumenta Sacerdotibus, et Episcopis communia esse. At ex eodem apparet, sua ipsius aetate, nimirum saeculo XIII jam inclinante, Crucem pectoralem gestatam quidem ab Episcopis fuisse, sed nondum, inter ornamenta Episcoporum translatam, in potestate tamen Episcopis fuisse, eum adhibere, vel non adhibere. Prodit idem Durandus, Episcopum imponendo sibi, et deponendo Crucem, ipsam exosculari, ad denotandum, quod Iesu Christi Passionem quae per illam significatur, credit, et confitetur, quodque ad eandem repraesentandam in Officio Missae se parat.

CAPUT XI.

DE CHIROTECIS.

I. Chirothecarum in Ecclesia usum, sunt, qui ab Apostolis ipsis deducunt: *Chirothecarum usus ab Apostolis est traditus*; inquit Honorius Augustodunensis in sua *Gemma Animae Lib. I Cap. I et Cap. CCXV* cui sententiae adhaerent Hugo Victorinus, *Lib. I Eruditionis Theologicae de Sacramentis, Cap. IV;* Durandus, Lib. III *Rationalis Cap. XII;* Ioseph Vicecomes, *Lib. III De ritibus Missae, Cap. XXXVII;* Emmanuel Gonzalez, Bulangerus *Lib. I opusculo IV* et alii complures. Verum cum nullum extet vestigium vel apud priscos Auctores, vel in musivis operibus vetustioribus, quod Apostoli scilicet Chirotecas gestarint, gratis videntur id asseruisse praefati scriptores. Porro inficiari nos minime audemus, quin haec praeclara manuum tegmina, sive guantorum sive Chirothecarum, sive manicarum nomine significata, ab aevo sint antiquissimo Episcoporum ornamenta peculiaria; et in sacris Liturgiis, ac Caeremoniis Ecclesiasticis usu recepta. In veteri Missa Illyrici, quam Saeculo VII scriptam eruditi autumant, ubi Episcopus sacra facturus, Chirotecas induit, hanc recitat praecationis formulam: *Creator totius creaturae, dignare me indignum famulum tuum indumentis justitiae, et laetitiae inducere, ut puris mentibus ante conspectum tuum assistere merear mundus*. Fuisse haec manuum tegumenta non solum Episcopis, sed interdum etiam Presbyteris communia, addiscimus plane ab Auctore Anonymo in *Expositione Liturgiae Gallicanae* apud Martenium tomo V *Anecdotorum, pag. 99.*

II. Qualis olim essent materiae Chirotecae Episcoporum, difficile est definire. Bruno Signiensis Episcopus, *De Sacramentis Ecclesiae*, ex lino illas confectas dicit, eamque rationem assignat, ut scilicet manus, quae lineis Chirothecis induuntur, castae sint, mundae sint, et nitidae. Ex Baronio *ad annum Christi MCCCIII § IX* Chirothecae, quibus sepultus fuit Bonifacius VIII erant ex serico albo ad acum cum phry-

gio pulcherrimo. Extant similia exempla apud Laurentium Surium, et apud eruditos Bollandianos in Vitis Sanctorum Episcoporum, qui circiter annum Christi millesimum floruerunt. Ornari antiquitus auro, vel gemmis consuevisse Chirothecas, ex *Monastico Anglicano* addiscere licet, *Tomo III pag. 314* ubi legimus in Sacro Cimeliarchio Ecclesiae S. Pauli Londinensis recenseri Chirotecas gemmis, et lapidibus pretiosis ornatas.

III. Quandonam institui coeperit, ut color Chirothecarum in divinis mysteriis conformis esset colori ceterorum Pontificalium ornamentorum incompertum est. Ac ea de re vetusti silent Liturgici Scriptores. Albi coloris tantummodo fuisse seeculo XIII innuere videtur Durandus, dum scribit: *per ipsas vero Chirothecas albas castitas et munditia denotatur.* Praeterea ut observat Honorius Augustodunensis in *Gemma Animae, seu de antiquis Ritibus Missae Lib. I Cap. 215 Chirothecae sunt inconsutiles, quia actiones Pontificis debent rectae Fidei esse concordes.* Porro de Chirothecis Pontificalibus, earumque mysticis significationibus praeter Andream Saussajum, in *Panoplia Episcopali;* Iosephum Vicecomitem, *Lib. III de Missae apparatu;* Antonium Bellotte, *Observationes ad ritus Ecclesiae Laudunensis;* aliosque videri potest Ioannes Baptista Pacichellus, qui de iisdem Chirothecis Opusculum variis eruditionibus refertum edidit Neapoli anno 1683.

CAPUT XII.

DE ANULO, EJUSQUE ANTIQUITATE ET USU.

I. Anulus a vetustissimis usque temporibus inter Episcopalia ornamenta recensetur. Argumento est, quod S. Isidorus Episcopus Hispalensis disertis verbis affirmat *Lib. II de Ecclesiasticis Officiis Cap. V Episcopo dum consecratur, dari anulum propter signum Pontificalis honoris, vel signaculum secretorum.* Adde in Concilio Toletano IV statui, ut Episcopis gradu dejectis, si ad Episcopatus honorem restituantur, anulus, et ba-

culus reddantur. Anulum impositum fuisse Episcopo in celebratione Missarum docent Missae Illyrici, et Ratoldi. Insuper in Pontificali annorum 900 Egberti Eboracensis Archiepiscopi habetur ritus dandi anulum Episcopo dum consecratur, cum hac oratione: *accipe anulum Pontificalis honoris, ut sis Fidei integritate munitus.* In testamento quoque Riculfi Episcopi Helenensis A. D. 915 inter sacra ornamenta, quae reliquit, nominatur anulus aureus unus cum gemmis pretiosis. His accedit suffragium Liturgicorum Scriptorum, qui inter Episcopalia ornamenta anulos referunt, ut Honorius Augustodunensis *Lib. I Gemmae animae Cap. CCXVI* qui tradit anuli usum acceptum fuisse ex Evangelio, et Episcopum anulum gestare, ut se sponsum Ecclesiae agnoscat. Sanctus Bruno Signiensis, *De Sacramentis Ecclesiae Anulus utroque* ait *in digito Episcopi quoddam signum esse videtur, per quod Christi vicarius esse intelligitur, ut ejus sponsam, quae est Ecclesia regat, et custodiat.* Similia ferme prodit Rupertus Tuitiensis. Mysticas significationes his consimiles proferunt etiam Innocentius III et Durandus.

II. Ad precationes dicendas in anuli impositione progrediamur. In Missa Illyrici brevis haec precum formula ad anulum ponitur: *Circumda digitos meos virtute, et decora santificatione.* In Missa Ratoldi afferuntur hi duo versus:

Pignore me Fidei signatum pacis, et arra
Custodi dextra, Rex benedicite, tua Peromnia.

Haec quoad Latinos; quo vero ad Graecos, an inter ipsos Episcopi antiquitus anulos gestaverint, incompertum est, immo contrarium scribunt Iacobus a Vitriaco, Henricus Canisius, *Tom. 6 Antiq. Lect;* et Iacobus Gretserus, in *Codini Lib. I Cap. 16.* Costat tamen recentiores Graecos Episcopos hunc honorem a Latinis mutuatum non improbasse, dum ipsis etiam idem sacrum manus ornamentum in usu est.

III. Medio fere saeculo undecimo Abbatibus etiam Regularibus anuli usum concessum legimus, et quidem in vita S. Gosmini Abbatis Laubiensis *Lib. I C p. 23* apud Mabillonium *Praefat I in Saeculum VI Bened.*

§ *4*. Et Innocentius III uti ex ejus *Regesto Lib. I Epist. 518* hujusmodi privilegio eodem saeculo labente circa annum 1199 Falconem Corbejensem Abbatem ornavit. Usus anulorum Christifidelibus a primis Ecclesiae temporibus permissus fuit, ut late docet magnus Annalium parens, et Georgi multa de anulis Christifidelium disceptavit in Dissertatione *de Monogrammate Christi Domini*. Plurima praeterea de anulo Episcopali congessit Andreas Saussajus *Panopliae Episcopalis* Lib. II, praeclara etiam quaedam protulit Iosephus Vicecomes *Lib. III de Apparatu Missae Cap. XXXVIII*.

CAPUT XIII.

DE MITRA.

I. Mitra Pontificalis ex veteri Testamento sumpta est, ut recte scribit Honorius *Lib. I Gemmae* Cap. 214. Ea enim utebantur Sacerdotes, ut Sacrae Literae indicant Exodi *Cap. 29* et Levitici *Cap. 8*. Erat et profanum capitis ornamentum, quo primum Ionios, deinde Aegyptios, Syros, et Lidos usos fuisse Ethnici scriptores tradiderunt. Olim etiam pro muliebri corona sumebatur, ex qua fasciolae pendebant, unde Virgilius *redimicula Mitrae* commemorat. In Christianae Religione primis quidem Christi saeculis imponi consuevisse Mitram sacratis Deo virginibus, testatur Optatus Milevitanus *Lib. II adversus Donatistas*. Ecclesiasticae Mitrae varia a Scriptoribus vocabula imponuntur. Ab Augustino *Apex* appellatur, *Sertum cum gemmis* ab Ennodio Ticinensi, *Corona* a S. Hieronymo *Epistola ad Augustinum*, *corona Sacerdotalis* ab Ennodio supradicto, *corona gloriae* ab Alcuino, *Cidaris* ab Anselmo Lucensi Episcopo, *Phrygium* a Graecis, Nicephoro, et Balsamone, itemque a Gratiano in Decreto sub titulo *Palea*, ubi et *Diadema* etiam vocatur.

II. Quoad Mitram Episcopi spectat, sane constat, nullam ipsius fieri mentionem in antiquis Libris Pontificalibus mss. neque apud Amalarium, Rabanum, vulgatum Alcuinum, aliosque priscos auctores, qui alia sacra Pontificum ornamenta descripserunt. Hinc forte

natam plerique autumant esse opinionem eruditissimi Onuphrii Panvinii Ordinis S. Augustini, qui circa medium saeculum decimum mitrarum usum in Ecclesia Romana inceperit. Cui sententiae patrocinari strenue conatur Hugo Menardus, qui in *Notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii pag. 362* ita scribit: *Existimo, vix ante annum post Christum natum millesimam mitrae usum in Ecclesia fuisse.* At vero e contrario Mitrae antiquitatem acerrime propugnant Andreas Saussajus, *Panopliae Episcopalis, Lib. I;* Ioseph Vicecomes, Lib. III *de Apparatu Missae Cap. XXIX;* Christianus Lupus, *tomo III Dissertatione de Octava Synodo Cap. X Actione I;* et alii complures, quibus etiam suffragari videtur Thomassinus, *Parte I Disciplinae, Lib. II Cap. LVIII num. II.* In tanta scriptorum dissentione, putat Ioannes Cardinalis Bona *Rerum Liturgicarum Lib. I Cap. XXIV* utramque opinionem posse facillime conciliari, si dixerimus, Mitram quidem, qualis est hodie, nuperum ornatum esse, qui ante millesimum Christi annum vix fuerit in Ecclesia; negari tamen non posse, quin a temporibus Apostolorum, aliquod fuerit capitis ornamentum, quo peculiariter, si non omnes, aliqui saltem Episcopi usi sunt. Certe constanter id dici potest non modo de Episcopis Latinis, verum etiam de priscis Patriarchis Ecclesiae Orientalis. Martenius de *antiquis Ecclesiae ritibus Lib. I Cap. 4* art. 1 *num. 14* facem ei praebente Mabillonio *Praef. in Saeculum quartum Benedictinum part. 2.* num. 182 existimat usum Mitrae semper in Ecclesia fuisse, sed non quibusvis Episcopis absque Sedis Apostolicae concessione licuisse.

III. Mitra Episcoporum olim ab hodierna paulo humilior erat, uti videre est in antiquis Episcoporum imaginibus. Hanc sua aetate lineam, non vero sericam fuisse tradit Bruno Signiensis Episcopus, Honorius Augustodunensis in *Gemma Animae Lib. 1 Cap. 214* et Hugo Victorinus *lib. I de Sacramentis cap. 35 Mitra*, inquiunt, *ex bysso conficitur, auro, et gemmis ornatur.* Quibus adstipulatur Innocentius III *Lib. I Myst. Missae Cap. 60* Durandus vero plura de Mitra tradit *Lib. III Ration. Div. Offic. Cap. 8. num. 5*, ubi Mitram aliquando lineam esse, et albam scribit, deinde memorat quando mi-

tra auriphrygiata adhibenda sit; Durando succinit Ordo Romanus XIII jussu Gregorii X. Successu temporis apud Latinos constitutum est, ut tres Mitrarum species haberent Episcopi, pro temporum ratione ab eisdem deferendas. Leguntur insuper in vitis Romanorum Pontificum, qui scilicet post annum millesimum floruerunt, variae concessiones gestandarum mitrarum non modo Abbatibus factae, sed et Canonicis Ecclesiarum. Porro consuevisse olim in Ecclesia Latina, contexi in Mitra Deiparae, ac Christi Domini, et aliorum Caelitum sacras imagines, probari potest ex variis ecclesiasticis monumentis.

IV. Graeci Episcopi Mitras non gestant uti constat ex Simeone Thessalonicensi libro *de Templo*, ubi ait: *Episcopos Graecos aperto capite sacris fungi* quod et confirmant Iacobus a Vitriaco, ac Gretserus in *Codinum Lib. I Cap. 16.* Idem de Graecis modernis tradunt Iacobus Goar in *notis ad Euchologium Graecorum p. 431* et Cardinalis Bona *Rerum Liturgicarum* Lib. I Cap. 24. Ab hac tamen consuetudine eximendi videntur Patriarchae quos Mitra usos esse constat. Nunc vero nonnulli Graecorum Episcopi Mitram in celebrandis sacris mysteriis adhibent, ut perhibet Leo Allatius in quadam epistola ad Iacobum Goar. Est enim rotunda, non acuminata, aut oblonga, sed obtusa, qualis fere est illa, cum qua repraesentatur Callixti Papae II effigies in Bollandiano Maii Propilaeo. Mitrae materiam, ac formam egregie explicat Innocentius III Pontifex Maximus in egregio opere *de Mysteriis Missae Lib. 1 Cap. LX.* Anterior pars mitrae Novum, posterior Vetus designat Testamentum, ut cornibus utriusque Testamenti lucidis fulgens deterreat adversarios veritatis.

CAPUT XIV.

DE BACULO.

I, Variis nominibus appellatum olim Baculum Pastoralem Episcoporum, scite observat Ioannes Cardinalis Bona post Stephanum Duranti, Bartholomaeum Gavan-

tum, Iosephum Vicecomitem, et alios. Appellatur ergo *Virga Pastoralis*, et latina voce *pedum*, quod Festo auctore, est Baculus recurvus, quo Pastores utuntur ad compraehendendas oves. Honorius Augustodunensis *Lib. I Cap. CCXVII* etiam *ferulam* vocari ait, quae a feriendo nomen habet. In vitis Sanctorum *Galli*, *et Magnoaldi*, et aliorum complurium, uti videre est apud Surium, et apud Bollandianos passim, *Cambuta*, seu *Cambutta* vocatur, quae significat baculum retortum. Ab aliis dicitur etiam *Capiuta Gambuta*, *Camboca*, et *Crocia*, de quibus videri potest ad ea verba Carolus Dufresne in *suo mediae*, et *infimae Latinitatis Glossario*. Baculi Episcopalis originem, et antiquitatem trahunt nonnulli ex S. Petro Apostolorum Principe, ferunt enim a S. Eucherio Trevirensium primo Antistite, baculo quem a Beato Petro acceperat, ad vitam revocavit S. Maternum ejus socium. Testantur hoc miraculum Honorius Augustodunensis, *Serm. de SS. Petro, et Paulo;* ac Petrus Cluniacensis Abbas, *Lib. 1 Epist 2.* Atque hujus rei historiam refert Christophorus Brovverus *Annal. Trevir. Lib. II ad annum Domini 50 pag. 145 144.* Apostolorum aevo Baculi usum extitisse firmat Innocentius III *de Mysteriis Missae Lib. 1 Cap. 62* et ex ipso Spondanus ad *annum Christi 74.*

II. Baculi porro Episcopalis antiquitatem pleraque probant veterum Scriptorum monumenta. Iam a saeculo quarto eumdem Episcopis usitatum, ex Sigeberto, et Mariano Scoto testatur Baronius *ad an. 504 num. 38* ubi ait: *Baculum S. Augustini una cum ejus corpore in Sardiniam traslatum fuisse.* Cupressinos fuisse olim hujusmodi Baculos testimonium habemus in Epistolis Stephani Tornacensis. Fuerunt autem aliquando et Baculi ossei, teste Honorio in *Gemma animae.* Insuper Baculos Episcopales etiam antiquitus auro, vel argento, aliave ex materia pretiosa ornatos, aut illitos plerumque fuisse nos docent ecclesiastica monumenta. Circa Baculi formam observat Martenius *Lib. I de Antiquis Ecclesiae ritibus Cap. VIII Art. X.* num. XVIII eum olim fuisse a capite arcuatum, in ima reflexum. Forma tamen Baculi apud Orientales diversa est; non est enim in summitate curvus sive retortus, sed summa pars

desinit in globum eburneum, vel in signum crucis, vel in lignum transversum ad instar litterae Tau: vel duobus serpentibus ex ebore ornatur, qui reflexis capitibus se mutuo respiciunt. Apud Graecos, item non solum Episcopis, sed Praefectis Monasteriorum Baculum tradi in eorum ordinatione ostendit Goar in *notis ad Euchologium pag. 313* ex Codino, et Simeone Thessalonicensi.

III. Fuit quoque mos apud Latinos, ut sacris imaginibus, et literis Baculos insignirent, ut videre est apud Gavantum. Saeculo XI ne hoc etiam praetermittamus, Baculus pastoralis benedicebatur. Legitur enim benedictio Baculi in benedictionali Ecclesiae Rotomagensis, a P. Mabillonio* luci donato. Porro nedum in Ecclesia tantum cum Pontificalia exercerent, Baculum olim gestabant Episcopi, verum et cum extra Ecclesiam procederent, aut iter agerent per alium ante se deferri curabant. Quoad Latinos testatur Cyprianus Tolonensis Scriptor Vitae S. Caesarii Arelatensis Episcopi *Lib. 2. num. 17* apud Dacherium, et Mabillonium *Act. SS. Ord. S. Benedicti Saec. I Tom.* 1 pag. 673. Etiam apud Graecos mos antiquus fuit Patriarcharum Ecclesiae Constantinopolitanae pastoralem Baculum in solemnibus actibus sibi praeferre, aut praeferendum curare.

IV. Baculi significationem explicat Innocentius III *Lib. 1 cap. 62. Myst. Missae Tom.* 1 p. 333 sed et jurisdictionem designat, et ideo Marinus Romanae Ecclesiae Diaconus, et Legatus in Synodo Constantinopolitana Oecumenica VIII *act. 7 t. 10 Conc. col. 568* de Photio inquit: *Tollite Baculum de manu ejus; signum est enim dignitatis pastoralis, quod hic habere nullatenus debet.* Baculus Pastoralis a parte superiori est curvus, ut indicet Episcopum se curvare ad inspiciendos, extirpandosque pravos populi mores; acutus ab inferiori, quo subditos fideles impellere possit ad semitam mandatorum Domini percurrendam. Atque haec de Baculo Pastorali dicta sufficiant. De eodem praeterea fuse scripserunt Ioseph Vicecomes, *lib. 3 de Apparatu Missae Cap. 41;* Andreas Saussajus, *Panoplia Episcopalis* Lib. II; Ioannes Ciampinus, *Vetera Monumenta Part 1. Cap. 15* pag. 121; Dominicus Georgius

in sua Liturgia Romani Pontificis Lib. 1 Cap. 29; et Ioseph Catalanus, *Prolegomena ad Pontificale Romanum Cap. 20.*

CAPUT XV.

DE PALLIO.

I. Postremum Pontificale ornamentum est Pallium, quod solis Patriarchis, et Archiepiscopis competit. Est autem Pallium (1), fascia lanea candida, tres circiter digitos lata, in modum circuli contexta, quae humeros cingit, habetque ab utraque parte lineas in pectus, et humeros impendentes, cum sex sericis nigrisque crucibus intextis, tribusque aciculis aureis consuitur, et alligatur. Primis Ecclesiae saeculis Pallii lineae longae erant usque ad talos, uti costat ex pluribus ecclesiasticis monumentis. Olim quidem cruces purpureae fuere, idque ex remotissima antiquitate arcessitur, raro nigrae, sed postmodum nigri coloris cruces receptae sunt. In musivo Sanctae Mariae transtyberim, visitur ibi imago S. Cornelii Papae cujus Pallium, quinque cruces purpureas habet. Hodie nullae orationes in Pallii impositione dicendae praefiniuntur. Olim erat precatio ad Pallium. Fit ex lana agnorum candidorum sine macula, qui in die Sanctae Agnetis in ejusdem Ecclesia via Nomentana singulis annis offerri ad Missam solemnem, et benedici solent, ac Subdiaconis Apostolicis consignari, et in aliquo monasterio Sanctimonialium nutriri, donec veniat tempus ipsos tondendi. Ex quorum lana texuntur Pallia, quae in Basilicam Vaticanam delata super Corpora Sanctorum Petri, et Pauli ponuntur in vigilia Natalis ipsorum, ibique tota nocte dimittuntur, ac die sequenti deputatis custodienda traduntur.

II. Ejus originem controversa, atque inter doctissimos plena dissensionis est. Sunt qui illud primum in Oriente, deinceps vero ejus exemplo in Occidente usurpari coepisse contendunt, sunt qui a Marco Pontifice,

(1) Bralion, *De Pallio*, Caput I et seqq; Catalano, *Pontificale Romanum Commentariis illustratum*, Pars. 1. Titulus XIV.

quem quarto Ecclesiae saeculo floruisse costat, qui a Principe Apostolorum, qui a Silvestro, qui a Lino, ejus originem repetendam putant. Qui Patriarcharum, et Metropolitarum Pallium Imperatorum ornamentum olim fuisse, ab iisque Ecclesiae concessum arbitrantur, ii nituntur monumentis, quae intelligentium hominum judicio falsa sunt. Hujus generis est donatio Constantini Imperatoris quam re non cognita descripsit Gratianus. et ejusdem quoque indolis est rescriptum Valentiniani III Imperatoris, et de quo late disputant Baronius, ad *an. 452 num. 94*; Schelestratius, *antiqu. Eccles. diss. 4 Cap. 3 n. 7;* Norisius, *Dissert. histor., de Synodo V* Cap. 10. Porro vetustissimae illae formulae verborum, quibus semper Romani Pontifices in concedendo Pallio usi sunt, evidenter ostendunt, rem omnem gestam tantum Apostolicae Sedis beneficio, et auctoritate. Nam Symmachus, qui in exitu V et initio VI saeculi Pontificatum obtinuit, *Epistola II ad Teodorum Laureacensem tom. 3 Concil. Labbaei* sese illud largiri declaravit ex caritate Apostolica, Vigilius epistola septima ad Auxanium Arelatensem B. Petri sancta auctoritate, Gregorius Magnus *Lib. V Epist. ad Marinianum Raven. Episc. opp. tom. 2* Apostolicae Sedis benevolentia. In hac rerum obscuritate similior veri esse videtur sententia eorum, qui jam inde a prima aetate Pallium ab Ecclesia adhiberi coepisse defendunt, sumpto exemplo ex splendidissimis vestibus, quas Deus ipse dedit Aaroni, et filiis ejus inter quas praecipuum fuit Rationale, seu superhumerale de auro, et hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bisso retorta, opere polymito; duas oras junctas habens in utroque latere summitatum, ut in unum redeant.

III. Solum Romanum Pontificem in Missarum solemniis Pallio semper uti, et ubique, alios vero tum Patriarchas, tum Archiepiscopos eo nec semper, nec ubique, sed in Ecclesia, in qua jurisdictionem ecclesiasticam acceperunt, certis tantum debere uti diebus, tradit Innocentius III relatus in Cap. *ad honorem*. Nec desunt exempla, quibus edoceamur, Romanos Pontifices non modo in Missarum solemniis, sed etiam in aliis Ecclesiasticis functionibus sacro Pallio usos fuisse. Ex

Ordine Romano X de processione feriae sextae in Parasceve, quae a Lateranensi Basilica ad Ecclesiam Sanctae Crucis fiebat, colligitur, in ea processione, Pallio super planeta indutum Pontificem fuisse; narratur enim postquam Pontifex Ecclesiam Sanctae Crucis ingressus esset, intrasse Secretarium, et abstracta planeta cum Pallio, ibi aliquantisper sedisse. In Conciliis etiam Pontifices quandoque Pallio induti consederunt. Urbabus II interfuit Concilio Barensi A. D. 1097 casula, et Pallio indùtus. Gregorium X item ferunt acta Consessionibus cilii II Lugdunensis oecumenici A. D. 1274 interfuisse hujus Concilii cum ornamentis Pontificalibus, inter quae Pallium recensetur.

IV. Fuit sane varia olim disciplina circa ipsos dies, in quibus Archiepiscopi inter Missarum solemnia Pallio uti deberent. Certe si veterum Pontificum literas evolvamus, miram de iis diebus in quibus Pallium gestari debeat, varietatem inveniemus, uti videre est in Alexandri II ad Petrum Archiepiscopum literis, et in aliis quas Urbanus II ad Eliam Archiepiscopum Bracharensem misit. Iuxta Pontificalem Romanum dies, quibus Pallio uti potest Patriarcha, sive Archiepiscopus, hi sunt: Nativitas Domini nostri Iesu Christi, Circumcisio Domini, Epiphania Dòmini, Dominica in Palmis, Feria V in Coena Domini, Sabbatum Sanctum, Dominica Resurrectionis cum duobus diebus sequentibus, Dominica in Albis, Ascensio Domini, Dominica Pentecostes, Festum Corporis Christi, Festivitates quatuor B. Mariae semper Virginis, Festum omnium Sanctorum, Festivitates omnium Apostolorum, Dedicationes Ecclesiarum, Consecratio Episcoporum, et Virginum, et in die anniversaria, quam Archiepiscopus celebrat suae consecrationis, dieque item anniversaria consecrationis Ecclesiae. Singulari privilegio Cardinalis Episcopus Ostiensis, cum Romanum Pontificem consecrat, Pallio utitur. Latini Titulares Patriarchae Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, et Ierosolimitanus, quemadmodum et Archiepiscopi in *partibus* Pallii honore non fruuntur usus enim Pallii propriae cujusque provinciae finibus circumscribitur, ut constat ex Titulo Decretalium *de auctoritate et usu Pallii:* hi autem om-

nes extra provinciam suam commorantur. Quamvis Pallium sacrum insigne sit, quod solis de jure competit Archiepiscopis; attamen, ex Summi Pontificis privilegio, nonnulli simplices Episcopi consueverunt Pallio condecorari. Syagrio Augustodunensi Episcopo ejusque Successoribus Pallii honorem delatum a S. Gregorio Magno, discimus ex ejusdem Gregorii Epistola II. Mos aliquando in Ecclesia fuit, ut nonnisi Romam, et ad limina Apostolorum venientibus, adeoque praesentibus Sacrum Pallium traderetur. Id profecto auctoritate Pontificum suorum antecessorum decretum jam olim fuisse, testatur in litteris ad Brunonem Episcopum Veronensem S. Gregorius VII Lib. I *Epist. XXVI.* Idipsum confirmat Lib. IX *Epist. I* ubi cunctationes Episcopi Rotomagensis, et petendi Pallii procrastinationes damnavit. Testis denique ejusdem disciplinae luculentissimus est S. Petrus Damianus. Antequam tribuatur, exigitur juramentum fidei, et obedientia erga Summum Pontificem; idque praesens emittit coram primo Diacono Cardinali, absens autem ab Urbe coram aliquo Archiepiscopo, cui res tota a Romano Pontifice commissa est.

V. Quanta autem reverentia Pallium ab Episcopo delatum in vase argenteo, ab Archiepiscopo susciperetur, eidemque imponeretur, pluribus narrant Eadmerus Lib. 2 et 5 *Novorum pag. 34;* et Willelmus Malmesburiensis, *lib. I de Vitis Pontificum pag. 220;* Leo VII. Gesta Innocentii III Papae p. 64, Durandus lib. 3 c. 17. Sumpto Pallio Archiepiscopus ea, quae sunt sui muneris propria, recte exercere potest, antea non potest; adeout et provincialem synodum indicere, et chrisma conficere, et Episcopos consecrare, et cetera non solum metropolitica, sed etiam Episcopalia munera obire prohibeatur, imo ne Archiepiscopi quidem mereatur nomen. Graecis Episcopis commune esse Pallium docet Simeon Thessalonicensis *Lib. de Templo, et Missa.* Familiare insuper apud Graecos fuit ovem errantem, quam Dominus humeris impositam ad gregem reportavit, per Pallium designare. Honorius Augustodunensis ideo ait portari Pallium inter Missarum solemnia, quia in eo enitent maxime mysteria Passionis, quae omnia fusius in suo libro *de Gemma*

Animae exponit. Insuper adnotandum est, quod Archiepiscopi Pallio induti sepeliri solent, quia ovium sibi subditarum animas coram Deo repraesentare debent. Adeo autem Pallium personam respicit Archiepiscopi, tanquam Metropolitani illius Ecclesiae, cui praeest, ut si ipse in aliam Ecclesiam similiter Archiepiscopalem transferatur, adhuc novum Pallium a Romano Pontifice petere teneretur. Cum Pallium sit personale, ideo alteri commodari nequit, neque in morte alicui relinqui; sed Patriarcha, vel Archiepiscopus cum eo sepeliri debet. Sepeliuntur autem Archiepiscopi cum Pallio, super humeros imposito, si in propria Provincia, sub caput in aliena.

VI. Inter speciales prerogativas Basilicae Sancti Petri in Vaticano, quarum meminit Petrus Mallius ejusdem Basilicae Canonicus tempore Alexandri III, haec recensetur, quod *in ea tantum vigilantur Pallia*, quae a Summo Pontifice, Patriarchis, et Archiepiscopis mittuntur: Maphaeus autem Vegius alter Sancti Petri Canonicus Lib. II *Rerum Memorabilium Basilicae Sancti Petri*, piam supplicationem describit, quae ab ipsius Basilicae Clero, cum cantu Psalmorum Poenitentialium, Litaniarum, aliarumque precum fiebat, dum ad Pallia benedicenda procedebatur; atque addit nocturnas vigilias ea occasione ita celebrari consuevit. De hujusmodi Vigiliis similiter mentio est in Libris Sacrarum Caeremoniarum Ecclesiae Romanae, qui tribuuntur Christophoro Marcello Archiepiscopo Corcyrensi. Pallia, quae benedicenda erant, auratae pelvi imposita, ab ipsius Vaticanae Basilicae Canonico Altarista nuncupato, comitantibus duodecim ejusdem Basilicae Beneficiatis ad Confessionem B. Petri deferebantur. Episcopus vero qui Matutinis Officiis adstiterat, post decantas Laudes, Pontificalibus adhuc indutus, una cum assistentibus Ministris paratis, et Clero Basilicae, ad Confessionem ipsam descendebat, Pallia aspergebat aqua benedicta, tum incenso adolebat, ac demum solemnis Benedictionis preces super illa recitabat. Hodie vero expletis Vesperis, descendat ad Confessionem unus ex Auditoribus Causarum Palatii Apostolici, sacris subdiaconalibus vestibus indutus, et subsequentibus Pontificiae Consistorialis Au-

lae Advocatis, atque praeparata Pallia coram Pontifice, aut Cardinale Pontificalia exercente offerent. Ipse autem Pontifex, seu illius vice, ut praefertur, Cardinalis ille, qui Officio in Pontificalibus adstiterit, Pallia praedicta adspergit aqua benedicta, tum inceuso adolet, deinde super ea preces, et Benedictiones pronunciat.

CAPUT XVI.

DE CALICIBUS ET PATENIS.

I. Primum locum inter sacra (1) ministeria jure sibi vindicant Calices quos Optatus Lib. VI Cap. II Christi Sanguinis portatores esse dixit. Continent enim ipsum Christi Domini vivificum sanguinem, ideo principe loco recensendi sunt. Ecclesia Catholica igitur exemplo Redemptoris edocta, qui in Calice suum sanguinem consecravit, Calicibus ad ipsam consecrationem peragendam, et ad Sanguinem Iesu Christi distribuendum semper usa est. Calices quidem ab Apostolis adhibitos in consecratione, ac distributione Sanguinis Christi apertissime testatur Paulus in Epistola prima ad Corinthios Cap. X vers. 16: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Testantur et antiquissimi Patres, quibus et posteriores adstipulantur. Itaque non abs re in primis arbitramur, varia sacri Calicis nomina explicari. Appellatus est autem *vas Dominicum*. Concilium enim Arelatense Can. XIII *Conciliorum Tom. 1* p. 1416 A. D. 314 sacros Calices, *vasa Dominica* nominavit. S. Athanasius, *Apologia* I *contra Arianos num. II tom.* 1 pag. 133 *novae editionis poculum mysticum*, Ambrosius, *De officiis* Lib II Cap. XXVIII item *poculum mysticum:* et *vasa Sacramentorum*, ea vasa dixit, in quibus Christi corpus et sanguis conficitur, et Synesius Cyrenes Episcopus in *Catastasi* pag. 301 *mystica vasa*.

II. In ipsis Ecclesiae primordiis, vitreis Calicibus Christi sanguinem consecratum, atque dispensatum fuis-

(1) Georgi, *De Liturgia Romani Pontificis, Disquisitiones de sacro ministerio*, Cap. III.

se, rerum sacrarum Scriptores praestantissimi tradiderunt. Hos inter magnus Baronius in notis ad *Martyrologium die* VII Augusti. Verum haec de Calicibus vitreis non ita accipienda esset monet ipse Baronius, ut apud omnes promiscue vitrea vasa pro Sacrificio in usu essent, nam in nonnullis Ecclesiis *argentea*, vel aurea, ipsis etiam persecutionibus increbescentibus, ad divinum ministerium vasa fuisse, non uno testimonio demonstrat, praesertim de Ecclesia Africana ex Optato, et Augustino. Sed instar omnium est illustre testimonium pro Ecclesia Romana apud Prudentium in hymno de S. Laurentii martyrio, et itidem ex S. Ambrosio *Libro* II *de Officiis* Cap. XXVII num. 136. Si ecclesiasticas evolvamus historias, Calices ex alia atque alia materia fuisse, et multiplici formatos varietate invenimus. Approbatus autem fuit fere semper usus, ut in Calicibus argenteis magis, quam stanneis sacra mysteria conficerentur. Nam in libello de miraculis S. Augustini Episcopi Cantuariensis, auctore Gotselino monacho habetur,· *Saecul. 1 Benedict.* pag. 554 Augustinum ex argento conflari jussisse insignem Calicem ex argento, stanneo rejecto. Reddita Ecclesiae pace sub Constantino Magno, et deinceps coeperunt Ecclesiae aureis, argenteis, et gemmatis Calicibus abundare. Quis ignorat Constantinum Magnum plurima ex argenteo, et auro vasa ad sacra mysteria peragenda multis Ecclesiis munificentissime contulisse, qua de re Eusebius, Socrates, et Sozomenus, ac Liber Pontificalis, Constantini pietatem summo consensu in his elargiendis donariis celebrant. Chrysostomus aureum Calicem et gemmis ornatum commemorat *Homilia* 51 *in Matthaeum*. Saeculo V S. Perpetuus Episcopus Turonensis, qui testamento condito A. D. 474 apud Dachery *Spicileg.* tom. V pag. 106 duos Calices aureos Ecclesiae suae dedit, ac legavit. Omitto reliquos ejusdem vel sequentium saeculorum, quorum testimonia in re clarissima superflua sunt. Inter Calices autem aureos, gemmis distinctos, et argenteos, quos Ecclesiis donatos legimus, nonnulli passim occurrunt magni ponderis non usui sed ornamento. Conradus Episcopus in *Chronico Moguntino* sacra vasa illius Ecclesiae describens Calices recenset

tantae quantitatis, quod cum ipsis divina mysteria nequaquam poterant celebrari: quorum unus duas habebat ansas, quae poterant manus replere levantis. Carolus Magnus apud Anastasium in vita Leonis III obtulisse dicitur Calicem majorem cum gemmis et ansis duabus pensantem libras LVIII. Idem Anastasius in Gregorio III commemorat inter donaria Calicem cum gemmis pensantem libras XXXIV et in Leone IV Calices majores ex argento purissimo, qui pendent inquit, in arcu numero X et aliós, qui pendent inter columnas numero XI. pensantes simul libras CCLXVII. Habebant hi catenulas et ansas, quibus ante Altare diebus festis appendebantur. Prioribus autem temporibus tuto affirmare possumus, etiam picturas Calicibus Eucharisticis apponi consuevisse, quod ex Tertulliano colligitur Lib. de *Pudicitia* Cap. 7.

III. Calicum autem variae fuerunt species. Fuerunt enim *Calices ministeriales*, *Offertorii*, *majores*, *et minores*. Iosephus Vicecomes Libro VI de *Missae apparatu* Cap. XII recte animadvertit, *Calices ministeriales*, eos tantum dictos esse, qui tradendo Fidelibus Christi sanguinem inserviebant. Deinde sciscitatur, num in Calicibus ministerialibus Sanguinis Christi consecratio fieret, an vero in eos ex alio Calice sanguis effunderetur pro Fidelium communione. Propondet autem laudatus Vicecomes in eam sententiam, ut Calices *ministeriales* super altari ponerentur, ac in iis Christi Sanguinis consecratio fieret; sed conjecturas Vicecomitis corruere, ex his quae subjiciemus, probe intelliges. In Ordinibus Romanis primo et secundo unus tantum Calix pro consecratione sanguinis memoratur. Tertius autem Ordo tres Calices designat, nempe *majorem*, in quo recipiebantur primi vini oblationes; *scyphum* seu *Calicem ministerialem*, qui et Calix major dictus est; et *Calicem sacrum* in quo fiebat consecratio. Apud Amalarium unus tantum Calix pro consecratione Sanguinis memoratur. Perduravit autem mos iste in Ecclesia Romana, ut Calices tres in Missa solemni Romani Pontificis, adhiberentur usquequo laicis utriusque speciei communio dispensata fuit. Porro ministeriales Calices erant ex auro, et argento, ut ex multis Libri Ponti-

ficalis locis patet. Dicti sunt majores, et minores, non a praestantia materiae, sed a magnitudine, vel parvitate vasis. Erant et Calices *Offertorii*, qui Cangio ii videntur esse, in quos amulae, scilicet vini oblationes, in ampullis, et phialis positae, a Diaconis refundebantur. Ab auctore demum Libri Pontificalis variae Calicum species enumerantur nimirum: *Calix praecipuus, pensantilis, fundatus, gemmeus, reticulatus, catenatus, ansatus, tetragonus, et imaginatus*; de quibus speciebus abunde egit Andreas Saussajus in *Panoplia Sacerdotali* Lib. VIII pag. 1 Cap. XIV art. II. Antiquiorum Calicum formam rotundam, patente apertoque ore fuisse censet Vicecomes Lib. VI de *Missae Apparatu* Cap. XIV in fine. Porro de sacris antiquorum Calicibus, eorumque materia, forma, variis speciebus, figuris, et nominibus legendi sunt Ioseph Vicecomes, *De Missae Apparatu* Lib. VI Cap. 8; Casalius, de *sacris Christianorum ritibus* Cap. II; Andreas Saussajus, in sua *Panoplia Sacerdotali* lib. VIII; Bellotte, in suis *Observationibus ad ritus Ecclesiae Laudunensis* p. 446 et seqq; Marcus Antonius Boldettus, in opere italice exarato *Osservazioni sopra i Cemeteri de' SS. Martiri*.

IV. Inter sacra Vasa, quae (1) ad Sanctissimae Eucharistiae usum a primis usque temporibus addicta fuere, nullus dubitat recensendas esse *Patenas*; sic dictae a patendo, qua voce usus est Columella Lib. XII Cap. 43. Graeci *Discon* vocant. An Salvator consecratum panem in disco, seu patena posuerit, non exprimunt Evangelistae: ejus tamen usum aevi Apostolici esse Liturgia Iacobi ostendit. Formam Patenarum concavam, rotundamque fuisse, haud dubium, id enim, cum ipsa Patenae nomenclatura pandit, tum ipsa necessitas exigebat: ut scilicet aptiori, et commodiori forma caperet oblatas, quas rotundas fuisse demonstrat Bona *Rerum Liturgicarum Lib. III* Cap. 23. Nam licet primis Ecclesiae temporibus integri, ac solidi panes, cujuscumque figurae, vel formae forent, a Fidelibus offerrentur; reddita tamen Ecclesiae pace, servatam figuram rotundam, seu orbicularem notant Patres Graeci

(1) Pauli, *De Patena argentea Forocornelius;* Cap. 1 et seqq.

ac Latini. Quod ad ejus materiam attinet, idem de Patenis ad Sacrificium adhiberi solitis ferri debet judicium, quod de Calicibus. Erant autem et Patenae ministeriales caeteris ampliores, quae distribuendae populo Eucharistiae deserviebant. Erant et Chrismales ad usum Baptismatis, et Confirmationis.

V. Nemo autem nescit, plurimas in Ecclesiarum gazophilaciis fuisse Patenas mirae magnitudinis, non tam ad usum, quam ad ornatum Altaris. In quibusdam veteribus Patenis sacrae quaedam Imagines et Hieroglyphica insculpta conspiciuntur. Harum unam memorat Ioannes Diaconus in vita S. Athanasii Episcopi Neapolitani scribens: *eum ex argento fecisse magnam Patenam sculpentem in ea Vultum Salvatoris*, *et Angelorum*, *quam* intrinsecus auro perfudit. Et Cl. Boldettus de' *Cemeterii* pag. 191 unam exhibet vitream, in cujus medio orbiculo imago apparet SS. Apostolorum Petri, et Pauli. Antiquissimam et elegantissimam Patenae formam, qua olim utebatur S. Petrus Chrysologus eruditissime explanavit Ioannes Pastritius peculiari opere edito anno 1706. Visitur in ejus Patenae medio agnus cum Cruce, et aliis Symbolis. Sculptum in Patena vultum Salvatoris refert Anastasius in vita Gregorii IV. Nec figuris tantum, et caelaturis, sed inscriptionibus etiam ornabantur Patenae. Utriusque tam Patenae, quam Calicis consecrandi ritum unctione Chrismatis, certisque precibus adhibitis a Veteri Testamento ad novum profluxisse, rectissime quidam Scriptores censent. Ideo vetitus utriusque tactus profanis hominibus decreto Sisti I a quo ait Liber Pontificalis, constitutum, ut ministeria sacrata non tangerentur, nisi a sacris Ministris. Neque (1) licitum unquam fuit extra Scevophylacium, seu Diaconicon, quod Latini Secretarium dicebant, illa asportare, aut in domibus privatis conservare. Hinc S. Athanasius *Apologia secunda* a calumnia confracti Calicis, quam finxerant adversus ipsum Ariani, sufficienter se purgat dicens locum illum, in quo confractum poculum jactitabant, Ecclesiam non fuisse, cum mysticum poculum nusquam nisi apud legitimos Ecclesiae Presides inveniatur.

(1) De Pyxide vide *Tractatum* de *Benedectionibus* Tit. XI.

LIBER DUODECIMUS

DE LITURGIIS.

CAPUT I.

DE LITURGIA DIVI IACOBI APOSTOLI.

I. De Liturgia Iacobi fratris (1) Domini Hierosolymorum Episcopi omnium celeberrima, paulo fusius disserendum est. Scripsit de illa eruditissimam Epistolam ad Bartoldum Nihusium Leo Allatius in ejus *Symmictis* editam pag. 176 qua eam ab haereticorum oppositionibus vindicat, et prolatis antiquorum testimoniis genuinum Iacobi foetum esse demonstrat. Magni autem ponderis ad ejus veritatem stabiliendam, in primis est perpetua Ecclesiae Graecae traditio, quae illam semper ut legitimam agnovit. Consentiunt Graecis Syri, qui teste Abrahamo Ecchellensi in notis ad Hebediesu de *Scriptoribus Chaldaicis* pag. 135 asserunt S. Iacobum primum omnium Liturgiam scripsisse, et ad ejus normam caeteras institutas fuisse: idque confirmat Abraham Ioannis Maronis, qui intra sextum et septimum vivebat saeculum, aliorumque antiquorum testimonio,

(1) Bona, *Rerum Liturgiarum cum* notis Roberti Sala, Lib. I Cap. VIII et seqq; Pamelius, *Liturgicon Ecclesiae Latinae*, Tom. I, *Vicecomes*, de *Missae Ritibus*, Cap. XXII; Grancolas, Les *anciennes Liturgies*, pag. 309 et seqq.; Le Brun, *Explication des Cerimonies de la Messe*, Tom. II Diss. V, Mabillon, *de Liturgia Gallicana* Lib. I Cap. II n. 16, Kraser, De Liturgiis, Cap. IV et seqq; Martene, *De antiquis Ecclesiae Ritibus*, *Lib.* I *Cap.* *3. art. 1. n. 9*; Georgi, *de Liturgia R. Pontificis*, Lib. I Cap. 2.

qui in ejus Liturgiae Commentariis affirmant hanc traditionem ad ipsos per manus deductam a tempore Apostolorum. Accedunt traditioni ejusdem exemplaria in vetustissimis Codicibus exarata, et ex ea Veterum Patrum excerptae apud Allatium auctoritates ad Catholicae Fidei dogmata comprobanda. Manuel Malaxus in *Homocanone* Cap. 220 eam in usu fuisse ait usque ad tempora Basilii Magni ejusque meminit Proclus in *Tract. de traditione Divinae Liturgiae* et Cyrillus Herosolymitanus multa ex ea transtulit in quintam Catechesim mystagogicam.

II. Varias adhibent cavillationes ad eam abolendam Protestantes, sed omnem ipsorum conatum irritum esse facile ostenditur. Ajunt reperiri in ea vocem *Homousion* ante Concilium Nicaenum ignotam; vocem quoque *Theotocos* in Concilio Ephesino repertam. At id temere et falso ab illis dicitur. Nam Divus Athanasius in *Libro de Decretis Concilii Nicaeni* auctores profert, qui nomine Homousii ante ipsum Concilium usi sunt. Theodoretus item Lib. I *Hist. Eccl. Cap.* 13 eam vocem non esse novam aït, neque a Patribus Nicaeae congregatis inventam, sed a majoribus receptam. Et ut alios sileam, ipsemet Eusebius Caesariensis Arianae factionis propugnator hoc idem asserit apud Theodoretum ibidem, et apud Socratem Lib. I Cap. 5. Simili modo ante Concilium Ephesinum B. Virginem *Theotocon*, idest Dei Genitricem nuncupatam Evagrii testimonio evincitur, qui Lib. I *Hist. Cap.* 2 Nestorium repraehendit, quod hanc vocem a multis spectatisque Patribus usurpatam rejecerit: cui consentit Theodoretus Lib. IV *haeret. fabul.* Cap. 12 dicens, antiquissimos Fidei Orthodoxae Praedicatores juxta traditionem Apostolicam Matrem Domini Deiparam nominasse et credidisse. Ajunt insuper Trisagion et Doxologiam recentioris aevi esse, atque inde concludunt perperam tribui Iacobo hanc Liturgiam, in qua ista reperiuntur, sed nugas agunt, nam Hymnus ter sanctus Isaiae Cap. 6 et Apocal. Cap. IV v. 8 legitur; et Glorificatio Sanctissimae Trinitatis ab Apostolis emanavit, qui cum credentes baptizarent in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, eos docuerunt Patri et Filio et Spiritui Sancto solemnem Doxologiam de-

cantare. Ajunt denique alia quaedam in ea esse, quae recentiora sunt. Hoc probandum ipsis erat; ajunt enim illi, nos negamus. Sed ultro concedamus nonnulla addita a recentioribus ut in similibus fieri solet, an 'dcirco abiiciendo omnia velut spuria, illa etiam quae enuina sunt? An ideo Pentateuchum Moysi tribuenım non erit, quia in fine Deuteronomii ipsius mors sepultura ab alio scriptore addita est? Non est hominis sani sic argumentari.

CAPUT II.

DE LITURGIA S. CLEMENTIS.

I. Liturgia S. Clementis est illa, quae reperitur in Libro octavo Const. Apostol., et quae Clementis Romani Pontificis, et Apostolorum Discipuli nomen praesefert. De hac Liturgia testimonium perhibet S. Proclus Archiepiscopus CP. in Tractatu de Traditione Divinae Missae. Bellarminus in Libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* opinatur genuinam esse Liturgiam Divi Clementis. Alii tamen Scriptores, qui negant Clementem Apostolicarum Constitutionum Auctorem esse, ab eo pariter abjudicant Liturgiam, quae pars illarum notabilis est. Certum tamen apud omnes, et exploratum nunc est, ut ait Cardinalis Bona Lib. I Rerum Liturgicarum Cap. 8. n. 4 quod si ab Apostolis immediate dictatae non fuerunt, Concilio tamen Nicaeno antiquiores sunt, et in illis continetur Disciplina Ecclesiastica, qua Orientalis Ecclesia sub Ethnicis Imperatoribus ante Magnum Costantinum regebatur, ut eruditissimus P. Iohannes Morinus, docet part. 2 de *Sacris Ordinationibus* pag. 20 cui adstipulatur Iohannes Fronto *in Praenotatis ad Kalendarium Romanum*. Petrus de Marca Lib. V *Concordiae Cap. 2* Auctorem praefatarum Constitutionum saltem saeculo tertio floruisse tradit, idque omnibus hodie persuasum esse adstruit. Firmum igitur remanet, quod Liturgia Clementis nomine inscripta, si non genuinus foetus dicti Pontificis, saltem antiquissima est, et a Patribus secundi vel tertii Saeculi usurpata; et ideo ejus testimonio doctissimus Cardinalis Bona frequenter utitur.

CAPUT III.

DE LITURGIIS SS. CYRILLI ET BASILII.

I. Cyrillus Hierosolymitanus in suis Catechesibus plures exhibet formulas in conferendis Baptismi, Confirmationis, et Eucharistiae Sacramentis sua aetate adhibitis, tum integram exhibet pene Liturgiam pro Sacrificio Altaris, praesertim longam praefationem, quam hymnum appellat, orationem consecrationi praeviam, et alias orationes post consecrationem pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus etc. pro defunctis.

II. Sanctus Basilius Episcopus Caesareae, adhuc Presbyter in usum Ecclesiae Caesariensis Liturgiam conscripsit, quam Nazianzenus, qui hujus rei nobis fidem facit, Precum descriptiones, et Sacrarii concinnitates vocat. Ejusdem Basilii Liturgiae intra dimidium ab aetate Basilii saeculum meminere quoque Petrus Diaconus De *Incarnatione inter* Opp. *Fulgentii*, et Proclus Constantinopolitanus de *Traditione Divinae Liturgiae;* qui expresse precum formulas in ea contentas significant. Tum Basilius ipse pluribus in locis, uti *Epist.* LXIII et CCXLI ac LXVIII precationum formulas pro omnibus hominum ordinibus in Ecclesia fieri solitas indicat. Ac earumdem etiam sectiones aliquot expresse exhibet, ac tandem de psalmis alternatim canendis loquitur, tum et de hymnis Athenogenis aliisque canticis, quae jampridem in divini cultus ministerio cani consuevisse scribit. Iacobus Goar Ordinis Praedicatorum vir doctus, sacrorumque Rituum peritissimus in Graecorum Euchologio pag. 185 ex gemino fine, quem sibi Basilium in edenda Liturgia praefixisse asserunt Proclus et Auctor vitae, geminam quoque ab ipso diversis temporibus scriptam fuisse suspicatur. Unam proxiliorem, quo diutius Deo vacaret, alteram breviorem, ne populo et ipsis sacris ministris taedium pareret: et hanc putat Goar posteritati traditam, omniumque consensu approbatam. Ac quicquid sit de hac conjectura, illud certissimum est duplicem extare Basilii

Liturgiam, unam e Graeco translatam, quae incipit: *Dominus Deus noster*, etc. Alteram ex Syriaco sermone ab Andrea Masio latine redditam, quae *Anaphora* inscribitur, et sic incipit: *Aeterne Deus, qui in principio homines creasti ad immortalitatem:* et a graeca in multis diversa est, et multo brevior. His accedit tertia a praedictis etiam differens, quam Victorius Scialach Maronita ex vetusto Codice lingua Aegyptiaca cum Arabica interpretatione scripto in latinum transtulit, quae Bibliothecae Patrum inserta est, et ab hac oratione exorditur: *Domine qui nosti corda omnium.* Ipsa quoque graeca exemplaria dissimilia esse agnoscit Goar, adeo ut difficile sit judicare quinam sit purus et germanus Basilii textus. Observavit hanc diversitatem praedictus Scialach, ejusque reddidit hanc rationem; quod sicut Latini et Graeci Antistites in suis Liturgiis, multa vel addiderunt vel immutarunt; idem etiam ab Alexandrinis et Aegyptiis par est credere pro temporum opportunitate factitatum.

III. Porro Liturgia Basilii certis dumtaxat diebus utuntur Graeci, in Dominicis scilicet sanctae et magnae Quadragesimae, dempta Dominica Palmarum, in sancta et magna Feria quinta, in magno Sabbato, in Vigilia Nativitatis Iesu Christi et Epiphaniae, et in die festo ipsius Basilii. Est et alia apud Alexandrinos celebris Liturgia, eaque S. Gregorio Theologo scilicet Nazianzeno tribuitur. Hanc idem Assemanus ex Renaudotio Graece et latine, ex Missali Coptitarum exhibet. Neque illud omittendum, ubi Ecclesia Alexandrina a Dioscoro miserrime ab Ecclesia Romana divisa est, apud hujus sectatores novam obtinuisse Liturgiam ab eo appellatam. Praenotatur *Anaphora Sancti Dioscori Archiepiscopi Alexandriae.*

CAPUT IV.

DE LITURGIA S. IOANNIS CHRYSOSTOMI.

I. S. Ioannes Chrysostomus CPolitanus Antistes Basilii Liturgiam rursus breviori methodo contraxit, et reliquo anni tempore Graeci utuntur. Hanc Chrysostomi

Liturgiam edidit in suo Euchologio Iacobus Goar, et cum pluribus tam impressis quam MSS. exemplaribus contulit, discussit, et notis illustravit adeo copiose et erudite, ut nihil ejus diligentiae addi possit. Plura adversus hanc Liturgiam opponunt Protestantes, ut eumdem Auctori suo Chrysostomo detrahant, sed irrito conatu. Ait enim Oudinus in sua *Scriptorum Ecclesiasticorum Historia*, ipsius sacri Doctoris non esse hanc Liturgiam, in ea enim, inquit, Beatissima Virgo Maria praedicatur penitus incontaminata, honoratior Cherubim, et gloriosior incomparabiliter Seraphim: quod a Chrysostomi doctrina alienissimum esse solitis suis cavillationibus, et sophismatis probare nititur, quasi Chrysostomus indignum aliquid de Beatissima semper Virgine senserit in scriptis suis, uti falso jactat malignus iste Apostata, et SS. PP. calumniator. Porro, quod Maria Virgo fuerit penitus incontaminata apertissime asserit Chrysostomus Oratio in Beatam Virginem his verbis: *Virgo innocens sine macula, omni culpa vacans, intemerata, impolluta, sancta Anima, et Corpore, sicut lilium inter spinas germinans.* Quod autem fuerit honoratior Cherubim, et gloriosior incomparabiliter Seraphim, idem Oratio in Hypapante Dom. *Virgo*, inquit, *coelestibus potentiis praestantior, illae enim cum timore, et tremore assistunt velantes faciem suam.*

II. Haec clarissima sunt, neque verborum circumlocutione fucata; quare si haec alibi dixit Chrysostomus, occur eadem dicere non poterat in Liturgia? Hoc ipsum, videlicet quam sancte, pie, ac devotissime, senserit de Beatissima Virgine Maria Chrysostomus satis superque, et ad evidentiam ostendit Hippolytus Marraccius tum in sua *Polyanthea Mariana*, ubi innumera ejusdem Chrysostomi Elogia de B. Virgine profert, tum in *vindiciis Chrysostomianis*, seu de S. Io. Chrysostomo in Controversia Conceptionis ejusdem Beatissimae Virginis Mariae ab adversariorum imputationibus vindicato edit. Romae 1664.

III. Praeter hasce liturgias alia Graecis in usu est, quam vocant *Praesanctificatorum*, et cum Liturgia S. Gregorii Nazianzeni confundit Ludovicus Iacobus a S. Carolo *Biblioth. Pontif.* pag. 86 et 88. Eam Graeco-

rum plerique S. Gregorio magno seu ut illi ajunt, dialogo tribuunt, quamvis Goario teste in *Euchologio* non desint, qui Basilio, aut Gregorio II Papae, aut Germano Patriarchae CPolitano adscribant. Exstat et alia Liturgia in *Chronico Alexandrino*; quod Carolus Cangius emendatius edidit. Eam Mabillonius de *studiis Monasticis* Tom. II Cap. 20 observandam proponit, scriptamque censet tempore Heraclii Imperatoris, saeculo scilicet septimo decurrente. Alia demum ea est, quam ex Latino S. Gregorii Magni exemplo graecam fecit Georgius Codinus. Exstat hujus Liturgiae recentior graeca versio quae Emmanuelem Chrysoloram auctorem habet.

IV. Harum, quas enumeravimus, Liturgiarum plures a viris doctis junctim editas reperio. Basilii, Chrysostomi, et Praesanctificatorum Liturgiae prodierunt graece Romae anno 1529 cum Germani Archiepiscopi CPolitanae Ecclesiae historia et mystica theoria. Easdem Liturgias P. Iacobus Goarius in Euchologium intulit, ac versione donatas variis lectionibus, notisque illustravit. Georgius quoque Wicelius in libro, quem inscriptum *Exercitamenta verae pietatis* Moguntiae apud Franciscum Behem evulgavit, Liturgiam S. Basilii, Missamque Aethiopum Christianorum in Africa latine exhibuit. Iacobi porro itemque Basilii, et Chrysostomi Liturgias graece Parisiis excudit Guilielmus Morellius. Ceterum in Bibliothecis Patrum cum antiquioribus, tum recentioribus aliquot ejusmodi Liturgiae continentur.

CAPUT V.

DE MARONITIS EORUMQUE LITURGIIS.

I. De Maronitis, eorum nomine, et origine bene multa disputant Eruditi. Hos a quodam Marone haeretico Monothelita nomen sortitos fuisse, ex Willelmo Tyrio sentiunt Cardinalis Baronius ad an. 1182 n. 4, et Spondanus ibidem, Ioannes Morinus, aliique quos secuti sunt Cardinalis Bona, item Gravesonus Hist. *Eccl.* Saec. XV coll. 4 edit. Ven. pag. 127. Econtra Pagius in Critica Baronii ad an. 635 n. 5 ubi luculenter ostendit eosdem Maronitas semper Catholicos fuis-

se, fideique Orthodoxae acerrimos assertores et vindices, et ex S. Marone Abbate originem duxisse, quorum proinde adversus Eutychium Alexandrinum, Guillelmum Tyrium, et Morinum vindicias agit. Pagio suffragatur eruditissimus Scriptor Iosephus Simonius Assemanus Tom. I *Bibliothecae Orientalis pag. 498* et seqq. 507 508 ubi de gentis suae Orthodoxia, et origine in S. Marone Abbate evidenter confirmat. His accedit Apostolicum Benedicti Papae XIV oraculum in sua Allocutione habita in Consistorio semipubblico sub die 13 Iulii 1744 inter Acta pubblica Nationis Maronitarum edita eodem anno typis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide.

II. Maronitae insuper arabice loquuntur, sed sacras functiones peragunt lingua syriaca. Cum Graecis conveniunt in quibusdam consuetudinibus, ab ipsis vero et a reliquis Orientalibus, exceptis Armenis, discrepant, quod Eucharistiam in azymis conficiunt. Gabriel Sionita in Epistola ad Nihusium de nonnullis ritibus Maronitarum, inter Symmicta Leonis Allatii, in eorum Liturgiis eadem fere contineri ait, quae in Missa Latina, diverso tamen ordine, diversisque caeremoniis. Id vero Maronitis peculiare est, quod dum Sacerdos celebrat, Chorus subinde concinit hymnos quosdam S. Ephraem Syri, quos valde elegantes esse ejus linguae periti testantur.

CAPUT VI.

DE RELIQUIS ORIENTALIUM LITURGIIS.

I. Et primo S. Iacobi Liturgia (1) apud Syros omnium Liturgiarnm antiquissima est, ad quem reliquae tamquam ad normam accomodatae sunt. Eam plures ex Syris antiquis suis commentariis adornarunt, Ioannes Maro, Iacobus Edessenus, aliique, de quibus videndus Assemanus Biblioth. Orient. tom. I. Liturgiam suam in quinque partes dividunt, uti ex Dionysio Barsalibaeo constat. Ipsi vero Nestoriani et Iacobitae per Syriam,

(1) Vide Renaudotium, *Collectio Liturgiarum Orientalium*.

Assyriam, Persidem, et Indiam, aliasque finitimas Asiae regiones ingenti numero disseminati, proprias habent Liturgias sermone chalidaico non multum a Graecis discrepantes, in quibns Nestoriani Nestorium et Theodorum Mopsvestenum; Iacobitae autem Dioscorum et Eutychen tamquam Sanctos invocant et venerantur. Habent etiam Armeni specialem Liturgiam proprio idiomate, quae ab erroribus ipsorum expurgata Romae excusa fuit Armenice et látine typis S. Congregationis de Propaganda Fide, sicque inscribitur: *Codex Mysterii Missae Armenorum*, *seu Liturgia Armena*. Haec Armenorum Liturgia Graecanicum ritum in plerisque imitatur: adeo ut verba quaedam graeca in ea permanserint. Multa de Armeniorum religione, et haeresibus Clemens Galanus scripsit tomis tribus Romae editis de illius Ecclesiae cum Romana conciliatione. Eucharistiam, uti ex eorum Liturgiis patet in azymis conficiunt.

II. Aegyptii Cophtitae ex duodecim, quas habent Liturgiis, tres tantum, in suum usum receperunt, videlicet S. Basilii, quam in dies recitant, S. Gregorii, quam Dominicis, aliisque solemnioribus festis usurpant, et S. Cyrilli, quam per Quadragesimam, Iejunium Natalis Domini, et in commemoratione Defunctorum adhibent. Copticae similem Missam habent Aethiopes sive Abyssini, utraque enim Ecclesia Aegyptia, et Aethiopica a Patriarcha Alexandrino ritus Coptici olim administrata, et iisdem fere caeremoniis imbuta fuit. Officia divina Lingua Aethiopica celebrant. In Lexico Aethiopico Iobi Ludolfi edito Londini post Epistolam praeliminarem Ioannis Michaelis Wanslebii extat Indiculus librorum MSS. Aethiopicorum, quorum primus est Liber Liturgiarum in quo sunt decem Liturgiae. Sunt et aliae gentes peculiaribus et diversis utentes Liturgiis, sed ut verba usurpem Nicephori Callisti Lib. 14. Cap. 34 valde mihi laboriosum, et difficile esset variantes per urbes et regiones omnes Ecclesiarum Liturgias enumerare et praescribere. Abraham Ecchellensis in notis ad Catalogum Hebediesu pag. 134 numerari ait apud Orientis Christianas gentes supra quinquaginta Liturgias partim communes, partim proprias singularum gentium. Liturgiarum Orientalium, quas hactenus percensuimus,

insignis collectio prodiit Parisiis MDCCXVI duobus tomis 4 Auctore, quem citavimus, Eusebio Renaudotio.

CAPUT VII.

DE LITURGIA ROMANA.

I. Romana Liturgia Beato Petro Apostolorum Principi Ecclesia Romana, omnium Mater, et Magistra debet : qui quidem ritus et ordo subinde a Iesu Christi Vicariis sensim est auctus, aut etiam in nonnullis pro rerum et temporum ratione immutatus. Quod autem Liturgiae Romanae institutio Beatissimo Petro accepta referenda sit, luculentissime docetur a S. Innocentio I in epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum. Innocentio undequaque consentit alter Romanus Pontifex nempe Vigilius, in epistola ad Profuturum ubi sacrae actionis canonem, quem precem canonicam appellat, ex Apostolica traditione, atque adeo a B. Petro, acceptum memorans. Idem asserit Isidorus Lib. I de *Eccles. Offic.* Cap. 15: *Ordo Missae vel orationum, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primum a Sancto Petro est institutus.* Isidoro concinunt Etherius Episcopus Uxamensis, et Beatus Presbyter in libris adversus Elipandum Toletanum. His accedit Walafridus Strabo, qui vigebat circa annum Domini 840 censet enim, sacrorum rituum in celebratione Missarum originem, Romae et B Petri deberi, deinde ab ejus successoribus sensim Missae preces auctas, amplificatasque. Damus verba ex ejus libro de rebus Ecclesiasticis : *Et Romani quidem usum observationum, a B. Petro Principe Apostolorum accipientes, suis quique temporibus, quae congrua judicata sunt, addiderunt.* Ad haec Rupertus Abbas Tuitiensis initio saeculi XII eamdem sententiam inivit. De hac traditione sic scribit clar. P. Honoratus a Sancta Maria Lib. V de *usu Critices Dissert.* 3. art. 2: *S. Petrus habendus est tamquam primus institutor Liturgiae Romanae, et S. Iacobus Hierosolymitanae, quae deinde propagatae sunt, prior in omnibus Occidentis, altera in Orientis Ecclesiis.* Hanc sententiam defendunt Edmundus Martene, *de antiquis Ecclesiae ritibus Cap.3*

art. 2 § 7; Grancolas, in suo libro de *antiquis Liturgiis* pag. 51 gallice scripto; Le Brun, tom. 2 *suarum Explicationum* super *Caeremoniis*, *et precibus Missae dissert. 2 art. 2;* Dominicus Georgi in suo primo volumine de *Liturgia Romani Pontificis Lib. I Cap. 2*; et alii bene multi.

II. Quis autem, qualisque fuerit primigenius iste Christiani Sacrificii, seu Missae ordo a Beatissimo Petro Romanae Ecclesiae traditus praecise non constat. Eapropter ut optime advertit P. Iohannes Mabillonius de Liturgia Gallicana Lib. I Cap. n. 4 et seqq. Romanae Liturgiae triplex veluti ordo seu status considerandus est. Unus primigenius, qui ab Ecclesiae nascentis exordio usque ad Gelasium fuit receptus. Alter Gelasianus, qui auctorem, seu potius amplificatorem habuit Gelasium Papam hujus nominis primum. Tertius est ille, qui Gregorianus dicitur, ex nomine Gregorii Magni, qui Gelasianum ordinem coarctavit, correxit, et in meliorem formam redegit. Hinc ultimus Missae Romanae ordo adhuc apud omnes fere Occidentales Ecclesias in usu est. Ordo Gelasianus, qui a tempore sui auctoris, usque ad Gregorium Magnum perseveravit, Romanis typis commissus fuit, et publici juris factus, summa pietate, et studio, Ven. Cardinalis Thomasii. Qualis autem fuerit primigenius hujus Romanae Liturgiee status uti observavimus, seu ordo difficillime ob temporis injuriam constare potest, cum antiquior Codex, qui modo extet praefati ordinis Missae Romanae sit Gelasianus mox memoratus, caeteri vero perierint. Hoc unum tamen certum est (ut praefatus Cardinalis Thomasius advertit in sua praefatione). Ordo Gelasianus non est integrum ejusdem Pontificis opus, sed Leoni Magno, magna ex parte, ejusque Praedecessoribus Romanis Pontificibus, praesertim vero Beatissimo Petro, ceu primo Conditori, qui ejusdem ordinis prima fundamenta jecit, tribuendus est.

CAPUT VIII.

DE LITURGIA AMBROSIANA.

I. Ioseph Vicecomes Lib. I *de Ritibus Missae* Cap. 22 tueri conatur Ritus Ecclesiae Mediolanensis a Sancto Barnaba Apostolo institutos fuisse, a B. Mirocleto juxta Apostolicam institutionem auctos, a Beato vero Ambrosio eosdem ritus illustratos, et meliorem in ordinem redactos; ideoque Ambrosianos post ejus obitum vocitari coepisse. In eamdem sententiam videtur abire Le Brun tom. 2 dissert. 3 art. I in quo erudite disserit de Historia hujus Liturgiae. At vero Walafridus Strabo ante annos octingentos Lib. *de Rebus Eccl.* Cap. 228 Divo Ambrosio Mediolanensis Ecclesiae Antistiti adscribit his verbis: *Ambrosius Mediolanensis Episcopus, tam Missae, quam caeterorum dispositionem Officiorum suae Ecclesiae, et aliis Liguribus ordinavit; quae et usque hodie in Mediolanensi tenentur Ecclesia.* Huic Strabonis sententiae consentit Mediolanensis Ecclesia, et totius Italiae traditio, a quo sine evidenti ratione, ut ait Cardinalis Bona, recedendum non est. Verum quicumque talis Liturgiae Institutor fuerit, id pro certo habendum est non fuisse a mutationibus immunem, ut colligi potest ex diversis Missalibus illius Ecclesiae diversis temporibus editis. Ordo antiquus vero praefatae Missae Ambrosianae in lucem editus fuit a Pamelio inter sua Liturgica Latinorum. De ritibus, ordine, et historia hujus Missae, tractant Mabillonius, Lib. I de *Liturgia Gallicana Cap. 2*; Graneolas, *Les anciennes Liturgies* a pag. 77 usque ad pag. 400; Cardinalis Bona, *Rerum Liturgicarum* Cap. 10. De mystico sensu Rituum Ambrosianorum librum edidit Carolus Settala Episcopus Tortonensis idiomate italico. Rationale vero Caeremoniarum ejusdem Missae Ambrosianae, et modum eam celebrandi edidit Petrus Casola Canonicus Mediolanensis Ecclesiae.

II. Sed abs re non erit aliquot ritus peculiares Ecclesiae Mediolanensis explanare. Ambrosiani nunquam dicunt Agnus Dei nisi in Missa pro defunctis. Textus

Scripturarum quas legunt in Missa non semper congruit cum editione vulgata : in his enim , et praesertim in Psalmis utuntur versione Itala. In Dominicis Quadragesimae dicto Dominus Vobiscum, preces recitant pro Ecclesia, pro Pontifice, et omni Clero, pro Imperatore et Rege, pro omni statu hominum, et pro diversis necessitatibus, Choro vel Ministro ad singulas respondente Domine miserere, vel Kyrie eleison. In die sancto Resurrectionis et per octavam in Ecclesiis Collegiatis duas Missas cantant, unam pro baptizatis, alteram de Festo. Per totam Quadragesimam nullam habent Missam pro feria sexta , nec celebrant ea die : idque omnino prohibuit S. Carolus in tertia Synodo. Diebus vero Dominicis, et aliis solemnioribus ante Epistolam legitur Lectio una ex veteri Testamento cum psalmello ut vocant; instar Gradualis Romani. Immediate ante consecrationem priusquam dicat: *Qui pridie*, accedit ad cornu Epistolae, et summitates digitorum lavat et extergit nihil dicens. In Ecclesia Metropolitana hoc inter caetera specialiter observatur, quod celebrans cantata oratione super sindonem medius inter Diaconum , et Subdiaconum, praecedentibus duobus Acolythis cum duobus vasis argenteis, descendit ad ingressum Presbyterii, ubi recipit oblationes panis et vini more antiquo, quas duo senes de schola, quam vocant S. Ambrosii, induti linteo albo, nigroque caputio caeteris senibus comitantibus offerunt, singuli videlicet tres hostias, et vasculum argenteum vino albo plenum. Post haec descendens ad ingressum chori inferioris recipit mulierum oblationes, quas duae item seniores iisdem caeremoniis offerunt. Sunt et alia multa, quae ab illa insigni et celeberrima Ecclesia speciali ritu observantur , sed pro meo instituto haec pauca sufficiunt.

CAPUT IX.

DE LITURGIA GALLICANA.

I. Liturgia Gallicana est illa , quae in Galliis ante Pipinum , et Carolum Magnum usitata erat. Non unam tamen tantum, sed plura, et diversa fuerunt exempla-

ria Gallicanae Liturgiae ; sed idem in omnibus servabatur ordo precum , licet Orationes diversae legantur unde liqnet praedictarum Liturgiarum, non unum , et eumdem fuisse auctorem , sed plane plures , quinam vero illi sint, non latet. Constat tamen S. Hilarium Pictavorum Antistitem librum hymnorum *et alium myteriorum* scripsisse . cujus rei fidem facit S. Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis Cap. 100. Gennadius Massiliensis in Catalogo Scriptorum illustrium tradit Voconium Castellani Mauritani Oppidi Episcopum composuisse, praeter alios libros. etiam Sacramentorum egregium volumen. Idem Gennadius adstruit, Musaeum Massiliensis Ecclesiae Presbyterum, hortatu Sancti Venerii Episcopi multos exarasse libros , inter quos Sacramentorum egregium , et non parvulum volumen , cujus nomine liber Missalis intelligendus est, et hoc ex ipso Gennadio satis evincitur: ex Concilii quoque Rhemensis verbis idem magis commonstratur apud Burchardum Lib. III Cap. 97 ubi legitur: *Expleta Missa, Codex cum Patena , et Sacramentorum liber cum vestibus sacerdotalibus sub sera recondantur.* Bocquillot in suo *Tract. Hist. de sacr. Liturg.* Lib. I Cap. II mentionem facit de quodam Missali a Sidonio composito , tui ipse quamdam praefationem adjecerat.

II. Liturgiam Gallicanam a Romana fuisse diversam, nemo est, qui in dubium revocare possit : sicut etiam exploratissimum est veteres Liturgias, et Ritus in Gallicanis Ecclesiis abrogatos, et Romanos loco illorum introductos fuisse ante annum Iesu Christi octingentesimum , Carolo Magno in Gallis imperante , qui Sancti Gregorii Sacramentarium a Romana Ecclesia adhibitum recepit ab Hadriano PP. et praescriptum fuit , ut in posterum Gallicanae Ecclesiae ordine Romano uterentur in celebrandis Divinis Mysteriis: et haec Liturgiae Gallicanae in Romanam mutatio tanta consensione universae Galliae Ecclesiarum facta est , ut regnante Carolo Calvo praefati Magni nepote, Liturgiae, et Gallicanorum Rituum notitia penitus in omnium mente deleta esset. De praefatis Gallicanis Liturgiis satis erudite tractat Mabillon, in suo opere de *Gallicana Liturgia* ; Cardinalis Bona, *Lib. de Rebus Liturgicis* Cap. II; Car-

dinalis Thomasius, in *praefatione suorum Codicum Sacramentalium* ; Le Brun , *Tom. 2. dissert. 4;* Grancolas, *Les anciennes Liturgies;* Martene, *Lib. I de antiquis Ecclesiae ritibus Cap. 3. art. 1* n. 9, *et sequentibus* ; et Ioseph Vicecomes *de Missae ritibus.*

III. Liturgia Gallicana initium ducebat a Praefatione, qua Sacerdos populum hortabatur. Sequebatur lectio Veteris Testamenti , quae Prophetia vocatur, quia ex Prophetis praesertim desumebatur : deinde collectio post prophetiam , tum epistola sive lectio ex Novo Testamento : quam excipiebat Responsorium sive Graduale. Postea cantabatur in ambone Evangelium : quo finito, Episcopus sermonem habebat ad populum. Deinde fiebat oblatio, post quam sacra recitabantur dypticha; iisque recitatis, dicebatur oratio post nomina. Sequebatur pacis osculum atque oratio post pacem. Tum contestatio, quae nostrae praefationi respondebat. Postea dicebatur canon Missae quotidie diversus : post consecrationem oratio quotidie diversa : sicuti et ante et post orationem Dominicam. Dum Communio sacra perageretur psalmi decantabantur; ac demum omnia Sacerdos collecta seu oratione consumabat. Praeter ea quae diximus ex Concilii Vasensis Can. 3 frequentebantur in Missa Kyrie eleison; quonam vero Missae loco prorsus ignoratur. In festis insuper Sanctorum eorum Acta in Missa recitabantur ante prophetiam , uti constat ex Gregorii Turonensis Libro I de *Gloria Martyrum* Cap. 86 et ex Lib. II de *Miraculis S. Martini* Cap. 29 et 79.

CAPUT X.

DE LITURGIA MOZARABICA.

I. Liturgia Mozarabica est illa (1), qua olim Hispania, et vicinae Regiones utebantur: Mozarabica vocata fuit, quia cum Arabes saeculo octavo Hispaniam pene omnem occupassent, Christiani *Mixtarabes* , et corrupto vocabulo *Mozarabes* , id est mixti Arabibus dicti

(1) Vide a Sancta Maria, *Animadversiones in regulas et usum critices.*

sunt. Cardinalis Baronius ad annum 1063 praedictae Mozarabicae Liturgiae Auctorem fuisse putat Isidorum Hispalensem. Ioannes Mariana Lib. VI *de rebus Hispaniae* Cap. 5 usum inquit obtinuisse, ut Isidoro ritus Mozarabicus tribuatur, nonnulla tamen Leandrum invenisse. Plures insuper alios Mozarabicae Liturgiae manus admovisse asserit Martene *Lib. I de antiquis Ecclesiae Ritibus* Cap. 2 *artic. I num. 12.* Rursus de Institutione, Ritibus, et ordine ejusdem Liturgiae Hispanicae, seu Mozarabicae sermonem habent Vascus, *in Chronico;* et ex illo Pamelius, *Tom. I sui Liturgicon Ecclesiae Latinae;* Cardinalis Bona, Lib. I Cap. II; Grancolas, *les anciennes Liturgies*, pag. 309; Le Brun, tom. 2 *dissert. 5;* Mabillonius, *Lib. I de Liturgia Gallicana* Cap. 2 n. 9; et Ioannes Pinius, qui eruditissimum edidit Tractatum Historico-Chronologicum de hac Mozarabica Liturgia, eumque adtexuit ad tomum VI Bolland.

II. Quamvis autem haec Liturgia a viris sanctis, et Orthodoxis composita fuerit, Hispania tamen ab infidelibus devastata, ita erroribus referta est, ut Elipandus Toletanus Episcopus ex ipsis officiis depravatis plura acceperit testimonia ad suam haeresim astruendam, uti constat ex Albino Flacco libro adversus eumdem Elipandum. Diu viguit hic ritus in Hispania, donec Alexandri Papae auctoritate paulatim abrogari coepit, ejusque loco Romanum substitui. Anno vero millesimo sexagesimo tertio, quo Remirus, seu Ranimirus in Aragonia regnabat, congregata est Iaccae in eodem Regno Synodus, in qua abrogata Liturgia Mozarabica, et loco illius Romana admissa, ut ostendit Antonius Pagius in suis eruditissimis Adnotationibus Baronianis ad annum 1060 n. 2. Sanctus Gregorius VII eodem anno, quo in Cathedra Apostolorum Principis advectus fuit, nimirum A. D. 1073 cogitavit de penitus abroganda in tota Hispania Liturgia Mozarabica, et Romana inducenda, et ejus auctoritate mutata est. Extat de hac re ipsius Gregorii Epistola exhortatoria ad Alfonsum Castellae, et Sancium Aragoniae Reges, et ad Episcopos in eorum ditione constitutos. Adhuc viget hic ritus, et servatur Toleti in quinque paroeciis, et in Cathedrali Ecclesia, et in Sacello Cardinalis Francisci Ximenez Archiepiscopi Toletani.

CAPUT XI.

LITURGIARUM VARIETAS FIDEI UNITATEM NON LAEDIT.

I. Missae institutio ita ad Iesum Christum referenda est, ut ipsum ejus Auctorem agnoscamus quoad essentiam, quae mutari non potest; caetera vero, quae ad Preces, et Ritus et caeremonias pertinent, et quae parascevastica, et accessoria, ac veluti parerga sunt, ab Apostolis eorumque Successoribus constituta fateamur. Sunt igitur quaedam in omnibus Liturgiis, in quibus omnes Ecclesiae conveniunt, utpote sine quibus Sacrificii ratio nullo modo subsisteret; cujusmodi sunt Panis, et Vini praeparatio, Oblatio, Consecratio, Consummatio, et ipsius Sacramenti communicare volentibus distributio. Aliae item praecipuae partes sunt, quae licet ad Sacrificii integritatem non spectent; in omnibus tamen omnium gentium Liturgiis reperiuntur, Psalmorum scilicet modulatio, lectio Sacrae Scripturae, Ministrorum apparatus, thurificatio, Catechumenorum et aliorum profanorum exclusio, Precatio pacis, Preces diversae, Gratiarum actio, et si quae alia sunt ejusdem generis. Modus autem et ritus, quibus haec omnia peraguntur, verba quibus preces concipiuntur, Ordo caeremoniarum, et reliqua ejusdem diversis Ecclesiis diversa, et peculiaria sunt: nec ita ab Apostolis et Apostolicis viris instituta fuerunt, ut perpetua forent, et immutabilia. Ideo in illis varietates apparent, et mutationes, quae unitatem Ecclesiae non scindunt, nec Fideles offendunt. Nicolaus I Ep. 2 ad Photium, ait: *De consuetudinibus, quas nobis opponere visi estis scribentes per diversas Ecclesias diversas esse consuetudines, si illis canonica non obsistit auctoritas, pro quo obviare debeamus, nihil judicamus, vel eis resistimus.* Fulbertus Carnotensis Ep. 2 ad Finardum: *Plura sunt in Ecclesiasticis officiis, in quibus Orientales Ecclesiae, et nostrae communi observatione sibi respondent: sunt vero alia, in quibus alias ab aliis cultu dispari, et varia observatione audivimus dissonare.* Nec tamen nos offendit observantiae diversitas, ubi Fidei non scinditur uni-

tas. Ernulfus Roffensis Episcopus Ep. 2 tom. 2 Spicilegii, quod vir eruditissimus Lucas Dacherius Monachus Benedictinus Congregationis S. Mauri, edita *Christum* ait *docuisse quae facienda erant, sed non praefixisse modum, quo fieri deberent*. Alia de hac rituum diversitate Graecorum testimonia Allatius affert in Hottingero convicto Cap. 3 et Lib. III de *perpetua consensione Ecclesiae Occidentalis et Orientalis*. Cap. 13 et 14.

II. Causae vero tantae rituum varietatis in tanta Fidei unitate haec fuisse videntur. Vel quia nullo extante de his Iesu Christi, vel Apostolorum praecepto, libera facultas Episcopis relicta est id sentiendi et decernendi, quod unicuique salva Fide magis expediens visum fuit: vel quia saeviente in Christianos persecutione, coetus Episcoporum in unum cogi non potuit, in quo communibus suffragiis communis forma Sacrificii celebrandi ab omnibus custodiendo stabiliretur. Anselmus Cantuariensis in Responsione ad querelas Valeriani Nuvemburgensis Episcopi Cap. I eidem conquerenti de varietate rituum Ecclesiasticorum, habere nos a Sanctis Patribus ait, quod si unitas servatur Charitatis in fide Catholica, nihil officit consuetudo diversa.

CAPUT XII.

FALSUM EST QUOD LE BRUNIUS, ET PINIUS ASSERUNT NULLAM ANTE QUINTUM SAECULUM LITURGIAM FUISSE SCRIPTO CONSIGNATAM.

I. Apostolus I ad Corinthios (1) Cap. XIV v. 40 inquit, ut *omnia in Ecclesiis honeste, et secundum ordinem fiant*. Quo pacto tot preces, diversas *observationes, scilicet orationes*, postulationes, gratiarum actiones, memoriter tantum sine ullo codice, ex quo illae legerentur, ab Episcopis, et Presbyteris recitari poteterant absque ullo erroris, aut confusionis periculo. Praeterea nisi jam constitutae fuissent sacrificii Orationes et Preces, quomodo concors in iis recitandis Epi-

(1) Assemanni, *Codex Liturgicus Ecclesiae uniaersae* Lib. IV p. 1 pag. 137.

scopi et Presbyteri perrexissent, ut concordiam servarent in conficiendis divinis Mysteriis, opus fuit Libellum aliquem precum habere prae oculis. S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum loquens de S. Hilario Pictaviensi, haec scribit: *est ejus et liber hymnorum, et mysteriorum*, ubi pro Mysteriorum libro Codicem Missalem intelligi satis superque evincitur ex veterum Scriptorum omnium testimonio, qui Missam *Mysterium* nuncupant. Colligitur insuper ex S. Athanasii Epistola ad Orthodoxos, in qua graviter dolet, et conqueritur, Arianos sacros Libros omnes qui ecclesiastico usui destinati erant, igne consumpsisse. At quinam Libri magis sacri, usuique ecclesiastico addicti, quam quibus rei divinae peragendae ritus, et ordo consignati erant? Augustinus, atque Coelestinus I Papa Pelagianos ex orationibus Ecclesiae redarguunt, et confutant. Igitur scripto illae orationes consignatae erant. Si enim nullibi litteris essent exaratae, facili negotio a Pelagianis tale argumentum fuisset exsufflatum; dicendo nimirum, illas orationes a suis adversariis adhibitas et compositas, non autem ex antiqua et certa traditione, quae scripto comprobaretur, provenire. Ad altiora quaeque, ut optime notat Cardinalis Bona, pertinet non solum de Fidei dogmatibus agere, sed ritus etiam in sacris functionibus servandos praescribere. Et sane quid altius in Christiana Religione, quam sacrosanctum Eucharistiae Sacrificium! quod ut uno ordine, et forma in Ecclesia celebretur, nonnisi ex certis praescriptis Caeremoniis, et orationibus uniformiter recitandis peragendum ipsa Religio nos suadet, ipsa Fides ostendit. Hae autem quomodo memoriter tantum, et ex sola traditione absque ullius scripti Codicis subsidio sine defectus, aut variationis periculo observari possunt!

II. Notum est edictum Diocletiani, et Maximiani Imperatorum de tradendis, cremandisque sacris Christianorum Codicibus, quorum conflagrationem luget Arnobius contra Gentes Lib. IV dictique impii decreti passim meminit Optatus Milevitanus in Libris suis contra Parmenianum, sicut et Lactantius de mortibus persecutorum, ac Augustinus in Epistolis, aliisque Com-

mentariis adversus Donatistas, de quo etiam edicto Acta Martyrum publica saepius agunt; at iterum quinam Libri magis sacri iis, in quibus Dei verbum, Veteris scilicet, et Novi Testamenti mysteria continentur, et Sacramentorum fidelibus tradendorum administratio praescribitur! Liturgia sacra inquit Honoratus a Sancta Maria in opere cui titulus: *Animadversiones in regulas et usum criticcs* Lib. V Dissetatio III saltem a secundo saeculo redundabat, quamplurimis precationibus, orationibus, obsecrationibus, gratiarum actionibus, aliisque multis Missae partibus, e Sacris Litteris depromptis; nemo sibi persuadere poterit, rem divinam celebratam fuisse sine Liturgiis conscriptis in usum Ministrorum, atque officii publici exemplar. Item necessariae erant ad servandam aequabilitatem in sanctis istis conventibus, atque removendos malos usus, qui nullo negotio irrepsissent, si Sacerdotum, vel adstantium pietati liberum fuisset tempus in iis insumendum. Inter viros doctissimos receptum esse debet, sive Liturgiam Divi Iacobi huic Apostolo adjucent, vel ab eo abjudicent, eam tamen in more fuisse primorum saeculorum. Convenit pariter inter omnes S. Clementem Auctorem non esse Constitutionum Apostolicarum; has ab ignoto Scriptore fuisse exaratas, atque incertum esse tempus, quo confectae fuerunt; licet multa utilissima, atque excellentissima complectantur. Et vero plurima in illis concinunt egregiae quatuor primorum Saeculorum Ecclesiasticae disciplinae ut Albaspinaeus non dubitet affirmare. Librum hunc fuisse olim Ecclesiae instar Ritualis, Pontificalis, et Codicis. *Constitutiones illas* inquit Morinus *de Sacris Ordinationibus* p. 2 *in Praef. quae vulgo Clementis nomine feruntur censeo disciplinam esse ecclesiasticam qua Orientalis Ecclesia ante Constantinum primum sub Ethnicis Imperatoribus regebatur.* Denique audi, quid ferant Concilii III Carthaginensis Patres, quod anno Christi 397 habitum fuit: *Primitiae vero, seu mel et lac, quod uno die solemnissimo pro infantum Mysterio solet offerri, quamvis in altari offerantur, suam tamen habent propriam Benedictionem, ut a Sacramento Dominici Corporis et Sanguinis distinguatur.* Quis non videt, jamdiu Benedi-

ctiones istas scriptis traditas fuisse eae sane e Libro, non e memoria arcessendae erant.

III. Unicum habet haec sententia praesidium in Magni Basilii verbis qui Libro de Spiritu Sancto Cap. 4 ait: *Verba invocationis, cum ostenditur panis Eucharistiae, et poculum benedictionis, quis sanctorum scripto nobis reliquit?* ex quibus verbis tam Petrus Le Brun, quam Tillemontius in notis ad vitam S. Jacobi Apostoli inferunt, ante Basilium Liturgias scriptis non fuisse mandatas. Hanc objectionem solide diluit eruditissimus Iulianus Garnerius Monachus Congregationis S. Mauri Sancti Basilii editor, cujus hic observationem exscribimus. Non statuit hoc loco Basilius, quod ab eo eruditorum nonnulli, inter quos praestantissimus Eusebius Renaudotius *Liturgiarum Orientalium Collectio Diss. I* Cap. 2 doceri existimant; Eucharistiae, et Baptismi, et aliorum Sacramentorum preces, et ritus, ne in Ecclesiis quidem ad Sacerdotum usum scripta servari. Merito illud quidem ex hoc capite colligitur summam olim adhibitam fuisse cautionem, ne quid de Mysteriis non solum ad Gentiles, sed etiam ad Catechumenos permanaret; ac recte observat P. Garnerius, mysteria initiandis viva voce exponi, initiatis breviter, et obscure in Concionibus indicari solita, cum hac formula: *norunt initiati*. Perincommode enim fuissent vulgata, quae Catechumenis spectare non licebat, nec leve periculum erat, quod vilescerent mysteria, si violata Arcani sanctitas fuisset.

CAPUT XIII.

OSTENDITUR VETERES LITURGIAS GRAECAS ET ORIENTALES CUM LATINIS CONVENIRE ET UTRASQUE APOSTOLICAE CELEBRANDORUM MYSTERIORUM FORMAE IN PRAECIPUIS CAPITIBUS RESPONDERE.

I. In Liturgiis Graecis et Latinis veteribus et recentioribus, manifesta est inter se similitudo et cum primaeva illa forma quam Apostolicam fuisse, ante Protestantium defectionem nemo dubitaverat; et ea per partes est explicanda. Convenientibus igitur Christianis

praesidebant, non quicumque, sed quos προεστῶτας vocat Iustinus Martyr; Episcopi scilicet vel Sacerdotes. Vasa sacra, etiam dum persecutiones saevirent, ad sacrum ministerium adhibita fuisse aurea et argentea, novissimum est ex Gestis purgationis Caeciliani, Prudentio et aliis. Altaria quoque ut Thronum Christi, in magna veneratione fuisse, neque ab aliis quam a Donatistis aut Arianis, vel Ethnicis eversa et profanata fuisse, ex Optato, Athanasio, et aliis aeque certum. Vestes sacris ministeriis proprias gestare, dum Liturgia celebraretur, antiquissimi etiam moris est, et totus Oriens religiosissime observat. Praeparatoriae preces multae sunt et diversae in antiquis Liturgiis; sententia semper eadem, nec de illis controversia moveri ulla potest; cum ex illis nonnullae selectae sunt, quae singulis officiis conjungerentur. Lectio Scripturarum ut in Synaxibus Christianis facta fuit antiquitus, ita in omnibus Liturgiis praescribitur ex utroque Testamento. Sermones ab Episcopis aut Presbyteris habitos de iisdem Scripturarum locis fuisse, quamvis in Liturgiis non praescribatur, probant tot quae ad nos pervenerunt Sanctorum Patrum Homiliae. Psalmorum cantus antiquissimus est, et ubique conservatus. Integros aliquot Graeci et Orientales canere solent: id etiam in vetustis officiis Latinis praescribitur.

II. Orationes de omnibus, et pro omnibus, ut Graeci et Orientales loquuntur, extant in Liturgiis omnibus, et illarum vetustas confirmatur non omnium modo Codicum, sed Sanctorum Patrum testimoniis. Osculum pacis, et orationes aliquot antequam detur, repraesentant omnes Orientales Liturgiae; et illud secundum earum disciplinam, Actioni sacrae praemitti solet. Praefatio quae initium Anaphorae propriae dictae sive Canonis est; in omnibus cujuscumque ritus aut linguae Liturgiis exstat. Eam aperte innuit Iustinus Martyr. Obvia sunt testimonia Sanctorum Patrum qui hanc orationem designant; ut inter alios Cyprianus, Augustinus, Chrysostomus. Sunt porro in Latinis Missalibus Praefationes multae, cum in Gallicano, Gelasiano, Gothico, Mozarabico, Ambrosiano, quin etiam Gregoriano, non modo in festis solemnibus, sed in omnibus,

et in singulis Dominicis singulares Praefationes occurrant. Ita quoque in Graecis et Orientalibus Liturgiis, non una et eadem illarum dispositio est. Orationes pro vivis et defunctis, quamvis istas sustulerint Protestantes, veterum antiquissima auctoritas commendat. Fractio hostiae, imaginem refert corporis Iesu Christi et suppliciis lacerati. Nulla tamen Liturgia est, in qua talis ritus non praescribatur, et quamvis diversis modis fiat, summam semper habet Eucharistiae reverentiam. Sancta Sanctis denunciatio vetustissima est in Graecis Liturgiis, a quibus in Orientales omnes propagata est, quamvis apud Latinos non usurpata; quam nemo huc usque superstitionis damnare ausus est. Communionem praecessit olim a primis saeculis Confessio de veritate Corporis et Sanguinis Iesu Christi, simplex primum et paucis verbis: *Corpus Christi amen.* Si quid Graeci, et Coptitae addiderunt, quo expressius testarentur, credere (1) se id quod accipiebant esse Corpus Christi, laudandi sunt: neque Romanae Ecclesiae tribuendum, quae nihil habet simile.

CAPUT XIV.

LITURGICORUM LIBRORUM AUCTORITAS MULTIS ARGUMENTIS EVINCITUR.

I. Si quidquam in iis quaestionibus (2) quae Fidem et disciplinam spectant elucidandis, gravissimam auctoritatem habet, testimonium omnium Ecclesiarum est, perscriptum antiquitus, et temporum successione continuatum et renovatum. Magnum hoc in genere pondus habent vetusta Traditio, Sanctorum Patrum scripta, Decreta Conciliorum, et reliqua ecclesiastica monumenta. Sed inter illa maximam dignitatem obtinent ea, quae totius quodammodo Ecclesiae vocem et testimonium exhibent, quia ubique cognita et probata sunt, et in illis non Episcoporum, et Presbyterorum modo,

(1) Vide Renaudotium, *Collectio Liturgiarum Orientalium.*
(2) Zaccaria, *Bibliotheca Ritualis*, Tom. I *Dissertatio secunda* Caput II pag. LVIII.

sed plebis etiam suffragia continentur. Tales porro sunt Liturgiae. Ac primo quidem quis nesciat, nullam esse quaerendae in Fidei rebus veritatis aptiorem viam quam quae Ecclesiarum toto orbe existentium, ac Romanae praesertim de illis sententia fuerit investigare. *Age jam*, ajebat Tertullianus *de Praescriptionibus* Capite XXXVI *qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis, percurre Ecclesias Apostolicas... Videamus quid Roma didicerit ab Apostolis* etc. Falsa enim esse non potest, quam Romana, aut universa Ecclesia per orbem diffusa tradit, doctrina. Hinc efficacitatis maximae visum semper fuit, quod Liturgiis petebatur, adversus haereticos argumentum. Pelagianos non semel Liturgiarum precibus S. Augustinus aggressus est. Idipsum Luciferianis objiciebat S. Hieronymus in Dialogo adversus illos Capite IV: *An nescis* inquit, *etiam Ecclesiarum tunc esse morem ut baptizatis postea manus imponantur*, et ita invocetur *Spiritus Sanctus? Exigis ubi scriptum sit? In Actis Apostolorum: etiamsi Scripturae auctoritas non subesset, totius orbis in hac parte consensus instar praecepti obtinet.* Sanctus Coelestinus Papa, in sua ad Galliarum Episcopos Epistola, Capite II expresse Liturgiam tradit tamquam regulam Fidei: *Legem credendi*, inquit, *statuat Lex supplicandi.*

II. Si ad sequentium saeculorum Doctores gradum faciamus, multis occurrit doctrina eadem monumentis consignata. Petrus Diaconus, in suo *De tenenda veritate Scripturarum* Libro I pag. 216 ad Liturgiam Sancti Basilii appellat. Ex Liturgia etiam argumentatur Remigius Lugdunensis. Octavo saeculo Felix Urgellensis Episcopus, errorem suum de filiatione Christi argumentis ex Liturgia depromptis tentabat defendere. Quando undecimo saeculo ausus est Berengarius Corporis et Sanguinis Iesu Christi in Eucharistia veritatem negare, eum impugnavit Guitmondus hac Liturgiae formula tunc temporis adhiberi solita: *Singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur.* Trullana quoque Synodus SS. Basilii, et Iacobi Fratris Domini Liturgiarum testimonia in medium adtulit, ut Armenos, qui aquam e Calicis vino abstulerant, coargueret.

III. Efficacissimum propterea pro Liturgiarum auctoritate argumentum sumimus ex cura, quam Ecclesia semper adhibuit, ne quid in illas irreperet Mysteriorum sanctitati, doctrinaeque veritati contrarium. Qua in re quum multa ex Conciliis, veterumque monumentis promi possent: his contentus ero. Carthaginiensis III Synodus canone XXIII statuit: *Quum Altari adsistitur, semper ad Patrem dirigatur Oratio.* Insuper Codex Africanus Can. III legimus: *Placuit, ut preces, quae probatae fuerint in Concilio, sive praefationes, sive commendationes seu manus impositiones, ab omnibus celebrentur; nec aliae omnino contra Fidem proferantur.* Bracarensis III Concilii Praesules Canone I sanxerunt: *ut per singulas Ecclesias Episcopi per Dioeceses ambulantes primum discutiant Clericos, quomodo ordinem Baptismi teneant, vel Missarum, et qualiter quaecumque officia in Ecclesia peragantur.* Ulterius progressus est Teodulphus Aurelianensis. Nam in Epistola ad Clerum suum Capite quarto decrevit, ut ad Synodum Libri, vestimenta, et vasa sacra deferrentur, ut probetur quam diligenter, et quam studiose servitium Dei peragatur. Idem in suo Capitulari praecepit Riculphus Episcopus Suessionensis.

LIBER DECIMUS TERTIUS

DE SACROSANCTO MISSAE SACRIFICIO.

CAPUT I.

DE MISSAE NOMINIBUS.

I. Liturgiarum nomen (1) proprie accipi pro Eucharistico Missae Sacrificio, jam alibi a nobis observatum est, illud modo dispiciendum occurrit, quae sint hujus Sacrificii nomina, et quae nominum ratio. Primum igitur, ac familiare nostro aevo nomen, quo passim Catholici utimur est *Missa* a latino verbo *mitto* deriva-

(1) Durandus, *Rationale Divinorum Officiorum*, Liber IV, Caput 5 et seqq.; Walfridus, *De Rebus Ecclesiasticis*, Caput 22 et seqq.; Titelmannus, *De Mysteriis Missae*, Caput 20 et seqq.; Merbesius, *Summa Christiana*, Tomus III Tertia pars Quaest. II et seqq.; De Bertis, *Sacrificii Missae Resolutiones Morales*, Quaest. 9 art 9 et seqq.; Scortia, *De Sacrosancto Missae Sacrificio* Lib. II Cap. I et seqq.; Bissus, *Hierurgia sacra*, verbo *Missa;* Quartus, *Commentaria ad Rubricas Missalis Romani*, Pars I Tit. 16 et seqq.; Clericatus, *De Sacrificio Missae*, num. 17 et seqq.; Martene, *De antiquis Ecclesiae Ritibus*, Liber I Caput IV Art. 1 et seqq.; Vicecomes, *De Missae Ritibus*, Liber III Cap. 13 et seqq.; Bona, *Rerum Liturgicarum cum notis Roberti Sala, Pars prima* Caput I, II, III, VIII, XIV, XV, et XVI; Tomus II, *Pars Secunda* Caput XXI et seqq.; et Tomus III Liber II, Caput I et seqq.; Pouget, *Institutiones Catholicae*, Tomus II Caput VII § I et seqq.; Bocquillot, *Traitè hystorique de la Liturgie sacrèe, ou de la Messe, Chapitre premier* et seqq.; Le Brun, *Explication litterale, historique, et dogmatique des prieres, et des Ceremonies de la Messe, etc. Chapitre premier* et seqq.; Maldonatus,

tum. Hinc S. Thomas 3 p. quaest. 83 art. 4 ad 9, ait: *Et propter hoc etiam Missa nominatur quia per Angelum Sacerdos preces ad Deum mittit, vel quia Christus est Hostia nobis Missa a Deo.* Idem jam Rupertus Abbas Lib. *de Divinis Officiis* Cap. 23 scripserat: *Sacrosanctum Altaris ministerium idcirco Missa dicitur, quia ad placationem inimicitiarum, quae erant inter Deum et homines sola valens, et idonea mittitur legatio.* Sed his aliisque symbolicis rationibus omissis, ex populi missione seu dimissione, hoc nomen suam trahit originem, ut optime observant eruditi. Missio autem in veteri Ecclesia duplex erat: una sermone post Evangelium absoluto, quando Catechumeni a Diacono dimittebantur his verbis: *Si quis est Catechumenus exeat foras:* ut ait Divus Gregorius Lib. II *Dialogorum* Cap. 22 et haec dicebatur *Missa* seu Missio Catechumenorum, de qua S. Augustinus Sermone 237 ait: *Ecce post sermonem fit Missa Catechumenis, manebunt fideles.* Altera vero Sacrificii parte expedita, et re divina peracta, alia sequebatur populi dimissio, dimittebantur nimirum etiam fideles baptizati, et haec Missa fidelium vocabatur, dimittebantur autem his verbis a Diacono prolatis: *Ite Missa est.* Ob hanc

De Caeremoniis cum notis Francisci Antonii Zaccariae, Disputatio II § I et seqq.; Grimaud, *La Liturgie sacrèe*, I Partie *Chapitre premier*, et seqq.; Grancolas, *Les anciennes, Liturgies*, Tom. I pag. 444 et seqq.; Gavantus, *Thesaurus Sacrorum Rituum, cum additionibus Cajetani Merati*, Tomus I, Pars prima Tit. VIII et seqq.; et Pars II, Titulus I et seqq.; Gerbert, *Principia Theologiae Liturgiae*, Sect. I Cap. 2 et seqq.; Georgi, *Liturgia Romani Pontificis*, Liber III Caput XII et seqq.; Crispi, *Mysteriorum Evangelicae Legis*, Caput I et seqq.; Bellotte, *Observationes ad Ritus Ecclesiae Laudunensis*, pag. 200 et seqq.; Settala, *Mysteria et sensus Mystici Sacrificii*, Caput L et seqq.; Bossuet *Explication de quelques difficultes sur les prieres de la Messe*, Num. 45, 56, et 60; Benedictus XIV, *De Sacrosancto Missae Sacrificio*, Liber I Caput X, et seqq.; A Massa, *Institutiones Liturgiae sacrae* Liber I, Pars Secunda, Caput I et seqq.; Ferrigni, *Dissertazione sull'Origine progresso e vicende della sacra Liturgia*, Parte II, Sezione I Cap. III et IV; Wanderweken, *De Canone Missae*, Caput I et seqq.; Espenceus, *De Collectis;* Catalano, *De Codice Sancti Evangelii*, Liber II Caput I et seqq.

igitur duplicem dimissionem Catechumenorum, et fidelium *Missa* nuncupatum est incruentum novae legis Sacrificium. Huic sententiae adstipulantur praeclarissimi viri, nimirum Cardinalis Bellarminus, Lib. I de *Missa* Cap. I; Cardinalis Bona, de *Rebus Liturgicis* Lib. I Cap. I; Petrus Le Brun, Tom. I Cap. I suarum eruditarum Explicationum super Missae Caeremoniis; Bocquillot, in suo *Tractatu Historico*; Antonius Bellotte, in praeclarissimo suo opere inscripto: *Ritus Ecclesiae Laudunensis* parte 2 *Observ.* 6 pag. 58 et 106; Benedictus XIV, de *Sacrosancto Missae Sacrificio Lib. II* Cap. I ubi alios appellat, et Gerbertus, *in principiis Theologiae Liturgicae Sect. I* Cap. 2 p. 37 et seqq. Cur vero id nomen prisci fideles usurpaverint, atque a minima, eaque accidentali Sacrificii parte, totum ipsum Sacrificium nominaverint, id ex Arcani disciplina repetit Meratus Tom. I part. I ubi: *Igitur fidei nostrae proceres veteresque Christiani Latini summo consilio, obscuro Missae nomine usi sunt, ad rem divinam significandam, nimirum ut hominibus falsas Religiones colentibus, hoc nomen symbolicum ignotum esset, et ne fideles ipsi proderentur, qui hunc in locis abditis, et retrusis, ac horis antelucanis Sacros Conventus habebant.* Audiendi itaque non sunt, qui hoc nomen ab Haebraica lingua deducunt; ut Cardinalis Baronius, Ioannes Renchlinus Lib. II *Hebraicarum Eruditionum,* Genebrardus de *Liturgia Apostolica,* aliique ab Haebrea voce *Missah,* quae extat Deuteronomio Cap. 16 et oblationem significat. Verum Bellarminus optime observat, et post eum Cardinalis Bona quod si vox ista Hebraica Apostolis in usu fuisset, etiam certe tenuissent etiam Graeci, et Syri, atquae aliae nationes, sicut retinuerunt alias similes voces, nimirum *Amen*, *Alleluja, Sabaoth*, *Osanna*, *Pascha.* Neque illorum sententia ullo modo verosimilis est, qui a vocabulo Graeco Μυεσις Missae nomen oriri rati sunt. Doctissimus Albaspinaeus Missam dici autumat a nomine *Mess* quo apud septentrionales populos Festum, aut ad Festum congregatio significantur.

II. Quamvis Sacrificium Eucharisticum communiori vocabulo *Missa* nuncupetur, aliis tamen nominibus, ta-

men a Latinis, quam a Graecis Patribus insignitum est. Latini enim 1.° ab antiquissimis temporibus *Collectam* appellaverunt, quia tempore Missae colligebatur in unum populus, ut Sacrificio interesset. Hoc nomen, occurrit apud Tertullianum, Libro de *fuga;* Optatum Milevitanum, Lib. II; Iraeneum, Lib. III Cap. 3; Augustinum, in *Breviculo Collationum. Dominicum* hoc Sacrificium vocat Cyprianus Epistola 63 ad Coecilium; Augustinus, *Epistola* 86 ut significaretur esse praecipuam functionem, quae ex Domini institutione, et praecepto in Ecclesia peragitur. *Agenda* vocatur in Concilio Carthaginensi sub Coelestino Papa, cujus Concilii Canon insertus est in Capitularibus Caroli Magni Lib. VI cap. 234 quin Augustinus loquens de modo Sacrificium offerendi *Ordinem agendi* appellat Epistola 118 Cap. 6. Quod nomen passim legitur in Antiphonario Divi Gregorii, et in aliis Scriptoribus Ecclesiasticis, praesertim ubi tractant de Officio Mortuorum. *Communio* etiam Missa dicta est: *quia per illam cum Christo commercium habemus, ac carnem ipsius, et divinitatem percipimus:* ut loquitur S. Damascenus, de *Fide orthodoxa* Lib. IV Cap. 12. *Oblatio* non semel appellata fuit Missa, quia in ea Christus Agnus sine macula offertur, et immolatur, de qua voce videndus est Pamelius ad Librum Tertulliani de *Cultu Foeminarum* Cap. II. Sed longum esset, si singula nomina percurrere vellem, qualia sunt *Hostia, Fractio panis, Eucharistia, Mysterium, Pignus, Sanctum, Mensa, Pretium, Bonum, Gratia*, et similia de quibus legi possunt Vicecomes, Lib. I De *Ritibus Missae;* et Theophylus Raynaudus, in *Onomastico Eucharistico.* Multiplex etiam apud Graecos Scriptores nomen sortitum est Sacrificium 1.° communissime dictum est *Liturgia*, a S. Dionysio Cap. I Eccl. *Hier.* 2.° dicitur *Mystagogia* secreta videlicet actio. Hinc Catecheses a Cyrillo Hierosolymitano conscriptae, in quibus de hoc Sacrificio pertractat, dictae sunt *Mystagogicae.* Quandoque *Telete* nuncupatur, idest consecratio, perfectio qua voce utitur Synesius in fine Epistolae 58. Dicitur *Anaphora*, scilicet elevatio, sursum elatio quia sursum ad Deum fertur. Ita Anastasius Sinaita *Oratione de Synaxi*. Dicitur *Prosphora*, quae vox

latine oblationem significat. Loca Sanctorum Patrum, a quibus *Prosphora* pro Sacrificio accipitur, multa congerit Riccardus in Commentario ad Orationem sextam Procli pag. 242. Dicitur *Synaxis*, quod nomen licet pro quacumque Fidelium Congregatione usurpari soleat, a Dionysio tamen semper sumitur pro Sacrificio, ut observat Pachymeres. Tandem Epiphanius Haeresi 73 *Oeconomiam* appellat, quo nomine vocatur saepissime a a Patribus Mysterium etiam Incarnationis; est autem *Oeconomia* provida rei administratio ad aliorum commodum, et utilitatem ordinata, quae tam in Incarnatione, quam in Eucharistia mirabiliter eluxit. Alia a Graecis divinae Liturgiae tributa nomina qualia sunt *Hierurgia*, *Eulogia*, *Mysterion*, *Latria*, *Dipnon*, *Teleion*, et similia, quae latine sunt *Actio sacra*, *Benedictio*, *Mysterium*, *Cultus*, *Coena*, *Perfectio*. Qui plura de hac re scire desiderat, adeat doctissimos viros Cardinalem Bona, Lib. I Cap. 3; Iosephum Vicecomitem, *Lib. I de Ritibus Missae*; Cap. 7; Ioannem Dartis, *de Consecratione Dict. I. Tract. de Eucharistia* Cap. 19; et Theophilum Raynaudum, in *Onomastico*: his omnes plura in citatis locis Missae nomina collegerunt, nobis praecipua indicasse sufficiat.

CAPUT II.

DE VARIIS MISSARUM GENERIBUS.

I. Plura Missarum genera, in usu olim fuisse, atque etiam nunc esse manifestum est. Sunt enim Missae solemnes, et quotidianae, publicae et privatae, solitariae, generales et peculiares, de Tempore et de Sanctis, Conventuales et Feriales et Votivae pro vivis et pro defunctis. Est et Missa Praesanctificatorum, et alia quam Siccam vocant, de quibus deinceps agendum erit. Missa solemnis, quam hodie praecipuam, et majorem vocamus, illa proprie dicitur, quae cum cantu, et solemni Caeremoniarum apparatu, Ministris, et Clero assistentibus, ab Amalario Cap. VIII generalis dicta est, qua denominatione interdum utuntur antiqua Monachorum Ritualia, quia totus coetus ei solet interes-

se. Sub hoc genere Missae sollemnis continetur Missa Papalis ; sub eodem genere continetur pariter Missa Pontificia Episcopalis, cujus ritus, et Caeremoniae describuntur in Caerimoniali Episcoporum. De iis tractant Castaldus, Bauldry, Bissus, Gerlacus. Vinitor; nec non Paris de Crassis olim Apostolicarum Caeremoniarum Magister, et Episcopus Pisaurensis in Libro cui titulus: *De Caeremoniis Cardinalium, et Episcoporum in eorum Dioecesibus*. Denique sub hoc genere continetur Missa Abbatialis, de cujus Ritibus, et Caeremoniis agunt praesertim Zacharias a Mutina, *in Caeremoniali Cassinensium ;* Donatus Ramerius, *in Rituali Monastico, Romano ritui, ac Caelestinorum usui conformi ;* nec non Auctor Caeremonialis Canonicorum Regularium Congregationis S. Salvatoris. Missis generalibus, et solemnibus opponuntur *Privatae* et *Solitariae,* quae privatim et peculiariter sine cantu, uno dumtaxat Clerico ministrante, sive in Ecclesia, sive in privato Oratorio aguntur. Missa *Solitaria*, prout a *Privata* distinguitur, intelligitur illa, quae a solo Sacerdote, nemine praesente, et respondente fiebat olim in Monasteriis. Insuper occurrunt Missae quae de tempore dictae sunt quae respondent variis anni Ecclesiastici temporibus, in quibus Vitae Passionis, et Doctrinae Christi mysteria, Fideique nostrae Sacramenta recoluntur. Aliae Missae sunt, quae in honorem Sanctorum agi solent, cum illorum memoria annua solemnitate ab ipsis Ecclesiae incunabulis recolitur. Audiendus de his Cyprianus Epistola 34: *Sacrificia pro eis, pro eorum scilicet honore, semper offerimus, quoties Martyrum passiones, et dies anniversia commemoratione celebramus.* Et Epistola 37 ad Clerum suum diligenter adnotari mandat dies, quibus Martyres excedunt, ac sibi significari ; ut inquit, *celebrentur hic a nobis oblationes et sacrificia ob commemorationes eorum*, quo testimonio nullum praestantius. Ad idem respexit Tertullianus, cum Libro de *Corona Militis* Cap. 3 ait : *Oblationes pro Natalitis annua die facimus.* Confirmant ejusdem ritus antiquitatem Ecclesiae Smyrnensis Fideles in Epistola, qua Polycarpi martyrium describunt apud Eusebium Lib. IV *Historiae Ecclesiasticae* Cap. XV ejusque ossa se col-

legisse ajunt, et in loco decenti condidisse; et in eodem loco natalem ipsius hilari conventu, qui sine Sacrificio non erat, quotannis celebraturos. Porro citati Patres de solis Martyribus loquuntur, quia Confessorum festivitates serius in Ecclesia receptae sunt.

II. Sunt et Missae, quae pro aliqua speciali causa, aut necessitate seu publica, seu privata interdum celebrantur, quae Votivae dicuntur. Ad has spectat Missa, quam scribit Augustinus Lib. XXII *de Civitate Dei* Cap. 8 actam in domo privata, ut liberaretur a spirituum vexatione: Missam quam Prosper narrat celebratam in gratiarum actionem ob puellae a diabolo obsessae liberationem. Quotquot denique pro aliqua necessitate; vel in Beatissimae Virginis, sive Sanctorum venerationem extra solemnes eorum festivitates, et antiquitus agebantur, et nunc quoque aguntur, inter *Votivas* computandae sunt. In Libro Sacramentorum Reginae Svecorum ante annos nongentos scripto plures leguntur Missae Votivae. Cornelius Schultingius Tom. III *Bibliothecae Ecclesiasticae* Part. I Missas votivas pro variis necessitatibus, et pro diversis hominum statibus centum et quindecim ex diversarum Ecclesiarum Missalibus collegit. Missae Votivae sunt triplicis generis. Primi generis sunt illae quae dicuntur de aliquo Sancto, vel de aliqua Solemnitate. Secundi generis Missae Votivae sunt illae quae habentur in Missali Romano post Commune Sanctorum et Dedicationis Ecclesiae. Hujusmodi autem Missae singulis diebus per hebdomadam assignatae, octo recensentur, videlicet: Feria secunda de SS. Trinitate, Feria tertia de Angelis, Feria quarta de Apostolis, Feria quinta de Spiritu Sancto, vel de SS. Sacramento, Feria sexta de S. Cruce, vel de Passione, Sabbato de Beatissima Maria Virgine Tertii generis Missae Votivae, quae olim erant tredecim, modo quatuordecim enumerantur, quae habentur in fine Missalis Romani, videlicet: Prima pro eligendo Summo Pontifice, Sede vacante; Secunda in die Creationis, et Coronationis Papae, ejusdemque Anniversario; Tertia in Anniversario Consecrationis Episcopi; Quarta ad tollendum schisma; Quinta pro quacumque necessitate; Sexta pro remissione peccatorum; Septima

ad postulandam gratiam bene moriendi ; Octava contra Paganos ; Nona tempore belli ; Decima pro pace ; Undecima pro vitanda mortalitate ; vel tempore pestilentiae. Duodecima pro infirmis; Decimatertia pro peregrinantibus vel iter agentibus; Decimaquarta pro sponso et sponsa. Nuperrime huic tertio Missarum generi addita fuit illa , quae septimo loco posita est , nempe ad postulandam gratiam bene moriendi , quae quidem Missa cemposita fuit a Venerabili Card. Thomasio, demandante Summo Pontifice Clemente XI. Quamvis Missae Votivae Privatae dici non possunt currente Officio Duplici, vel Dominica pro re tamen gravi. vel pubblica Ecclesiae causa, cantari poterit, non tamen in majoribus Solemnitatibus. In Missis Votivis Privatis , etiam tempore Paschali , vel infra Octavas , juxta Rubricam Missalis non est dicendus Hymnus Angelicus, nisi fuerit Missa Votiva Angelorum: quo nomine veniunt etiam Missae propriae S. Michaelis, et S. Gabrielis. Ita etiam idem Hymnus recitatur in Missa Votiva de Beatissima Virgine in quolibet Sabbato. A praedicta regula excipiendae sunt Missae Votivae solemnes , quae pro re gravi aut publica Ecclesiae causa cantantur : nam in his tam *Gloria*, quam *Credo* dicuntur. Quoad Symbolum certissimum est apud omnes, quod in Missis Votivis privatis nunquam dicitur *Credo,* etiam si celebrentur infra aliquam Octavam.

III. Missa Cantata, prout distinguitur a Solemni, sicut eam distinguit Ioseph Vicecomes *de Missae Ritibus* Lib. V Cap. 7 est illa, quam cum Sacerdote sine Ministris sacris celebrante, Cantores musico concentu alternant, Missa Conventualis est illa. quam Rectores Ecclesiarum Cathedralium, et Collegiatarum quotidie celebrare facere tenentur solemniter cum cantu post Tertiam juxta temporis conformitatem, et Divini Officii recitationem. Missa Bassa eadem, quae privata, seu quae submissa voce celebratur In plurimis monumentis , quamvis reperiatur praedicta vox *Bassa* pro indicanda Missa privata. quae submissa voce dicitur; nihilominus, ut adnotant eruditissimi Monachi Benedictini Congregationis Sancti Mauri in novis Additionibus ad *Glossarium Cangianum* , seu Caroli Dudresne Tom. IV Col. 814

etiam de Missis privatis frequens est haec formula *cantare Missam*. Rursus eadem Missa privata dicitur etiam *Plana*, sic eam appellat Caeremoniale Episcoporum Lib. I Cap. XII num. IX *Celebrans in eo sive solemnes, sive planas Missas*. Missa peculiaris pariter idem significat ac Missa privata : hac notione exprimitur in Capitulis Theodulphi Aurelianensis Cap. XIV. Missa specialis est pariter Missa privata, de qua mentionem faciunt Capitularia Theodorici Cantuariensis Cap. X. Missae Quadragesimales vocantur illae, quae in Quadragesima dicuntur. Ita appellantur in Concilio Vasionensi Can. 20 et Vasensi Can. 3. Missa de Iejunio vocatur illa, quae die Iejunii celebratur : de hac mentio habetur apud Martene Tomus IV *Anecdotorum* col. 706. Est insuper Missa *Praesanctificatorum*, vocatur illa, in qua Sacerdos communicat, sed non consecrat. Origo hujus Missae repetenda est a Synodo Laodicena, sancitum enim in dicta Synodo fuit Canone 49: *Non oportere in Quadragesima panem offerre, nisi Sabbato ; et Dominica tantum*. In Synodo vero Trullana Canone 52 sancitum est : *Quod in omnibus Sanctae Quadragesimae jejunii diebus, praeterquam Sabbato, et Dominica, et Sancto Annuntiationis die fiat Sacrum Praesanctificatorum*. In Ecclesia Orientali adhuc servatur hic mos praescriptus in Trullano Concilio. Occidentalis autem Ecclesia non utitur Praesanctificatorum Missa, nisi Feria Sexta Parasceves. De ritu, ac modo hujus Missae Praesanctificatorum celebrandae late et erudite scripsit Leo Allatius in fine Operis de Ecclesiae Occidentalis atque Orientalis perpetua consensione. Ritus ejus apud Graecos hic est. Die Dominica praeter illius diei oblationem, quinque alios panes consecrant pro totidem sequentibus feriis usque ad Sabbatum. Tum singulis diebus sub vesperum conveniunt in Ecclesia, et in ipso Vespertinarum precum Officio Sacramentum antea consecratum sumunt, praemissis Psalmis Gradualibus, et recitatis quibusdam Canticis, Lectionibus, et Orationibus, quae legi possunt in Euchologio cum notis Goar pag. 187 et sequentibus. Et quia panem antea consecratum, sumunt, vocant hoc officium Praesanctificatorum; quo in sola Quadragesima, non in aliis jejuniis

utuntur, quia ut ait Theodorus Balsamon in Notis ad praedictum Canonem Trullanum, hoc jejunium praecipuum est, magisque solemne.

IV. Missa *Sicca* confunditur a nonnullis cum Missa *Praesanctificatorum*, at perperam : nam Missa *Praesanctificatorum* legitima auctoritate instituta est, et vere in ea Iesu Christi Corpus adest et sumitur, licet antea consecratum. At Missa Sicca ab indiscreta et privata quorumdam devotione duxit originem, cui nimium indulgentes fuerunt Sacerdotes. Larva est et simulatio quaedam verae Missae, Sicca procul dubio et jejuna, utpote carens non solum consecratione, sed etiam sumptione Corporis Christi. Haec autem Missa *Nautica* dicitur ut ait Durandus Lib. II *de Ritibus Ecclesiae* Cap. IV, quia in mari et fluminibus celebrari solebat. Nunc provida Episcoporum cura ubique gentium obliterata, et abrogata est. Missa *Catechumenorum* dicebatur ea Liturgiae pars, quae constabat, iis tantum Ritibus, qui peraguntur ab Introitu usqne ad offertorium exclusive. Iuxta veterem quippe Ecclesiae disciplinam post Evangelium et Concionem Diaconi voce admoniti exire debebant Infideles, post istos Catechumeni, inde coeteri Poenitentes. Missa *Fidelium* dicebatur illa Liturgiae pars, cui Fideles, et Poenitentes qui *Consistentes* appellabantur, intererant. Haec complectebatur illam Liturgiae partem, quae est ab Offertorio usque ad ejus finem. Huic parti interesse illis tantum permittebatur, qui Iesu Christi Fidem verbis simul, et operibus profitebantur, unde *Missae Fidelium nomen* pars illa sortita est. Utriusque Missae Catechumenorum videlicet, et Fidelium meminit Ivo Carnotensis Epistola 219 quarum priorem vocat Catechumenorum, alteram vero Sacramentorum, quia in hac Sacra Mysteria peraguntur. Missa *Matutinalis* seu *Matutina* vocabatur illa, quae celebrabatur solemniter, vel post Primam Aestate; vel hyeme post Tertiam : ideo autem dicebatur Matutinalis eo quod mane decantaretur, ut passim testantur Monasteriorum Benedictinorum tum editae, tum manuscriptae Consuetudines, Statuta Lanfranci, et Concordia Dunstani, ad differentiam alterius Missae Solemnis, quam *Conventualem* appellabant, et quae me-

ridie celebrabantur. Dicebatur autem haec Missa vel pro Monasterii Benefactoribus, vel pro necessitatibus, personisque publicis. In Libro Miraculorum S. Bercharii Abbatis num. 13 qui liber habetur in Saeculo II Benedictino, legitur, quod Adso Dervensis Monasterii Abbas jussit celebrari Missam *Matutinalem* pro Heriberto Comite gravi morbo laborante. De hujusmodi Missarum *Matutinalium origine*, *usu*, *atque Ritibus*, videndi sunt Martene, *de antiquis Monachorum Ritibus* Tom. I Lib. II Cap. V; Vicecomes, *de antiquis Missae Ritibus* Lib. III Cap. 27; nec non Cardinalis Bona, *Rerum Liturgicarum* Lib. I Cap. 22.

V. Missa *Cardinalis*, erat Missa *Matutinalis* celebrari solita in Ara, quae Cardinalis appellabatur. De hac Missa fit mentio in Saeculo III Benedictino part. I pag. 132 ubi referuntur miracula S. Bertini, et in praedicta pagina inferuntur haec verba: *Nam post Sanctum Paschalis Resurrectionis diem, transcursis duodecim diebus, die Dominico, hora qua Cardinalis Missae conventus publice agebatur*. Missa *Peregrinorum* erat pariter Missa *Matutinalis*, ita probabiliter denominata, quia pro commoditate pauperum, et peregrinorum celebrabatur, et oblata eis tribuebantur. Missas *Nocturnas* plures olim fuisse, veterum monumenta declarant; at ex his ea sola permansit, quae in nocte Nativitatis Domini ubique celebratur. Reliquae Missae *Nocturnae* abierunt in desuetudinem, quarum praecipua erat Missa Sabbati Sancti pertinens ad diei sequentis noctem. Hieronymus in *Matthaeum* Cap. XXV traditionem Apostolicam fuisse ait, ut in die Vigiliarum Paschae ante noctis dimidium populos dimittere non liceat. Ejusdem moris testis est Tertullianus Lib. II ad *uxorem* Cap. IV: *Quis solemnibus Paschae abnoctantem securus sustinebit!* Idem docent Amalarius Lib. I Cap. 16, et Alcuinus, qui hunc locum S. Hieronymi citant. Perseveraverit autem haec pia sanctaque traditio saltem de aliquibus in locis usque ad finem Saeculi XIV ut constat ex Consuetudinibus Canonicorum Regularium Monasterii Cassanensis an. 1387. Quater item in anno, in Sabbatis nimirum quatuor temporum Missa noctu celebrari consuevit, sicut Leo I testatur Epistola 81 ad

Dioscorum Alexandrinum. Alia Missa nocturna acta olim est in Vigilia Pentecostes, in ipsa scilicet nocte, quae lucescit in Dominica, ut notat Menardus ad Librum *Sacramentarii* pag. 161. Certum est etiam noctu ad Missas convenisse fideles, cum tyrannorum persecutio vexabat Ecclesiam, de qua re notissima est Tertulliani sententia Libro *de fuga in persecutione* Cap. 14. *Si colligere interdiu non potes habes noctem*. Subscribit Augustinus Epistola 86 ad Casulanum. Huc etiam pertinent coetus antelucani, pròpter quos natio Christianorum apud Minutium latebrosa et lucifuga dicebatur. In his autem conventibus Sacramentorum celebrationem non defuisse ex moribus illius Saeculi manifestum est.

VI. Missa *Vespertina*, seu *Serotina*, quae etiam Quadragesimalis dicta est, erat illa, quae sub Vesperam celebrabatur, videlicet circa quintam, aut sextam horam post meridiem, fideles enim ad Vesperam hoc jejunium solvebant audito sacro. Idem ritus servabatur olim in Vigilia Nativitatis Domini, ut ex Ordine Romano palam fit. *In Vigilia* inquit, *Nativitatis Domini hora nona canunt Missam ad S. Mariam, qua expleta canunt vespertinalem synaxim, dehinc vadunt ad cibum*. Paulinus quoque Natali VII S. Felicis eumdem ritum viguisse canit in ipsius Pervigilio. Unde colligitur etiam extra Quadragesimam dilatum quandoque Sacrum usque ad vesperam. In celebri Sandionysiano Templo cum solemnes Regum celebrabantur Exequiae, Episcopus celebrans, nonnisi vespere Sacrificium absolvebat. Missa *de Galli* cantu est eadem, quae de Aurora hodie dicitur: de hac sermonem habet Gaufridus Vosiensis in Chronico part. 1 cap. 27 Tom. 21 Bibliothecae Labbeanae. Missa *Scrutinii* erat illa, quae in Feria IV Hebdomadis quartae Quadragesimalis celebrabatur, et quae ad Catechumenos directa intelligebatur; nam incipiendo ab introitu de illis est sermo, in illis verbis *Cum sanctificatus fuero in vobis effundam super vos aquam mundam* in eo pariter sensu legitur Epistola, ac clarius Evangelium in quo habetur coeci nati miraculum, in Natatoria Siloe visum recipientis; quod Symbolum revera Catechumeni est, qui spirituale lumen in Sacro Baptismatis fonte recipit, ut in Homilia ejus-

dem diei explicat Divus Augustinus. De hac Missa mentionem facit Macrius in suo Hierolexico Verbo *Scrutinium*, ubi etiam advertit, quod in Ordine Romano praedicta Feria antinomastice vocabatur, *Feria Scrutinii*. Scrutinia in Ecclesia Romana septem in Quadragesima celebrata fuisse consentiunt omnes Auctores, qui de ritibus Ecclesiasticis scripserunt; quae quidem Scrutinia non erant nisi examina, et institutiones Catechumenorum, qui baptizari in proximo debebant.

CAPUT III.

DE MISSA PRIVATA EIUSQUE PERPETUO USU.

I. Semper viguit in Ecclesia privatae Missae, uno saltem praesente et ministrante, laudabilis consuetudo, quam Haeretici Misoliturgi aliquando prohibitum fuisse nunquam poterunt demonstrare. Sive enim dicatur privata a loco, quia in privato aliquo Oratorio agitur: sive a tempore, quia non festis, sed privatis diebus fit: sive ab assistentibus, quia vel unus dumtaxat, vel pauci ei intersunt: sive ex eo quod solus Sacerdos in ea communicat: sive alia quacumque ex causa: semper eam licitam, semperque in usu fuisse, probatissimis Veterum Patrum testimoniis et exemplis demonstratur. Nam primo Apostoli circa domos panem frangebant, Eucharisticum videlicet, ut illorum Acta testantur. Viros deinde Apostolicos, qui eos proxime sequuti sunt, saepe privatim celebrasse in domibus, in carceribus, in cryptis, et in coemeteriis manifestum est. S. Irenaeus Episcopus Lugdunensis, et Martyr quotidianas Eucharistici Sacrificii oblationes suo tempore factas memorat Lib. IV adversus Haereses Cap. 34 atque adjungit: *Sic et ideo nos quoque offerre Dominus vult munus ad Altare frequenter sine intermissione*. Eusebius in vita Constantini Lib. IV. Cap. 45 refert Episcopos, qui ex omnibus provinciis ad Dedicationem Ecclesiae Hierosolymorum copiosa multitudine convenerant, incruenta saepius Sacrificia obtulisse. Marcellum Papam saepe in domo Lucinae celebrasse Acta ejus commemorant. Gregorius Nazianzenus Oratione XIX in laudem patris, eum

in cubiculo suo Sacrum egisse asseverat: et in Encomio sororis suae Gorgoniae domesticum ei Altare fuisse testatur. S. Hieronymus *Commentaria ad Caput I Epistolae ad Titum : Si laicis* inquit, *imperatur. . . . quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis, populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas?* Paulinus Nolanus ante lectulum suum parari sibi Altare jussit, ibique Sacrificium obtulit, Uranio teste in ejus Vita, paucis horis antequam moreretur. S. Ambrosius se quotidie celebrasse fidem facit pluribus in locis, et primo Lib. II Epistola XIV ad Marcellinam sororem: *Vos quoque ipsos* (inquit loquens de Justina Imperatrice Ariana, quae eum exagitabat) *mihi bonos filios gestiebat eripere, pro quibus ego quotidie instauro Sacrificium :* et in Commentaria super Epistolam ad Haebreos ait: *Nonne per singulos dies offerimus?* Augustinus Lib. XXII *de Civitate Dei* Cap. VIII missum fuisse ait unum ex suis Presbyteris in domum cujusdam Hesperii a malignis spiritibus vexatum, qui obtulit ibi Sacrificium Corporis Christi, et cessavit vexatio. Iterum Augustinus Lib. III contra Cresconium Donatistam Cap. XXIX acta publica refert, quibus Sylvanus convincebatur plures cujusdam Ecclesiae Calices tradidisse, ex quo non leve indicium sumitur plures Missas in ea privatim actas, neque enim tot Calices necessarii fuissent, si sola solemnis acta foret.

II. Alia quaedam argumenta praeterire non possumus, quibus privatae Missae antiquitas uberius confirmetur. Et primum quidem argumentum desumitur ex Missis, quae quotidie in honorem Sanctorum fieri consuevisse cujus Gregorius Papa testis irrefragabilis est Lib. VII *Epistola 29 ad Elogium Alexandrinum: Nos* inquit, *pene omnium Martyrum, distinctis per dies singulos passionibus, collecta in uno Codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum Veneratione Missarum solemnia agimus.* Alterum argumentum suppeditant Missae pro Defunctis, quae particulariter , et privatim quotidie agebantur. Et Amalarius Lib. IV Cap. 42 loca quaedam fuisse testatur , in quibus quotidie Missa pro Defunctis celebrabatur. Tertium ex multitudine Sacerdotum deduci potest, qui quotidie sacris ope-

rari solebant. Constat etiam ex subscriptionibus Concilii Romani I sub Symmacho, cui subscripsere plures Presbyteri ejusdem Tituli. Non leve insuper indicium Missae peculiariter actae praebet Altarium multitudo in eadem Ecclesia, de quibus veterum Patrum testimonia non desunt. Etenim cum in una eademque Ecclesia diversa Sanctorum Corpora humata essent, singula singulis erigebantur Altaria, et suus cuique honor exhiberetur, ut plurimum probant Aringhius, *in Roma Subterranea;* et Boldettus, *in suis Observationibus ad Coemeteria Urbis*. S. Gregorius Magnus *Lib. V Epistola 50* ad Palladium Santonensem Episcopum: *Veniens* inquit, *lator praesentium insinuavit nobis fraternitatem vestram Ecclesiam construxisse, atque illic tredecim Altaria collocasse, ex quibus quatuor necdum dedicata comperimus remansisse.* Loquitur autem de Altaribus ad usum Sacrificii, nam et Reliquias Sanctorum ipsi Episcopo mittit in iis nondum consecratis collocandas. Plura antiquitus item Romae fuisse in Basilica Principis Apostolorum ostendunt Turrigius, *de Cryptis Vaticanis;* Aringhius, *Roma Subterranea;* Ciampinus, *de Sacris Aedificiis* Cap. 4 aliique recentiores. Acca Episcopus, ut refert Beda Lib. V Historiae Cap. 21 acquisitis undecumque Reliquiis Beatorum Apostolorum et Martyrum, in venerationem illorum Altaria aedificavit distinctis porticibus intra muros Ecclesiae. Apud laudatum Bedam Missas actas in cunctis Oratoriis Monasterii, alia hujusmodi occurrunt passim in Actis Sanctorum, et in Chronicis ac Ritualibus Monachorum, sive fuerint Oratoria a corpore Ecclesiae muro sejuncta, sive Altaria sub eodem tecto; quae sane multiplicatio inutilis proculdubio fuisset, si non nisi semel in die Sacrificium offerre in eadem Ecclesia licuisset.

CAPUT IV.

DE MISSA PRO DEFUNCTIS.

I. Apostolica traditio est Sacrificium pro Defunctis offerre. Tertullianus *de Corona Militis* Cap. III *Oblationes* inquit, *pro Defunctis annua die facimus.* Similia

habet in Libro *de Monogamia*. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi V *Mystagogica: Maximum*, inquit, *esse credimus animarum juvamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius et tremendi, quod in Altari positum est Sacrificii*. S. Ephrem in Testamento hoc unicum a fratribus flagitat: *Comitamini me in Oratione in Psalmis, et in Oblationibus*. Epiphanius Haeresi 75 inter errores Aetii hunc enumerat, quod negaret offerendum esse Sacrificium pro Defunctis. S. Ioannes Chrysostomus *Homilia* III *in Epistola ad Philippenses: Non frustra haec ab Apostolis sunt legibus constituta, ut in venerandis, atque horrificis mysteriis memoria eorum fiat, qui decesserunt: Noverant hinc multum ad illos lucri accedere, multum utilitatis*. Idem sentit Homilia XXI *in Acta Apostolorum*, *Homilia XXXII in Matthaeum*, et *Homilia LXXXIV in Joannem*. S. Ambrosius id confirmat pluribus in locis, praecipue in Oratione funebri de obitu Satyri fratris sui, in Oratione de obitu Valentiniani, et alia simili de Theodosio Imperatore. Sed et expressius in Oratione prima ad Missam feria sexta dicenda: *Rogamus etiam te Domine Sancte Pater, et pro spiritibus fidelium Defunctorum, ut sit illis salus sanitas, gaudium, et refrigerium hoc magnum pietatis Sacramentum*. S. Augustinus tum alibi saepe, tum praecipue in Libro de *Cura pro mortuis gerenda* eidem veritati suffragatur. Et Possidius Vita S. Augustini Cap. XIII: *Pro ejus* inquit, *commendanda corporis depositione Sacrificium Deo oblatum est, et sepultus est*. Damascenus Apostolicum hoc esse institutum Sanctorum Patrum testimonio ostendit. Nullus vero contra solemnem illam orandi pro mortuis consuetudinem ausus est loqui usque ad annum 349, seu 350 quo illam impugnare aggressus est Aetius quo ubi primum Oblationes faciendas, fundendasque Orationes pro Defunctis negavit, a Patribus, ut haereticus damnatus est. Idque patet ex Conciliis omnium provinciarum, in quibus fit mentio Sacrificii pro Defunctis, tamquam recepti et usitati. Pro Africa Concilium III Carthaginiense Can. 29 et IV Can. 79, pro Hispania Concilium Bracarense I Can. 16 17 et 21, et Toletanum III Can. 22 pro Gallia Cabilonense II, et Aurelianense II Can. 24,

pro Germania Wormatiense II Can. 10 et Moguntinum Can. 48 exprimunt Orationes pro Defunctis.

II. Leo Allatius in suo Opere *de Purgatorio* Orientalium Synodorum Canones bene multos affert, quibus utriusque Ecclesiae in hoc Catholico Dogmate perpetuam consensionem demonstrat. *Et sane* inquit, Abraham Ecchellensis *Praefat.* in Catalogum Ebedjesu pag. 23: *Si quis sciscitatur a quocumque Orientali, an sit locus aliquis, in quo Animae Defunctorum crucientur, et an viventium suffragiis juvari possint, ut inde liberentur, statim discet ita esse, et ab omnibus Orientalibus credi.* Ita plane subdit Eusebius Renaudotius Tom. II *Liturgiarum Orientalium* pag. 104: *Certissime* inquit, *quippe constat omnes cujuscumque linguae, aut Sectae Christianos ex antiquissima disciplina orare pro mortuis in Liturgia etc. Tum etiam eo maxime confirmatur, quod Liturgia nulla sit inter tam multas, quas habent Syri Jacobitae, quae mortuorum commemorationem non contineat.* Nulla etiam apud Occidentales Missa est, in qua non oretur pro Defunctis. Ex praedictis omnibus perspicue refellitur impudentissimum Kemnitii mendacium qui in tertia parte *Examinis Concilii Tridentini Tract. de Purgatorio*, consuetudinem sacrificandi pro mortuis fuisse quidem alicubi, sed non in tota Ecclesia temere scribit. Praeterea mortuos fidelium vivorum precibus apud Deum juvari, et a piacularibus flammis, quibus in Purgatorio ipsi torquentur liberari posse aperte satis demonstrant Societates illae, quae Octavo Saeculo in commendationem mortuorum institutae sunt, et perpetua Anniversaria, quae ad eorum animas poenis eximendas frequentari coeperunt. De hujusmodi Societatibus insignis extat locus apud Venerabilem Bedam, qui pro mercede Vitae S. Guthberti Cantuariensis Episcopi a se conscriptae haec rogat in Prologo ad Eadfridum Episcopum Lindisfarnensem, *me defuncto pro redemptione animae meae, quasi pro familiaris, ac vernaculi vestri orare, et Missas facere, et nomen meum inter vestra scribere dignemini.* Plures etiam hac de re, sive pro obtinendis Defunctorum Suffragiis leguntur S. Bonifacii Episcopi et Martyris Epistolae inter eas extat trigesima quinta, quae est Bug-

gae Abbatissae in Anglia ad ipsum Bonifacium scripta anno 719, in qua eadem ab illo postulat Sanctarum Missarum Oblationes pro anima cujusdam propinqui sui nuper defuncti; ibidem pariter extat Epistola 62 Lulli Moguntini Antistitis ad Denear dum aliosque Presbyteros in Thuringia degentes inscripta, qua ex nuntio in Germaniam perlato de obitu Stephani Papae III an. 757 triginta Missas ab unoque Sacerdote pro mortuo Pontifice celebrari praecepit. Verba ipsius haec sunt circa finem Epistolae: *Misimus,* inquit, *vobis nomina Romani Pontificis, pro quo unusquisque vestrum triginta Missas cantet juxta consuetudinem nostram.* Notanda sunt porro illa verba *juxta consuetudinem nostram:* quibus antequam hac de re Ecclesiae traditionem expresse significari liquido patet. Mabillonius in *Annal. Bened.* Tom. II ad annum 709 refert S. Wilfridum Eboracensem Episcopum sub vita suae terminum designasse, et expresse testamento statuisse, ac delegasse Tasbertum Ripensis Monasterii a se in Anglia constructi Abbatem, qui singulis per annum diebus pro eo Missam singularem celebrari faceret. Et S. Anselmus Cantuariensis Episcopus et Ecclesiae Doctor, qui dum esset Prior Beccensis Monasterii, Missam pro defuncto Monacho Osberno per integrum annum quotidie celebravit, aut celebrari fecit, uti in ejus Vita apud Bollandianos ad diem 21 Aprilis Tom. II pag. 870. Iuxta Missalis Rubricas, Missae privatae pro Defunctis quocumque die dici possunt praeterquam in Festis duplicibus, et Dominicis diebus. Item quibus diebus de Festo duplici nullum Officium institui potest, Missae pariter Votivae, ac pro Defunctis omittuntur. Id observandum contigit infra Octavas Epiphaniae Domini, Paschatis, ac Pentecostes. Licet autem infra Octavas Corporis Domini, ac Natalis ejusdem de Festo duplici celebritas agatur, Sacra tamen Rituum Congregatio annis 1670, ac 1700 vetuit, ne Solemnia pro Defunctis eo tempore indicerentur. Idem omnino praecipitur, quum Sacrosancta Eucharistia palam exposita adoretur. Sanctus Thomas docuit *4 Dist.* 45 quaest. 1 art. 3 quod *ex parte Sacrificii Missae aequaliter prodest Defuncto, de quocunque dicatur; ex parte*

tamen orationum magis prodest illa, in qua sunt orationes ad hoc determinatae : ob hanc causam de quibusdam piis hominibus traditur, qui Missam pro Defunctis quotidie celebrare voluerunt. Illis tamen omissis, quae instinctu divino, afflatuque facta fuisse putandum est.

CAPUT V.

DE HORA LOCO ET APPARATU QUIBUS MISSA CELEBRARI INCOEPIT.

I. Tempore persecutionum cum Fideles omni solicitudine et industria paganis occultarent sacra mysteria; eos nocte, aut saltem summo mane tenebris adhuc terrae faciem occupantibus celebrare necesse erat : alioquin si de die convenissent, facili negotio ab infidelibus et nominis Christiani infensis hostibus deprehendi potuissent. Hinc et Apostolus cum esset Troade nocte fregisse panem refertur. Hinc Plinius Secundns Lib. X Epistola 97 ad Troianum scribit : *Quod soliti essent stato die ante lucem convenire.* Hinc et apud Minucium Felicem Christiana Religio dicitur *natio latebrosa , et lucifugax.* Hinc nocturnae *convocationes,* apud Tertullianum , et *coetus antelucani* apud eumdem. Reddita postmodum Ecclesiae pace certa hora rei divinae celebrationi tributa est, diversa tamen pro dierum, temporumque diversitate. Horam tertiam quolibet die festo servatam semper fuisse veterum Patrum pervincit auctoritas. Gregorius Turonensis in Vita S. Nicetii, *Hora tertia,* inquit, *cum populus ad Missarum solemnia conveniret.* Gregorius Magnus Homilia 37 in *Evangelia* de Cassio Narniensi Episcopo sermonem habens ait: *Oblaturus Sacrificium ad horam tertiam venerat.* Apud Reginonem Prumiensem Abbatem Lib. I *de Ecclesiastica* Disciplina inter ea, quae Episcopus Paroecias suae Dioecesis perlustrando inquirere debet unum illud est num. 29 *Si Missarum solemnia non ante horam tertiam celebrentur.* Idem usus hora tertia Missam celebrandi et apud Graecos obtinuit , uti docet Nicetas Pectoratus. Missa enim privata saltem post Matutinum et Laudes

dici potest tantum quacumque hora ab aurora usque ad meridiem. Ita ex Rubrica Missalis, et ex Cap. *Necesse est de Consecratione dist. I.* Hinc non potest amplius nunc celebrari tempore Vespertino ex Constitutione IV S. Pii V incip. *Sanctissimus*, ubi omnia privilegia quoad hoc revocantur; nec post horam Nonam ex Constitutione XIV Innocentii IV incip. *Sub Catholicae*. Quare nunc iuxta Sotum tempus statutum Missis celebrandis ab initio Aurorae usque ad Meridiem quocumque tempore anni decurrit, nisi aliter ex novo privilegio concessum fuerit. In terris infidelium celebrari potest una hora ante Auroram, et una hora post meridiem ex Constitutione Pauli V *Ex omnibus*. Missa autem Conventualis, et Solemnis hoc ordine dici debet. In festis duplicibus, et semiduplicibus, Dominicis, et infra Octavas dici debet post dictam in Choro horam Tertiam. Ita ex Amalario Lib. III Cap. 41, idque ea fortasse ratione praeceptum, quod ea hora Christus in Crucem ascenderit idest linguis Iudaeorum clamantium *Crucifige*, quasi Cruci affixus sit; vel quia ut ait Radulphus, hora tertia missus fuit Spiritus Sanctus. In festis simplicibus, et feriis per annum Liturgia sacra habenda est post Sextam dictam in Choro. In Adventu autem, Quadragesima, Quatuor temporibus, etiam infra Octavam Pentecostes, ex Vigiliis quae jejunantur, quamvis sint dies solemnes, Missa de tempore cantari debet post Nonam. Cantanda est post Sextam in Profestis, qualia sunt festa simplicia, et Feria, quia ut ait Alcuinus Lib. I Cap. 113 Christus hora sexta manibus Gentilium crucifixus est. Laetitia in Festis horam Tertiam requirit, luctus Nonam. Cantanda vero est post Nonam in diebus jejuniorum quia ut ait Micrologus, jejunium olim usque ad vesperam protrahebatur. Missa Defunctorum dicenda est post Primam diei; est enim properandum in suffragiis Defunctorum. In die vero Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, Missa Conventualis post Nonam dicitur, quia eo die est principalis, et quia denique hora Nona moeroris est, ut in die jejunii.

II. Generatim loquendo, Sacrificium Missae in Templis ab Episcopo, ad quem solum Consecrationis aucto-

ritas spectat consecratis, vel ab ipso, aut a simplici Sacerdote ejusdem usu benedictis, vel in privatarum etiam aedium Sacellis, accedente legitima facultate, est celebrandum. Apostolorum aetate occurrit textus, qui de Sacrificii loco aliquid nobis indicare videtur. In Act. Apostolorum Cap. XX ubi de conventu in tertia domus contignatione ad *frangendum panem* habito scribitur. Praeterea fuere tunc temporis loca Deo dicata, in quibus solebat populus orare, Synaxim agere, audire verbum Dei; illaque loca Ecclesiae dicebantur, ut colligitur ex Apostolo ad Corinthios Cap. XI v. 22 scribente: *Convenientibus vobis in unum audio scissuras esse inter vos* Et paulo post: *Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Quaerenda igitur subsidia in hanc quaestionem ex Fastis Ecclesiasticis, e quibus, ut Baronius adnotat ad A. C. 57 edocemur, ab ipsis Ecclesiae primordiis complura fuisse Templa, in quibus Missa celebrari consuevit quaeque *Dominicum*, *Domus Dei*, *Basilica*, *Memoria*, *Martyrium*, *Titulus* appellabantur. Saevientibus (1) dein persequutionibus, si in Templo celenrandi copia non daretur, nullus ferme non erat locus, in quo Sacra Mysteria non peragerentur: quo spectant verba Dionysii Alexandrini apud Eusebium Lib. VII *Historiae Ecclesiasticae* Cap. 22: *Quivis locus. . . ager, solitudo, Navis, stabulum, carcer ad sacros Conventus peragendos fuit.* In Actis S. Saturnini, et Sociorum Martyrum *Dominicum*, *et Collectae* in privatis domibus celebratae dicuntur. Porro *Sacros Conventus peragere*, *Collectas*, *et Dominicum celebrare* sunt dicendi modi illius aetatis, qui ad Missae Sacrificium referuntur. Romae autem, dum persequutio vehementius saeviebat, in Arenariis, et Cryptis sacra peragebantur, convenientibus illuc Fidelibus ut Sacrificii absque persequutorum metu participes efficerentur. In carceribus etiam Mysteria olim oblata fuere, ut ex S. Cypriani Epistola V ad Presbyteros, et Diaconos eruitur. Hinc constans viguit disciplina ut in Templis, nisi necessitas

(1) Vide opus nostrum cui titulus: *Antiquitatum Christianarum Institutiones* Tomus I Liber II Caput I.

contrarium praeciperet, incruentum Sacrificium Divino Numini exhiberetur, luculenter id tradente S. Basilio *Libro de Baptismo* Cap. VIII, et Cyrillo Alexandrino *Libro adversus Antropomorphitas* Cap. XXII. Olim tamen per Can: *Sicut de consecratione* Dist. 1. Episcopis facultas competebat alia etiam loca, et privata Oratoria designandi, in quibus Sacrificium perageretur. Id vero iis per Sacram Tridentinam Synodum ademptum, et omne jus privata Sacella concedendi ad Sanctam Sedem Apostolicam retractum fuit. Quamquam autem comperimus, nequaquam concessum esse Missas alibi, quam in Templo, aut Oratorio Sedis Apostolicae auctoritate constituto celebrare; urgente tamen necessitate, etiam in itinere, sub dio, in castris, et alio quovis decenti, et honesto loco Sacrificium offerri potest, dummodo tabula Altaris consecrata ceteraque sacra ornamenta adsint.

III. Recta methodus postulat, ut investigemus, quo tempore, et quo apparatu Missae Sacrificium inchoaverit. Et quidem quod ad primum attinet, ex Evangelio constat, et a Concilio Tridentino confirmatur, Iesum Christum per haec verba: *hoc facite in meam commemorationem*, in ultima Coena non modo Missam, verum etiam Sacerdotii ordinem instituisse. Quaeritur itaque solum, quonam tempore Apostoli Divino praecepto obtemperantes incruentum Sacrificium primum obtulerint? Toto post Christi mortem triduo oblatum fuisse negat communis Doctorum opinio. Inter argumenta, quae a P. Theophilo Raynaudo afferuntur, illud postremum non est, quod inscribitur: *De prima Missa* Opp. Tom. VI Lib. I. Cap. 5. Postquam ibi asseruit Apostolos ob amantissimi Praeceptoris mortem moerore pene confectos, et velut oves interfecto Pastore dispersos, per illud Triduum Sacrificio abstinuisse, ipsos deinde revocato ad vitam Domino incredibili voluptate excitato primum Deo Sacrificio obtulisse, affirmat, ut supremum ipsi cultum persolverent, vel ut gratias agerent pro redivivo Praeceptore, vel ut memoriam acerbissimae ejusdem Passionis recolerent, vel denique, ut Fideles, ac se ipsos singulari laetitia recrearent. E contrario Cardinalis Bona *Rerum Liturgicarum* Lib. I. Cap.

5 primum Sacrificium in Pentecostem usque prorogatum existimat, quum super eos de Coelo Paraclitus immissus fuit; idque affert argumentum, quod lex vetus usque ad Pentecostem vim suam retinuerit, quum nova nondum satis promulgata esset, ideoque, *non decebat novum offerri Sacrificium Sacerdotio nondum translato.* Huic quidem sententiae congruit Sacrarum Litterarum anctoritas, in quibus Apostoli simul in Coenaculo coacti ante illapsum Paracliti describuntur *perseverantes unanimiter in oratione.* Deinde quum dies Pentecostes complerentnr, et sub variis linguis in illos Spiritus Sanctus descendisset, tunc quoque, erant *perseverantes in communicatione fractionis panis, et orationibus.* Quod ad primum Missae apparatum spectat; quidquid de S. Pauli *penula* disceptetur, utrum sacra vestis, an volumen sacrae Legis fuerit: illud affirmamus cum SS. D. N. Benedicto XIV, quod licet non eadem pompa, eademque magniflcentia, qua posterioribus Ecclesiae Saeculis, sancta Mysteria celebrata fuerint; Apostolos tamen super Altare rem Divinam fecisse, ut ex verbis S. Pauli patet: *Habemus Altare, de quo edere non habent potestatem. qui tabernaculo deserviunt.* Affirmamus etiam, eos ad imitationem Iesu Christi, Calice usos fuisse, et Patena, uti ex antiquissimorum Librorum testimonio liquet, cuiusmodi est Liturgia, quae S. Iacobo tribuitur. Dicimus tandem esse veritati maxime consentaneum, quod Apostoli sacrum facientes indumenta a communi usu remota assumpserint. Id enim et rei dignitati maxime convenit, et Iudaeorum exemplis ante oculos propositus suadebatnr.

CAPUT VI.

DE ALTARIS ORNATU PRO CELEBRATIONE MISSÆ.

I. De Altaris ornatu dicendum nunc est, sine quo Missam celebrare, aut nefas est, aut indecorum. Consistit hic in linteis mundis tribus ab Episcopo, vel ab alio facultatem habente benedictis: in Altaris pallio, cujus color Festivitati congruet; in Tabellis Secretarum; in pulvino; in duobus ad minimum Cereis; in binis

ampullis, in manutergio, et Cruce. Inter Candelabra Crux in Altari collocari solet, ab aspectu siquidem Crucis Sacerdoti celebrandi Passio Jesu Christi in memoriam revocatur, cujus passionis viva imago et realis repraesentatio hoc Sacrificium est, mortem cruentam Salvatoris nostri incruente exprimens, tamquam idem Sacrificium, quod in Cruce oblatum est, quamvis diverso modo offeratur. Ideo Sancti Patres, ut Seraphicus Bonaventura testatur Libro *de Mysteriis Missae*, statuerunt ne quisquam Missas agat, nisi in Altari adsit imago Crucifixi. Praeterea concors pene est Theologorum opinio, etiam in Altari, ubi Sanctissima custoditur Eucharistia, Crucis Imaginem esse collocandam. Neque officit, quod eidem Tabernaculo parva Crux cum Imagine Salvatoris semper prefigatur. Hoc enim nulla ratione sufficit, ut expresse censuit Congregatio Sacrorum Rituum anno 1663 in Indice Decretorum quem Meratus exhibuit part. 2 Tom. I num. 400 ubi haec leguntur verba: *Crux parva cum Imagine Crucifixi posita super Tabernaculum, in quo asservatur inclusum Sanctissimum Sacramentum in Altari, non est sufficiens in Missa, sed poni debet alia Crux in medio Candelabrorum.* Hinc SS. D. N. Benedictus XIV animadvertens hunc in plures Ecclesias abusum irrepsisse, ut aut sine Cruce, aut cum exigua, ac tenuissima Sacrificium offerretur; sapientissimam anno 1746 edidit Constitutionem in qua diserte, ac severe prohibet: *Ne Missae Sacrificium in his Altaribus celebretur, quae careant Imagine Crucifixi, vel ipsa incommode statuetur ante Presbyterum celebrantem, vel ita tenuis et exigua sit, ut ipsius Sacerdotis, et populi assistentis oculus pene effugiat.* Quod alienum esse a Legibus, Rubricis, et Institutis Ecclesiae, contrarium Sacrae antiquitati, et moribus Ecclesiarum Orientalium invictis argumentis demonstrat. Praeterea Crucem non nudam, sed cum Redemptoris effigie in Altari statui deberi asserit. Nam licet in Missalis Rubrica sola Crux commemoretur; id tamen magis in Ceremoniali Episcoporum dilucidatur, et Crucifixus clare exprimitur. Quod etiam communi totius Ecclesiae consuetudini consentaneum videmus. Si vero in Altaris tabula Crucifi-

xus vel pictus vel coelatus primum locum obtineat, Crucifixum inter Candelabra ponendum minime necessarium arbitratur, ut Congregatio SS. Rituum anno 1663 respondit. Quae itidem circa quaestionem: *An super Altare, in quo Sanctissimum Sacramentum expositum est, Crux de more collocari debeat*; in tamque variis Doctorum sententiis media via procedens anno 1741 die 2 Septembris ita decrevit: ut quaelibet Ecclesia morem et institutum, quod antea servaverat, in posterum quoque retineret.

II. Communia omnibus Ecclesiis sunt Candelabra, aliaque vasa affabre facta ex auro, argento, aliove metallo, quibus fixae candelae, vel ellychnia oleo fota accendebantur ad praebendum lumen, ab ipsis Apostolorum temporibus fuisse in Ecclesia, inde ostendit Baronius anno 58 quia hic usus jam ante vigebat apud Hebraeos, quibus in Templo, et lucernae succensae erant, et aureum Candelabrum pretiosissimum, Exodi Cap. XXV egregie descriptum. Quam vero sumptuosa haec essent, satis expressum habemus apud Anastasium, et alios, qui Summorum Pontificum donaria recensentes frequenter enumerant pharos coronatos, lampades cum delphinis, et lucernas aureas atque argenteas, multique ponderis, in quibus non solum cera, et oleum commune, sed aliquando oleum pretiosissimum et opobalsamum incendebatur. His autem vasis dives erat Ecclesia etiam sub ethnicis Imperatoribus, qui ipsam devastabant. In Actis enim Proconsularibus traditae leguntur in Africa ministris Diocletiani lucernae argenteae septem, aeneae undecim cum catenis suis, candelae breves aeneae cum lucernis suis septem. S. Lucas Act. Cap. XX v. 7, et 8 bene multas accensas lampades eo loci extitisse refert, ubi S. Paulus longum sermonem habuit prima hebdomadae die, quam S. Joannes diem Domini nuncupavit. Ad annum 230 insigne prodigium contigit, quo Deus Ierosolymitanam Ecclesiam luminum laetitia orbatam remanere non passus est, Eusebius enim *Historiae Ecclesiasticae* Lib. VI Cap. 7 memoriae prodit, cum oleum defecisset, lampades omnes, S. Episcopo Narcisso jubente, aqua ex proximo puteo hausta repletas melius arsisse, quam si optimo oleo refertae fuis-

sent. Est et Canon III Apostolorum, ne liceat aliquid aliud ad Altare offerre praeter oleum ad luminaria, et incensum tempore sanctae oblationis. Athanasius in Epistola ad Orthodoxos de Arianorum persecutione ethnicos ab illis in Ecclesiam introductos conqueritur, qui Candelabra deposuerunt, et cereos idolis incenderunt. Eumdem luminum usum indicat Paulinus Natali III S. Felicis:

Clara coronantur densis altaria lycnis,
Lumina ceratis adolentur odora papyris.

Et S. Hieronymus in Libro contra Vigilantium ait: *Per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur lumina jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras: sed ad signum laetitiae demonstrandum.* De luminum usu in Ecclesiis loquuntur Tertullianus, S. Ambrosius, S. Ioannes Chrysostomus, S. Augustinus, Eusebius. Et Isidorus Lib. VII Originum Cap. XII hanc rationem addit ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua in Evangelio legitur: *erat lux vera, quae illuminat omnem hominem.* Praeclare item Micrologus Cap. II: *Iuxta Romanum Ordinem nunquam Missam absque lumine celebramus, non utique ad depellandas tenebras, cum sit clara dies, sed potius in typum illius luminis, cujus Sacramenta ibi conficimus sine quo et in meridie palpamus, sicut in nocte.* Symbolica causa ex Veteri, et Novo Testamento depromitur. Jussit olim Deus, Exodi Cap. XXV fieri Candelabrum, et septem in eo locari lucernas, Cap. XXVII offerri jussit oleum ex oliva, quo lucernae alerentur. In Psalmis á Deo petimus, ut lucem suam ad nos trasmittat. Lumina insuper hinc et inde accensa indicant splendorem Doctrinae Christi, qua illuminati Iudaei et Gentiles ex umbris, et errorum noctis tenebris in admirabile Evangelii lumen conversi sunt. Lumina juxta Innocentium III significant etiam fidem populorum, vel charitatem Christi in Sacrificio ex Biel.

III. Linteorum, quibus Altaria tegebantur, usum fuisse antiquissimo more receptum, Optatus Milevitanus te-

statur , et pulcherrimum habetur Concilii Rhemensis decretum: *Ut mensa Christi, idest Altare, ubi Corpus Domini consecratur, ubi sanguis ejus hauritur, ubi Sanctorum Reliquiae reconduntur, ubi preces, et vota populi in conspectu Dei a Sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honoretur, et mundissimis Linteis, et Palliis diligentissime cooperiatur*. Hae numero fuerunt ternae, et prima quidem ceteris aliquantulum vilior *substratorium* appellabatur; cui duae, aliae, *syndones* dictae, superimponebantur. Lintea hujusmodi exhibent , et repraesentant vel linteamina , quibus Christi Corpus in Sepulchro involutum est, et ideo in Actis Ecclesiae Mediolanensis mappae hujusmodi dicuntur Sindones ; vel repraesentant candorem sacrae humanitatis Christi, et ideo non vacat culpa uti in Sacrificio mappis immundis, vel alias indecentibus. Ex quo in Iure dicantur *lintea* deducitur, mappas debere esse pannum ex lino confectum. Insuper ad idem pertinent vasa aurea, et argentea , flores, thecae pretiosae cum Reliquiis Sanctorum, et alia ejusdem generis, quae licet necessaria non sint, solent, tamen ad ornatum Altaris adhiberi. Theodoretus Lib. I *Historiae Ecclesiasticae* Cap. 29 loquens de Encaeniis , sive consecratione Templorum , quae a Constantino Magno Hierosolymis aedificata fuerunt, divinum Altare aularis regalibus , vasisque aureis omni genere gemmarum collucentibus ornatum fuisse refert. De Floribus positis in Altari testimonium habemus S. Augustini Lib. XXII de *Civitate Dei* Cap. 8, ubi refert, quod Martialis quidam Christianae Religionis hostis conversus est ad Iesum Christum propter orationem factam ab ejus genero in Oratorio S. Stephani , et propter flores, qui ex Martyris Altari desumpti erant. Sanctus Severus, ut de eo refert Gregorius Turonensis Libro *De Gloria Confessorum* Cap. 50: *Solitus erat flores liliorum tempore quo nascuntur colligere , ac per parietes hujus aedis appendere.*

CAPUT VII.

DE PIETATE, AC RELIGIONE IN SACRO CELEBRANDA NECESSARIIS, AC DE TEMPORE, QUOD ILLIS IMPENDI DEBET.

I. Sacerdos Missam auspicaturus primo seipsum ad tantum opus disponit, ut sit purus mente, et corpore. Si Sacerdotibus Veteris Legis, quibus omnia in figura contingebant, uti habetur I ad Corinthios Cap. X v. 6, dictum fuit Isaiae Cap. IV *mundamini*, *qui fertis vasa Domini*, quanto magis Novae Legis Sacerdotes, qui non carnes taurorum, aut vitulorum, sed verum illum agnum Dei, qui tollit peccata mundi, sacrificaturi sunt, mundi corde, et corpore esse debent. Et animae quidem puritatem comparat sacramentali Confessione, si alicujus culpae sibi conscius sit. Id enim Apostolus praecepit dicens: *probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de Calice bibat: qui enim manducat, et bibit indigne; judicium sibi manducat et bibit.* Ideo Chrysostomus initio suae Liturgiae ait: *Sacerdos divinum mysterium peracturus ante omnia confiteri, et cum omnibus reconciliatum se habere debet.* Et in Liturgia Basilii exclamat Pontifex: *Sancta Sanctis.* Hoc ipsum Cyprianus apertissime docet Libro *de Lapsis.* Ideo antiqui Sacerdotes suam semper infirmitatem suspectam habentes, humanique cordis pravos et profundissimos recessus formidantes; in quibus saepe latent minuta et occulta peccata, scientes quoque multa non advertentibus irrepere, multa e memoria excidere, cum timore et tremore in opera poenitentiae incumbebant, et sacris operaturi prolixis precationibus, quas *Apologias* vocabant, ad ostium divinae Misericordiae pulsabant, ut ab omni macula expurgarentur. Plures hujusmodi *Apologiae* extant in priscis Sacramentorum Libris, quarum praecipuae apud Menardum legi possunt pag. 242 et infra in Appendice. Dicuntur autem *Apologiae*, quia in his Sacerdos excuset et purgat se, quod peccator et indignus ad sacra mysteria accedere praesumat. Observat Menardus eas olim legi

consuevisse ante Offertorium, cum peracta Missa Catechumenorum incipiebat Missa Fidelium ; sed in ea, quam edidit Illyricus pleraque dicuntur ante Introitum et dum *Gloria in excelsis*, et *Graduale* cantantur.

II. Praeter *Apologias* erant aliae orationes praeparatoriae, quas Georgius Pachymeres Προτελεστικας vocat, quod ante Τελετην *teleten* seu Sacrificium dicerentur: Preces vero praeparatorias, easque prolixas semper in usu fuisse, crebris Sanctorum exemplis docemur, qui tandiu in Oratione perseverabant, donec gratia Spiritus Sancti mirabiliter imbuti, ejus virtute et impulsu ad celebrandum excitarentur. Usus quoque quorumdam Psalmorum ante Missam antiquus est. Vetus Missa ab Illyrico edita antequam Sacerdos sacris vestibus induatur, dici mandat, si tempus permiserit, flexis genibus coram Altari septem Psalmos Poenitentiales cum Litania, et aliis prolixis precibus, post quas sequuntur alii septem Psalmi. Missale Hispalense editum anno 1534 jubet dici septem Psalmos Poenitentiales, cum reliquis, qui hodie notantur in Missali Romano, et leguntur in plerisque Missalibus manuscriptis Bibliothecae Vaticaticanae. Micrologus Cap. I *Presbyter; cum se parat ad Missam juxta Romanam consuetudinem* decantat hos Psalmos, *Quam dilecta*, *Benedixisti*, *Inclina Domine*, *et Credidi*. Deinde *Kyrie eleison*, *Pater Noster*, cum precibus et oratione pro peccatis. Quidam praemittunt Hymnum *Veni Creator Spiritus*. Spectat etiam ad animae puritatem comparandam, ut Sacerdos quantum est in se, pacem cum omnibus habeat, nec ulla sit ei querela adversus aliquem. Ita Chrysostomus initio suae Liturgiae, et Pontificale Graecorum in principio ordinis Liturgiae Patriarchalis. Cum enim Sacrificium Symbolum pacis sit, et mutuae unionis professio ac protestatio, necessaria prorsus est ante sacram Synaxim cum fratribus reconciliatio, ne Sacramentum unionis, èt pacis sine pace, et unione recipientes, mendaces coram eo inveniamur, qui est Deus pacis et dilectionis. Accedit lotio manuum, quam ex quodam naturae instinctu ipsimet Ethnici sacrificio praemittebant. Eadem Religio Hebraeis fuit, legimus enim Cap. XXX Exodi, positum in Templo Labrum aeneum cum aqua,

ut quando Sacerdotes ingressuri erant Tabernaculum Testimonii, et accessuri ad Altare manus antea lavarent. Hinc probabile est hunc ipsum morem ad Christianos fluxisse ut fontes ante fores Templorum collocarentur, quatenus Sacrificia vel preces oblaturi puras ad Deum manus levarent sicut Apostolus scripsit I ad Timotheum Cap. II et externa lotione internae puritatis admonerentur. Ex veteri igitur Ecclesiae instituto Sacerdos lavat manus ante sacrum, Deum interim exorans, ut sicut exterius abluuntur manuum inquinamenta, sic ab eo mundentur interius sordes mentis. Indutus Sacerdos sacris vestibus panem et vinum ad usum Sacrificii praeparat; quod a Latinis in Sacrario, a Graecis in Prothesi fit. Et Latini quidem nulla caeremonia in pane praeparando utuntur, nisi quod Hostiam Patenae superponunt, et praeparant ante Missam. Vinum vero infundunt Calici, et aqua miscent in Altari, post oblationem. At Graeci majori apparatu hoc ipsum praestant in minori Altari ad laevam majoris posito, in quo dona sacranda primo proponuntur, et primam quodammodo sanctificationem precibus Sacerdotis accipiunt.

III. Scriptores Liturgici juxta Rubricam, temporis spatium, quod in Missae celebratione impenditur, duplex constituunt; videlicet interius, et exterius. Primum quidem in recta, et integra verborum pronunciatione, in precibus, caeterisque rebus, quae a sacris ritibus praescribuntur, attente, et decenter absolvendis collocatur; alterum vero illud est, quod pietati Sacerdotis liberum relinquitur. Admonent tamen, ut prolixitatem quo possunt studio singuli evitent, ne fastidium populo afferatur. De illa sane sermonem habebat S. Philippus Nerius, quum Sacerdotes, qui in sacro peragendo coelesti voluptate supra modum cumularentur, hortari solebat, ut dicerent: *Non palam has delicias, sed clam in cubiculo magis optarem.* Itaque, si spatium temporis interius, quod requiritur in iis omnibus rite perficiendis, sedulo perpendatur, non ita brevi tempore, ut multi existimant, sacrum expediri potest, sed ex unanimi Scriptorum opinione, ad tertiam horae partem saltem debet pertingere, neque horae dimidium excedere. Haec sententia pariter continetur in illa Institu-

tione, quae in appendice postremi Romani Concilii excusa fuit. Igitur parvi faciendi sunt inepti quorumdam sermones, qui nulla piétate praediti pravam consuetudinem tueri contendunt, ob quam nulla habita honoris ratione rem divinam conficiunt, et praecipiti lingua omnia perturbant. Iactant igitur in populum, Missas prolixas fastidium gignere; Agnum Paschalem, qui Christum Dominum exprimebat, ea lege fuisse Iudaeis propositum ut comederent festinanter; Sanctum Thomam Cantuarianensem Archiepiscopum in Sacro peragendo valde expeditum; postremo satis esse, si omnia legantur, et nihil eorum, quae praescripta sunt omittatur; nullo autem pacto constitui debere tempus, quod Sacro absolvendo insumatur. Praterea nihil ducendae sunt injustae illorum querimoniae, ac fastidium, qui Missae Sacrificium celerrime absolutum expeterent. Plurimi enim numerantur, qui pietate insignes ob ejusmodi brevitatem graviter animo commoventur, eosque Sacerdotes summopere commendant, qui pie, et eo temporis spatio, quod supra definitum fuit, Sacrum conficiunt. Prae caeteris tradit Cardinalis Baronius ad annum Christi 418 sub finem num. 35, S. Augustinum inter alia mala, quae vehementer arguere solebat, illud praesertim quorumdam extitisse, *qui queruntur de prolixitate Missarum*. Qnod autem ad illam Exodi auctoritatem spectat pulchre eam Theophilus Raynaudus explicat Tom. XVI pag. 10: *Nam quoad significationem transitus quam celerrimi, Aegyptiis urgentibus, brevissime confecti, necessaria erat ea festinatio in Sacrificio Agni consumendo; quae ratio properandi cessat in hoc negotio.* Exemplum autem S. Thomae Cantuariensis illis procul dubio adversatur. Utinam, et illi tanta devotione tanta cordis contritione, tanto dolore sancta peragerent mysteria. *Comedebat enim*, ut in Vita illius scribit Gregorius XI, *festinanter propter emissiones per Angelos malos, perniciosum scilicet vanarum cogitationum superventum in Sacramentali Dominici Corporis perceptione non tardius, non morosus, non nova, praeterquam, quae in Canone constituta sunt*, adiungens: *Verum ea praesertim hora profundissimas, tamquam ex intimis pietatis visceribus lachrymas profundebat.*

Ipsorum oculis subjici potius deberet exemplum Rogerii Salesburiensis Episcopi, qui misere vitam absolvit, uti refert Guillelmus Neubricensis, quum sacrum nimis festinanter et sine debita pietate celebraret, qua arte sibi gratiam Henrici I Angliae Regis conciliaverat. Insuper inter caetera, quae in Concilio Constantiensi contra Ioannem XII prolata sunt, illud quoque locum habuit: *Quod Missam raro currenter, sine devotione celebraret.* Non semel etiam improvisa morte aliqui Sacerdotes oppressi fuerunt, quod probissimi homines divino sane judicio contigisse putaverunt ob indignam festinationem, qua rem divinam conficiebant, quemadmodum Pius Settala Dertonensis Episcopus testatur.

CAPUT VIII.

DE MISSAE INITIO.

I. Cum ipsa Jesu Christi Ecclesia, pia illa consuetudo, ut ex Tertulliano habemus enata est, ut omnium actionum nostrarum a Crucis signo ducatur initium. Quid igitur mirum, si id pariter in Sanctissima Christianorum actione, Missae videlicet Sacrificio, fieri soleat? In eo itaque Sacerdos a Crucis signo Sacra Mysteria exorditur. Insuper Missam Crucis signo Sacerdos inchoat, quia sibi renovandam mortis Christi memoriam proponere debet. Descendit sub infimum Altaris gradum Sacerdos, ut significet, se humiliari coram Deo: stat vero in medio ante Altare, locumque nobiliorem sibi proprium occupat, ut servet sui muneris dignitatem. Iungit manus ante pectus; idque humilitatis gratia. Post Antiphonam *Introibo* recitat Psalmum 42 *Judica me Deus.* Hujus Psalmi suum quisque versum alternatim recitant Sacerdos et Minister, et ad finem Psalmi alternatim pariter recitant *Gloria Patri.* Hunc Psalmum David cecinit cum fugiens a facie Saulis, et exule patria ut declinaret Regis furorem, consolabatur seipsum hac spe fretus quod reversurus esset tandem in Urbem Ierusalem, introiturus ad Altare Dei, ad offerenda Sacrificia. Hoc ipsum Christianis apprime convenire palam est. Exules enim a patria caelesti maero-

rem exilii nostri levare debemus spe patriae tandem repetendae. Sacerdos recitat hunc Psalmum alternatim cum Ministris, quia populi adstantis est, non secus ac Sacerdotis, accedere cum fiducia et laetitia ad Altare Dei, ad offerendum Sacrificium per manus Sacerdotis. Ideoque ea est Ecclesiae mens, ut adstantes hunc Psalmum secreto recitent cum Sacerdote. In aliquibus Ecclesiis dicebatur tantum versus *Introibo*, non vero Psalmus *Judica*, ut videre est in Missa antiqua Mozarabum. In Ordine Romano antiquo nihil legitur de Psalmo *Iudica*, neque de Antiphona *Introibo*. Primis Ecclesiae Saeculis non erat unum, idemque omnibus in locis Missae exordium. Olim, Psalmus *Judica me Deus* teste Martene, recitabatur a Benedictinis, dum e Vestiario procedebant ad Altare. Hic mos servabatur olim in nonnullis Galliarum Ecclesiis. In aliquibus Ecclesiis recitabatur in ipso Sacrario, antequam Sacerdos Casulam acciperet. Vertus affirmat non amplius, quam a ducentis annis Romanam Ecclesiam illum recitare coepisse initio Missae. Sed errat, manifeste, Micrologus ad annum 1090 asserit Sacerdotem jam indutum ad Altare procedere, eodemque tempore dicere *Introibo*, et Summus Pontifex Innocentius III ante annum 1200 nos monet Sacerdotem non dicere *Confiteor*, nisi recitato ad Altaris pedes Psalmo *Judica*, quippe qui eum decet qui digne ad illud ascendere cupit. Ex eo tempore ita semper ab iis qui Romanum Ritum servant, recitari consuevit. Durandus Saeculo XIII hujus Psalmi in Missa recitandi consuetudinem adeo antiquam posuit ut eam Caelestino Papae tribueret. Non defuere tamen, qui Psalmum quem diximus, ex pietate tantum recitari crèderent, eumque proinde omitterent; quod in causa fuit, ut in S. Pii V Rubrica statueretur, ne quis eum praetermitteret. Praedictus Psalmus *Judica etc.* in Missis Defunctorum, tempore passionis omittendus est, idque propter ea verba: *Quare tristis es anima mea?* Ista enim ad laetitiam invitant; parum igitur cohaerere videntur cum lugubri Passionis, et Defunctorum Officio; ab his quippe non est fuganda tristitia.

II. Sacerdos junctis manibus, et profundus inclinatus dicit: *Confiteor*, sibique manu dextera ter pectus per-

cutit dicens : *mea culpa*. Jungit Sacerdos manus, in abjectionis modum peccatoris rationi congruum consistit. Peccata nos in terram flectunt; in eam ergo Sacerdos defigit oculos, quos Publicani exemplo non audet ad Deum quem laesit, attollere. Sibi pectus percutit, est jampridem in more positum, ut ex propriis peccatis perceptus dolor ita exprimatur. Deum exorans Publicanus sibi pectus percutiebat, dicens: *propitius esto mihi peccatori* Luc. Cap. XVIII v. 13. Qui se dolore affectos sentiebant, quod in Iesu Christi Domini mortem consensissent, sibi pectus percutientes revertebantur; et Christifideles adeo sibi pectus percutere consueverant, dum dicerent, *Confiteor*, ut vix S. Augustinum in quodam Sermone Christi verba, *Confiteor tibi Pater*, pronuntiantem audiens universus caetus sibi pectus percusserit. In omnibus Liturgiis Confessio jam facta ponitur, et in multis quidem expressis verbis affertur. Romanorum Ordinum vetustissimi Sacerdotem dicunt ad Altare post Confessionem accedere, cujus tamen formam nequaquam praescribunt, ut ea proinde non iisdem omnino verbis in Ecclesiarum plerisque fieri consueverit. Longiores complures erant, perbreves aliae, quae passim obtinebant, et apud Religiosorum Ordinum bene multos X, XI, XII, Saeculis usui fuere, servatae sunt. Formula, qua nunc communiter Romana Ecclesia utitur, tribuitur Damaso Romano Pontifici a Radulpho Tungrensi, et a Platina. Berno *de Officiis Missae* Cap. 25 ejus auctorem facit Pontianum Pontificem. Ast neque a Damaso, neque a Pontiano eam institutam fuisse censent Bona, Meratus, et Benedictus XIV, prisci enim omnes Scriptores de hac re omnino silent; eam proinde aevo dictorum Pontificum valde posteriorem arbitrantur. Micrologus, qui floruit XI Saeculo Cap. XIII refert formulam diversam ab ea, qua nunc utimur; haec igitur nec Pontiano, nec Damaso tribuenda est. Quidquid vero sit de hodierna formula, ejusque auctore. certum est, hanc in Missali S. Pii V praescribi recitandam, exceptis Carthusianis, Fratribus Praedicatoribus, et aliquot aliis Ordinibus, apud quos Confessionis formula contractior est. Quamcumque tandem diligentiam Sacerdos, antequam ad Altare progrediatur, cu-

ramque adhibuerit, semper tamen peccatoris notam ipse secum defert. Primo quidem pro se, tum pro populo oret. *Confiteor Deo omnipotenti*; Ei scilicet, qui unus peccato remittit, animumque purgare potest; tribus Divinis Personis uni Deo, Creatori, Redemptori, Judici. *Beatae Mariae semper Virgini*; quae Beata nimirum omnibus retro Saeculis agnita fuit, *Beatam me dicent omnes generationes*, utpote quae Christum Jesum pepererit, Advocata nostra, peccatorum poenitentium asylum; semper Virgo, creatarum rerum omnium praestantissima, quippe quae et Virgo, et Mater sit. *Beato Michaeli Archangelo;* cujus patrocinio Dei populus nititur, quique animas ad supremum judicium ducturus est. *Beato Joanni Baptistae;* in quo Veteris Testamenti finis, et Novi initium conspicitur, qui Evangelio viam stravit, et poenitentiam ad peccatorum remissionem nuntiavit. *Sanctis Apostolis Petro et Paulo*; Petro quidem Ecclesiae Capiti, cui potissimum Deus coelorum claves, et peccata remittendi potestatem tribuit; Paulo vero, qui perinde ac S. Petrus Romanam Ecclesiam morte sacravit, et omninm maxime redigendis ad Fidem gentibus insudavit. *Omnibus Sanctis.* Tribus de causis ad omnes omnino Sanctos mittitur obsecratio. Prima est, quia ob amorem quo Deum prosequuntur, injuriarum quae ei inferuntur, participes fiunt. Altera est, quia etiamnum nostrae ipsorum saluti invigilant, et in Coelis de peccatoris poenitentia laetantur. Tertia est, quia saepe Deus peccata remittit in servorum suorum gratiam, quemadmodum ipse testatur in sacris Litteris: *Orabit* Gen. Cap. XX v. 7 *pro nobis Abraham, et vos vivetis* Ite Job. Cap. XLII v. 8 *ad servum meum Job, ipse pro vobis orabit; ego ei propitius ero, ne vobis delictum imputetur. Et vobis, fratres*, ut nascentis Ecclesiae fideles imitemur, qui se apud fratres accusabant, ut eorum opem suis in precibus obtinerent. *Quia peccavi nimis cogitatione, verbo, et opere;* fatemur nos cogitationibus, dictis, et factis graviter deliquisse, ea triplici nempe ratione, qua quispiam vel in Deum, vel in proximum, vel se ipsum peccata perpetrat. *Mea culpa.* Peccator quidem excusationes inquirere solet; at is contra, quem vere poenitet, culparum suarum gravitate per-

culsus, earum omnem turpitudinem detegit, libentique animo repetit sua se culpa peccasse. *Mea maxima culpa*. Se omnino reum profitetur, spectatis propriae conscientiae stimulis, rationis, et fidei lumine, sanctisque Divini Numinis afflatibus, quibus a peccato abduci debuerat. *Ideo precor etc.* Quia ergo gravia deliquimus, quia excusatione caremus, quia patrocinio indigemus, propterea Beatissimae semper Virginis Mariae, quae Mater nostra, et Misericordiae Mater est, S. Michaelis Archangeli, S. Joannis Baptistae Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, denique Sanctorum omnium opem auxilium fidemque imploramus. Vetus Ecclesiae Sacrae Scripturae auctoritate nixa semper Angelorum, Beatorumque in Caelis cum Christo regnantium subsidium invocare consuevit, ut apud Deum se nobis patronos exhibeant. *Et vos fratres.* Postquam Sacerdos Triumphantis Ecclesiae auxilium et preces imploravit, se ad suos quoque fratres convertit, qui utpote conjuncti militantem Ecclesiam referunt. Fideles semper, ac S. Paulus ipse viventium preces implorare consueverunt.

III. Quoad modum hujus Confessionis varius est in plerisque locis. In Ecclesia Rhemensi Celebrans assumptis in Sacrario vestibus, ibi ante Imaginem Crucifixi profunde inclinatus Confessionem facit cum Ministris, qua peracta Chorum ingreditur; tum Sacerdos stans in medio ejusdem Chori profunde se inclinat Altari, deinde facie ad Chorum conversa dicit: *Orate pro me fratres, et ego pro vobis*; mox ad Altare conversus in infimo gradu stans, itemque profunde inclinatus dicit: *Aufer a nobis Domine etc.* demum manibus junctis super Altare dicit: *Oramus te etc.* ut in Ordine Missae. Eumdem Confessionis modum servat Ecclesia Laudunensis. Rursus eumdem sequuntur, licet aliquantulum diversum, Monachi Cluniacenses, et Carthusiani generalem Confessionem ante gradus Altaris a parte Evângelii, versa facie ad Austrum peragunt sine Stola, et sine Casula (utpote quae sunt innocentiae et charitatis ornamenta) et ideo eas assumere non praesumunt, nisi post peractam praedictam Confessionem, et nisi mediante ipsa fuerint Deo reconciliati, exemplo Publicani, et Magdalenae, quorum alter a longe stans, nolebat nec

oculos ad coelum levare; altera vera stans retro secus pedes Jesu, lacrymis coepit rigare pedes ejus. Singularis hac in parte, et observandus ritus est, qui adhuc viget in Basilica S. Martini Turonensis, in qua neque ad Altare, neqne in in Presbyterio, sed ad S. Martini sepulchrum fit Confessio in Missa solemni. Peracta Confessione olim prisco more Casula, seu Planeta cum totum Corpus ambiret, post *Indulgentiam* etc. eadem elevari solebat, et tunc a Ministro imponebatur Sacerdoti Manipulus, qui ritus tunc omnibus Presbyteris communis, nunc in solis Episcopis remansit.

IV. Certum firmumque est unum pro alio orare oportere; ac populus quidem vehementer optare debet, ut qui pro eo Deum obsecraturus pergit, ejus supremae Majestati gratus acceptusque sit. Dicat proinde, necesse est. *Misereatur tui etc.* Quamvis populus quoque perinde ac Sacerdos dicit, *Confiteor etc.* cum hoc tantum discrimine, quod fideles dicunt, tibi, Pater, cum Sacerdos dicat, *vobis.Fratres.* Adsistentes Ministri se ad Sacerdotem vertere debent, eique uni dicere, *tibi Pater.* Sacerdotem sane populus suum merito Patrem dicit; is enim reapse ejus caput est; fideles autem Sacerdos nequaquam filios suos nuncupat, quia scilicet ibi loquitur ut peccator, non ut Superior. Coram Papa solummodo, vel Episcopo Dioecesano non *vobis, fratres, sed tibi, Pater,* dicere debet. Postquam populus dixit, *Confiteor* pro eo Sacerdos orat in eumdem modum quo populus pro ipso oravit, et dicit: *Misereatur* atque ita id omnino executioni mandatur, quod S. Jacobus Apostolus praecepit in haec verba : *Confitemini* Cap. V v. 16 *alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini ; multum enim valet deprecatio justi assidua.* His mutuis editis precibus, Sacerdos dicit: *Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum nostrorum etc.* Veniam petit Sacerdos tum pro se, tum pro populo, ut culpas nostras remittat, eas nempe funditus deleat. Post has Orationes depromptas ex Sacris Scripturis, quales sunt : *Deus tu conversus vivificabis nos.* Hae preces dicuntur ad petendam a Deo peccatorum veniam, et postulandam eam mentis puritatem, quae necessaria est ad Sacrificium Missae sancte cele-

brandum; et quia Minister etiam venia indiget, mentisque ac cordis puritate, idcirco et ipse alternatim cum Ministro recitat, ne imparatus accedat. Tandem Sacerdos ad Altare ascendere aggreditur, obtinendique gratia, ut illud ea qua par est, puritate conscendat, una cum populo petere pergit, ut sui ipse voti compos fiat. Sacerdos manus attollit, intelligibili voce dicens: *Oremus Aufer a nobis*, ad monendos Fideles, ut mentem ad Deum erigant. Haec ipsa precatio in Sacramentariis vetustissimis legitur eamdemque post Litanias Benedictionum Ecclesiarum affert vetus Romanus Ordo. Ejus meminit Micrologus Cap. 23. In Liturgia Illyrici extat ante Psalmum *Judica me Deus*. In Missali Mozarabico eadem habetur, verum aliis terminis concepta; consimilem initio Missae recitant Maronitae. Praeterea oratio haec eo tantum spectat, ut sancte ad Altare ascendendi facultas petatur. Quemadmodum autem Summus Sacerdos in Sancta Sanctorum semel in anno vas victimarum sanguine refertum deferens ingrediebatur post bene multas purgationes in Levitico praescriptas, ita Novae Legis Ministri nunquam satis a Deo postulant, ut eos a sordibus purget, adeoque dignos efficiat, qui ea qua par est, mentis et cordis integritate non ad figuram aliquam, ut in Veteri Lege, sed ad ipsum Sanctum Sanctorum accedant. Postquam Sacerdos Altare conscendit, submissa voce dicit: *Oramus te Domine*. Legitur Oratio haec quam praesens Rubrica praecipit, in antiquis pluribus Sacramentariis, in quodam Pontificali Narbonensi ante quinque circiter saecula scripto, in Ordine Romano Saeculi XIV, ubi Orationes expressae sunt. Sacerdos ad Altare ascendens peccatorum suorum timore perculsus secum ipse reputat Beatos in Coelis intercedere satis posse, ut eidem ad Sanctum Altare gratiam obtineant, utpote qui digni fuerint, qui caeleste sanctuarium ingrederentur. Deum proinde rogat, ut Sanctorum merita spectans ejus misereatur, ipsumque ad eorum preces terrestre Sanctuarium ingredi sinat. Reverenter itaque ac religiose Sacerdos osculatur Altare in medio, ubi Sanctorum Martyrum Reliquiae sitae sunt, adorans in illis Deum qui glorificatur in consilio Sanctorum, et in servis suis deprecabi-

tur. Osculi Altaris inter orandum meminit Justinus in fine Apologiae II dicitque esse in signum venerationis. Deosculatio pro veneratione ponitur, ut ait Sanctus Hieronymus Libro I contra Rufinum, *Hebraei*, inquit, *juxta linguae suae proprietatem deosculationem pro veneratione ponunt,* signumque esse honoris reverentiae, et cultus, idem ostendit in vita Sancti Pauli Eremitae, et in Epistola ad Asellam. Osculum quippe salutatio quaedam est, quae Sacerdos se adhaerere Christo profitetur, cui, sicuti membra capiti, conjuncti sunt Sancti, quorum Reliquiae ibi servantur. Carthusiani, et Fratres Praedicatores, osculi loco, Altare ipsum inclinato capite salutant. Dum osculatur Altare Sacerdos super eo manus extensas aequaliter hinc inde ponere debet. Hoc, ait Durandus, praestari debet, quia omnium temporalium curam debet deponere, qui dat operam tanto Sacrificio, vel ut ait Eduensis, id fit ad indicandam pacem a Jesu Christo nunciatam utrique populo Judaico nempe, et Gentili, qui significatur in utroque latere Altaris.

CAPUT IX.

DE THURIS AD ALTARE IN MISSIS SOLEMNIBUS INCENSATIONE.

I. Nulla est Ecclesiastica Caeremonia, cujus crebior mentio fiat in antiquis, et recentioribus omnium gentium Liturgiis, quam thuris et thymiamatis, quod saepe inter sacrificandum adoletur. Solemne hoc fuit omni nationi quantumvis barbarae et verae religionis experti, ut nullum sacrificium rite peragi crediderint sine incenso, vel aliquo saltem odorifero suffimento. Magi thure Christum Deum venerati et professi sunt. Exemplo Mosaicae Legis Apostoli permoti in divino Sacrificio solemniter celebrando thure usi sunt, atque ex eorum traditione Catholica ubique usa est semper Ecclesia. Guillelmus Beveregius Anglicanus Scriptor, in Codice Canonum primitivae Ecclesiae vindicato Lib. II Cap. 2 § 5 ad refellendas Joannis Dallaei calumnias, incensi usum Apostolorum aevo supparem demonstrat,

Sancti Hyppoliti Episcopi Portuensis, et Martyris qui Saeculo tertio floruit, auctoritatem profert in Libro *de Consummatione Mundi, et de Antichristo*, ex Bibliotheca PP. Graecorum Tom. II pag. 357, ubi haec habet: *Lugebunt etiam Ecclesiae luctu magno, quia nec oblatio, nec suffitus fiet, nec cultus Deo gratus.* Illustre etiam testimonium ex Saeculi IV Scriptore habemus; is est Sanctus Eprhaem Doctor, qui in suo Testamento apertissime nos docet incensi usum in Ecclesia jam ante id tempus adhibitum fuisse: *ne unguentis* (inquit apud Cl. Assemanum *Bibliothecae Orientalis* Tomus I pag. 143 *me condiatis, nihil enim honor iste mihi prodest, neque cum thure, et aromatibus me humetis, inutilis quippe mihi gloria est. Thura in Sanctuario adolete, meum autem funus oratione curate. Deo adoramenta offerte, me vero Psalmis prosequimini etc.* De usu thuris loquuntur Ambrosius, Canones Apostolici, Liturgiae S. Jacobi, S. Basilii, et S. Joannis Chrysostomi.

II. Usum vero adolendi Altaria intra Solemnia divini Officii vetustissimum esse indicat S. Ambrosius ad Caput I Lucae dicens: *Atque utinam nobis quoque adolentibus Altaria Sacrificium deserentibus assistat Angelus.* Eumdem ritum explicat Expositor Ordinis Romani apud Cassandrum in Liturgicis, post *Credo*, inquit, *Thuribula per Altaria portantur, et postea ad nares hominum feruntur, et per manus fumus ad os trahitur.* Est Canon III Apostolorum, quo sancitur, ne quid ad Altare offeratur praeter oleum pro luminaribus, et incensum tempore oblationis. In Libro veterum consuetudinum Monasterii Floriacensis diebus solemnioribus praescribitur, ut ante Matutinum et Vesperas Sacrista thurificet omnia Altaria. Idem olim Monachi ante privatas orationes observare solebant, praesertim Graeci, ut ex vitis eorum constat. Crematur ad Altare thus, ut in eo sancto loco palam fiat creatas res in Dei servitium, et gloriam adhiberi, absumique debere. Et sane Moysi mandavit Deus Exodi Cap. XL v. 24, ut super Altare aureum ei thus offerret. Ecclesia Graeca luculenter ostendit thus in Dei honorem adoleri, quippe quae Celebrantem eodem tempore dicere jubet: *Gloria Sanctissimae Consubstantiali, et vivificae Trinitati, nunc*

semper, et per saecula saeculorum. Veteres omnes Ecclesiastici Auctores nonnisi tamquam spiritalis, et religiosi cultus argumentum thus Altari adhibitum spectant. Thus quoque semper ita sumptum fuit, ut preces quas ad Deum mittimus, ad vivum exprimeret, et ostenderet, quam vehementer optemus eas, pro ut suavis odor assurgit, ad ipsum extolli. In S. Joannis Chrysostomi et S. Basilii Liturgiis Sacerdos thuribulum accipiens dicit: *Jesu Christe, qui Deus es, tibi thus hoc tamquam spiritalis suffimenti odorem offerimus, ut illud suscipere digneris in Altare tuum sanctum, et sublime unde misericordiae effecta expectamus.* Ut ad hanc Ecclesiae mentem se conformaret, S. Pater Zosimus Caesareae in Palestina, dum Antiochena Ecclesia dirueretur effusus in lacrymas thuribulum in Chorum afferri jussit, in eò thus incendit, et humi stratus sua thuris fumo suspiria, et preces addidit, ut, quoad per eum fieri posset, Divini Numinis iram flecteret ita ex Evagrio *Historiae Ecclesiasticae* Lib. IV Cap. 7. Ad significandum cujusmodi tandem preces nostrae esse debeant, aptius symbolum excogitari non potest. Thus in altum non tollitur, nisi per vim quam ignis eidem imprimit; in eumdem modum preces nostrae quae reapse nihil aliud quam animi vota sunt ad Deum ipsum pervenire non possunt, nisi divini amoris ignis eas excitet, et animet. Thus insuper nobis Sanctorum preces exhibet, adeoque nullibi melius prima thuris incensatio statui poterat, quam post *Oramus te Domine*, ubi a Deo poscimus, ut Sanctorum meritis et precibus spectatis, miseratione erga nos utatur.

III. Ex Romano ritu dum Altari thus adoletur, Reliquiarum etiam quae ibidem adsunt, et quidem utrinque bis thurificatio peragitur. Hic thuris Reliquiis adolendi mos ubique locorum obtinet, nimirum Sancti Viri se in sacrificium Deo obtulerunt, et in ejus conspectu gratum odorem efflarunt. Thuris suffitu afficiuntur Oblationes, ut hoc ritu significemus id petere nos a Deo, ut oblationes has sicut et orationes nostras suscipere dignetur Deus in odorem suavissimum. Sacerdoti primo loco thus adoletur, tum Clero utpote qui honoris, et officiorum Sacerdotis particeps est, et ex eorum nu-

mero, de quibus Apostolus: *Odorem notitiae suae manifestae per nos in omni loco.* Thure fumant et odoribus Altaria, ut significetur ibi offerri Sacrificium laudis per Christum, per quem orationes nostrae diriguntur ad Deum. Exhibetur thus et ipsis fidelibus, ut hoc thure exhibito moneantur dirigere ad Deum orationes suas ut incensum ; et bonum Christi odorem ubique spargere. Hinc fit ut illis eo maxime tempore thus exhibeatur, quo oportet eos precari majori cum attentione et fervore: nimirum sub ipsum Missae fidelium initium completa Catechumenorum Missa; et in Officio Laudum et Vesperarum, dum canitur Canticum Evangelicum, ante recitationem Collectae, qua Sacerdos veluti vota fidelium colligit et offert Deo sub finem Officii. Episcopis, Sacerdotibus, et Regibus, exhibetur sigillatim thuris honos, cetero vero populo non item? quia habetur in eis ratio characteris et dignitatis. Nec quidem Dominus, dum per Isaiam Cap. I v. 13 dicit: *Incensum abominatio est mihi;* prohibet ne ei incensum offeratur, qui toties mandaverat sibi offerri, ut Exodi Cap. XXIX v. 18, Cap. XXX v. 7; et Cap. XL v. 5, 24, ac Levitici Caput IV v. 35, et Caput VI v. 11 et 15, aliisque Veteris Testamenti locis perspicue patet. Sed illud incensum scilicet abominabile dicit, quod ab iniquis offertur, quia impiorum victimae, et sacrificia non sunt Deo accepta, nec ei grata, uti expresse habetur Proverbiorum Caput XV v. 8: *Victimae impiorum abominabiles Domino.* Item Ecclesiastici Caput XXXIV v. 23: *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum*, et alibi plerisque locis. Non itaque Deo abominabile incensum est, quod si offerri in Veteri Lege mandavit, quodque Unigenito filio suo Salvatori nostro recenter nato a Magis oblatum, gratum acceptumque habuit.

CAPUT X.

DE INTROITU, KYRIE ELEISON, ET HYMNO GLORIA.

I. Sacerdos, salutato Altari, ut diximus, ad sinistram ejus partem se confert, quae *Cornu Epistolae* dicitur,

ibique Introitum incipit. Introitus, qui in Missali Ambrosiano *Ingressa*, in Mozarabico, et in Carthusianorum, Fratrum Praedicatorum, et Carmelitarum Missali *Officium* dicitur, et ex Antiphona, Psalmo, et Gloria Patri constat, ita appellatur, seu quod Missae principium est, seu quia a Choro canebatur, cum Sacerdos ad Altare conscenderet, qui propterea Introitum non recitabat. Nunc vero illum legit tam in Missis privatis, quam in solemnibus. Walfridus, Micrologus, et alii *Introitum* S. Coelestino I tribuunt; sed haec opinio omni caret fundamento, et verisimilius Honorius, et Brunus, S. Gregorium ejus fuisse Auctorem existimant. Sacerdos se Crucis in modum signat; quod in quaque inchoanda re Christifideles facere consueverunt. Nec deerant Ecclesiae, in quibus etiam exprimeretur: *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, vel auxilium *Domini nobiscum sit*, statim ante Introitum; atque his verbis semper Crucis signum addi solet. Dominicani retinuere morem dicendi: *In nomine Patris*. Primis Ecclesiae temporibus Introitus integri Psalmi recitatione continebatur. Tum post annos circiter mille post unum, aut alterum versiculum Episcopus infra Altare consistens annuebat, ut Gloria Patri diceretur. Et sane Missae initium non aliunde melius duci potest, quam a Sanctissimae Trinitatis laude, cui Sanctum Sacrificium offerri debet. Introitus insuper bis terve repetebatur. Rothomagensis et Senonensis Ecclesiae, et Carmelitae in praecipuis diebus eum ter etiamnum dicunt ad majorem solemnitatem. In Antiphonario S. Gregorii omnes Introitus e Psalmis deprompti sunt, paucis exceptis, quos Durandus *Irregulares* appellat, ut ii qui dicuntur in Nativitate, et Ascensione Domini; in Pentecoste, et in Festo S. Petri Apostolorum Principis, sed hi quoque e Sacra Scriptura desumpti sunt. Alii quidam inveniuntur, qui neque e Psalmis, neque e Sacra Scriptura, neque ex Gregoriano Antiphonario petiti sunt, nempe *Salve sancta parens; Gaudeamus omnes, Benedicta sit Sancta Trinitas et accipite jucunditatem*. Symbola *Introitus* varia sunt. Simon Thessalonieensis putat per *Introitum* in primis significari Adventum Salvatoris nostri in terram: et ideo illum cani putat eo tempore,

quo Celebrans de Sacrario ,. sive Pontifex de Throno procedunt ad Altare. Non est omittenda Amalarii, Alcuini, Ivonis Carnotensis, Ruperti et Innocentii III' animadversio, qui docent per Introitum nobis revocari in memoriam clamores, et desideria antiquorum Patriarcharum Messiae adventum expectantium; hinc sicut isti preces pro adventu futuri Messiae reiterabant, ita Sacerdos, teste Innocentio III Lib. I de Mysteriis Missae Cap. 18, *Introitum* repetit. Caetera, quae spectant ad *Introitum* , videri possunt apud Cardinalem Bona Lib. II *Rerum Liturgicarum* Cap. 3. Eruditissime etiam de hac prima parte Missae disserit Hugo Menardus in suis doctissimis Notis, et Observationibus ad Librum Sacramentorum S. Gregorii Papae p. 3. Praeter duos allegatos praeclarissimos Auctores, egregie quoque discurrunt de Missae Introitu Edmundus Martene, *de antiquis Ecclesiae Ritibus* Lib. I art. 3; et Antonius Bellotte, in suis observationibus a pag. 372 usque ad pag. 375.

II. Lecto Introitu Sacerdos iunctis manibus ante pectus accedit ad medium Altaris, ibique stans manibus iunctis dicit *Kyrie eleison*, vox enim graeca est, et latine significat *Domine miserere*. Implorat itaque Sacerdos una cum ministro divinam misericordiam. Porro ipsum *Kyrie eleison* non humana institutione, sed occulto quodam naturae instinctu usurpari coepisse manifestum est. Cum enim homo multis miseriis ab ipsa infantia ob culpam primi parentis veluti haereditario jure subjectus sit, ad illius opem implorandum natura ipsa impellente excitatur, qui solus miseris misericordiam praestare, et tot malis oppressam sublevare potest. Ideo in Veteri Testamento hae precandi formulae frequentissimae sunt , *Domine miserere : Miserere mei Deus : Miserere nostri Deus omnium,* et aliae ejusdem generis. Eadem precatio in Ecclesiasticis Officiis apud omnes nationes in usu est. Saepe enim repetitur in Iacobi Apostoli , Graecorumque Patrum Liturgiis : ipsamque suo idiomate usurpant Syri, Armeni, et alii Christiani Orientales , quorum ritus antiquissimi sunt. Quis autem a Graecis, eam ad Latinos traduxerit, incertum est. Hugo Victorinus. Lib. II *de divinis Officiis* Cap. 14 ; Sotus , *Lib. IV Sent. dist. 13 quaest. 2 art. 4* et alii

existimant a S. Silvestro circa annum 320 e Graecis suptam hanc supplicationem, et ad Latinos eodem Graeco idiomate traductam. Amalarius, Strabo, et Micrologus Gregorio Magno hoc tribuunt. Sed multis annis ante Gregorium viguisse hanc consuetudinem in Romana Ecclesia ex Concilio Secundo Vasensi sub Felice IV constat Can. 3: *Quia*, inquit, *tam in Sede Apostolica, quam etiam per totas Orientales, atque Italiae Provincias dulcis, et nimium salutaris consuetudo est intromissa, ut Kyrie eleison frequentius cum grandi affectu et compunctione dicatur.* Cur vero haec supplicatio, graece potius, quam latine a Latinis dicatur variae sunt Sacrorum Rituum Doctorum sententiae. Dicunt Latini in Missa *Kyrie eleison* graece, dicunt etiam hebraice *Amen, Alleluja, Sabaoth, et Osanna:* quia fortasse sic ab initio Ecclesiasticarum precum Institutores voces istas usurparunt, ut ostenderent ut observat Cardinalis Bona unam esse Ecclesiam, quae ex Hebraeis, et Graecis primum, deinde ex Latinis coadunata est: vel quia mysteria nostrae Fidei tribus hisce Linguis ab Apostolis et Evangelistis, eorumque immediatis Successoribus conscripta fuerunt. Sed quaecumque fuerit causa hujus institutionis, certissimum est eam antiquissimam esse.

III. Novem itaque vicibus, hanc precationem repetimus, ter ad Patrem, ter ad Filium, ter ad Spiritum Sanctum, eam dirigentes, contra triplicem miseriam, ut apte observat Natalis Alexander *Theologia Dogmatica Moralis Tom. I* Lib. II art. 5 num. 4, ignorantiae, culpae, et poenae, vel ad imitationem cantus Angelorum, qui in novem Ordinum Choros distincti sunt. Ideo autem *Christe eleison* ad Filium dicimus, non *Kyrie*, sicut ad Patrem, et Spiritum Sanctum, quia Pater, et Spiritus Sanctus sunt ejusdem naturae tantum, Filius vero, etsi sit ejusdem naturae cum illis, est tamen etiam alterius, ut *geminae gigas substantiae;* naturam scilicet humanam assumpsit, secundum quam unctus est a Deo oleo laetitiae prae consortibus suis, non oleo visibili, sed plenitudine divinitatis, ideo; *Christus,* idest unctus vocatur. Quamvis autem fideles omnes Dei misericordiam plurimum indigeant, speciatim tamen eam invocat Sacerdos Sacrificium incruentum

oblaturus, tum ut mens ejus ad Deum erigatur, et ad ea attendat, quae ore pronunciat; quod certe Divinae Misericordiae donum est, tum ut dignus sit, qui cum Deo loquatur, tum ut si taedio aliquo corporali praegravatus spiritus sine mente oraverit, Dominus non in furore suo illum arguat, nec in ira sua corripiat, sed misericordia sua condonet, tum denique ut quavis attentione, et pietate sacram actionem peragat, nihil sibi de propriis meritis blandiatur, sed servum inutilem se profiteatur secundum illud: *Dicite, servi inutiles sumus*, et ejus imploret misericordiam, qua expugnet inanem gloriam, de quo ait Psalmista: *Qui coronat te in misericordia, et miserationibus*. Iuxta Amalarium, dicta precatio in Missa rite fieri ante aliam specialem Orationem Sacerdotis, qua necesse est, ut praecedat Misericordia Domini, qua serenetur mens Sacerdotis ad intelligenda ea, quae ore dicit, et ad hoc, ut sit dignus Deum alloqui, Ambrosiani non dicunt *Christe*, sed tantum *Kyrie eleison* quam vocem tribus vicibus usurpant in Missa; ter scilicet post *Gloria in excelsis*, ter post Evangelium, et ter in fine Missae. Olim quidem, non fuerat praefinitus *Kyrie eleison* dicendi numerus, sed testibus Martene, et Mabillonio, toties dici consuevit, quoties Sacerdoti libuisset; quin etiam juxta Bellarminum, Bonam, Mabillonium, et alios omittebatur in Missis, quae Litanias subsequebantur; idque prioribus Ecclesiae Saeculis saepissime contigit.

IV. Post *Kyrie eleison*, sequitur hymnus *Gloria in excelsis Deo*, si dicendus sit, alioquin praemissa populi salutatione *Dominus vobiscum*, dicitur Oratio, sive Collecta, sed olim diebus, quibus omittitur *Gloria in excelsis*, immediate post *Kyrie*, prolixas preces pro omni statu hominum recitari consuevisse, iis prorsus similes, quas *Irenicas*, sive *Diaconicas* Graeci vocent, et initio Liturgiae Diacono praecinente, choro respondente decantant. Permansit hic ritus in Ecclesia Latina usque ad Saeculum IX, ut observat Goar in Notis ad Missam Chrysostomi num. 62, et nunc etiam permanet in Ecclesia Mediolanensi diebus Dominicis Quadragesimae. Sicut enim veteris Ecclesiae mos fuit ut Officium cum Missa conveniret, ac propterea quibus diebus pre-

ces in Officio dicebantur, in Missa quoque dici solebant. Agit de his Columbanus in *Regula* Cap. 7. Has autem preces pro variis rebus, et personis compositas Diaconus in Missa pronunciare solebat. Quia initium Hymni *Gloria in excelsis* in Nativitate Salvatoris nostri Iesu Christi ab Angelis decantatum fuit, inde Angelici nomenclaturam accepit. Hymnus iste ad finem veterum Psalteriorum Latinorum cum Apostolico, et Athanasiano Symbolo habetur adjectus, et hymnus matutinus nuncupatur. Olim in publicis gratiarum actionibus hymnus iste Angelicus adhibitus fuit, nam Patres Concilii Sexti Oecumenici in allocutione acclamatoria ad Constantinum Pogonatum Imperatorem de felici ejusdem Concilii exitu: *soli sapienti*, inquiunt, *et Omnipotenti Deo gratiarum laudes enixius offeramus*, *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax decantantes*. Pipino etiam Caroli Magni filio occurrenti Summo Pontifici Leoni Papae III ut scribit Eginhardus in *Annalibus Francorum* inter Scriptores Francicos Duchesnii Tom. II, atque inter Germanicos Reuberi pag. 15 et seqq. idem Pontifex *Gloria in excelsis Deo* inchoasse perhibetur, uti et apud Anastasium in ejus vita. Victor Vitensis Episcopus loquens de Martyribus, qui in Africa, seu Carthagine passi erant sub Hunnerico Rege Lib. III *Procedebant*, ait, *cum fiducia ad supplicium, quasi ad epulas, decantantes Gloria in excelsis Deo*. Usurpatum etiam hunc hymnum ad matutinas Laudes ostendunt Hugo Menardus, et Martene. Graecis item hic hymnus matutinus dicitur, quia in Officio matutino quotidie legitur, et diebus Dominicis, ac majoribus festis modulatione quadam cani solet. Vide Euchologium Graecorum pag. 58 et seqq. cum notis Iacobi Goarii. Item Gothofredum ad Philastrium pag. 147, et ante ipsum Germanum II Patriarcham Constantinopolitanum in *Theoria Rerum Ecclesiasticarum* in Bibliotheca Patrum Lugd. Tom. XIII pag. 54 ubi hymnus iste *magna Doxologia* nuncupatur ad differentiam parvae Doxologiae, quae est *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto*. S. Athanasio in votis erat *De Virginitate*, ut Psalmo *Deus Deus meus*, et Cantico *Benedicite*, quae nos ad Laudes dicimus, summo mane dictis, Christianae Virgines hymnum hunc Deo recitarent.

V. Prima hujus hymni verba: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis*, e coelo ad nos Angelorum voce derivata sunt: caetera quis addiderit, incertum est. Quidam Apostolis tribuunt, eo quod integer habeatur Lib. VII *Constitutionum Apostolicarum* Cap. 47, sed jam norunt viri docti quid de illarum Constitutionum Auctore, et aetate sentiendum sit. Alii auctorem faciunt Telesphorum Papam, qui vivebat anno Christi 150, ejusque sententiae sunt Sigebertus in Chronico, et Innocentius III Lib. II de *Mysteriis Missae* Cap. 20. Alii Symmacho adscribunt. Plerique recentiores sequuti Alcuinum, Hugonem Victorinum, Remigium Antisiodorensem, Honorium, et Ioannem Belethum a B. Hilario Pictaviensi Episcopo completum fuisse asseverant, sed in Vita, et Scriptis Hilarii, et in Scriptoribus, qui quatuor post ipsum Saeculis floruerunt, nullum hujus rei vestigium extat. Toletani IV Concilii Patres sapienter dixere priora verba ab Angelis prolata fuisse, cum hanc ob causam Angelorum Hymnus dictus fuerit, caetera vero Doctores Ecclesiasticos addidisse. Refert Anastasius in Vita Stephani IV statutum ab illo, *ut omni die Dominico a septem Episcopis Cardinalibus hebdomadariis, qui in Ecclesia Salvatoris observabant Missarum solemnia, super Altare B. Petri celebraretur*, et Gloria in excelsis diceretur. Ratio hujus Edicti est, quia olim a solo Episcopo dici poterat a Presbyteris vero in solo die Paschatis diceba-tur, ut initio Libri Sacramentorum S. Gregorii legimus. Valafridus Strabo Cap. 22: *Statutum est*, inquit, *ut ipse Hymnus in summis festivitatibus a solis Episcopis usurparetur, quod etiam in capite Libri Sacramentorum designatum videtur*. Idem confirmatur ex Ordine Romano I apud Mabillonium Musaei Italici Tom. II pag. 17. Cessavit postea speciale hoc Episcoporum privilegium Saeculo octavo exeunte, atque aeque Sacerdotibus Hymnus Angelicus suis praescriptis diebus ad Missam recitari permissus. Micrologus Cap. II scribit, Ecclesiam Romanam constituisse ut diceretur hymnus in omnibus Festis duplicibus, et diebus Dominicis, item in omni Festo quod plenum habet officium, hoc est novem Lectiones. A Septuagesima ad totam Quadragesimam, et

toto tempore Passionis omittendus est, ut constat ex Canone *Hi duo de Consecrat.* Dist. 1, in quo *Alleluja* et *Gloria in excelsis* intermitti dicuntur, quia peccato hominis veteris a conventu Angelicae iubilationis expulsi in hujus miserae vitae Babylone super flumina ejus sedemus et flemus, dum recordamur illius Sion, in qua Deum decet hymnus. Excipitur Feria V in Coena Domini, in qua canendus dicitur propter Eucharistiae institutionem. Excipitur etiam Missa Sabbati Sancti, in qua pariter *Gloria in excelsis* dicitur, cum sit Missa noctis Resurrectionis Christi, qui resurgendo maximum mundo intulit gaudium. In Votivis Missis non dicitur, nisi forte ad publicam et gravem aliquam causam spectent, cum hic hymnus tanquam solemnitatis signum semper spectatus fuerit. Dicitur in Angelorum Missis, quia ipsi ejusdem Hymni initium primi cecinerunt, eumque nos ab iisdem didicimus. In Missis quoque Beatissimae Virginis dicitur in Sabbato; quia scilicet a medio Saeculo XI Religiosi, tum Ecclesiastici, et Laici, pietatis ergo, ejus Officium recitabant, quia jam Sabbatum ejus honori peculiariter addictum erat; quia denique deinceps Ecclesiae complures eo die integrum Beatissimae Virginis Officium cum *Te Deum* instituerunt, quod ex Romano ritu ad *Gloria in excelsis* in Missa dicendum determinat. Non dicitur in Defunctorum Missis, per omne scilicet tristitiae, et poenitentiae tempus, quia nempe non audet Ecclesia caelestem gloriam canere, quemadmodum S. Thomas animadvertit 3 part. quaest. 63 art. 4 dum suam ipsius, aut animarum Purgatorii deflet. Tempore Adventus varia fuit, Ecclesiarum consuetudo, Saeculo IX juxta Micrologum non dicebatur, caeterum Romanus Ordo XI ad annum 1140 scriptus refert tunc temporis hunc hymnum Romae dictum fuisse. Denique post Saeculum XII ad praesens usque innumeri testes adsunt, omitti Adventus tempore *Gloria in excelsis*, ut laetius, solemniusque Dominici Natalis die repetatur.

VI. Liberum olim erat dicere *Gloria in excelsis* tum in medio Altari, tum ad ejusdem latus. Hymnum hunc Episcopus antiquis temporibus conversus ad populum praecinebat. Post IX Saeculum ad Altare quidem, sed

in Epistolae latere dicebatur, quod etiamnum apud Carthusianos, et Carmelitas obtinet. Extensio manuum designat ex Basilio vim affectivam orantis; elevatio vero ipsarum denotat ex Origene rerum coelestium dilectionem. Inclinatio capitis, quae in sex locis hujus hymni Cruci facienda in Rubrica praescribitur, est signum summae religiosae reverentiae. Scribit Iodocus Clictoveus Lib. III *Elucidatorii* huic hymnò Angelico insertaš fuisse quasdam particulas ex Ecclesiastica Constitutione, sed quae sit ista Constitutio non liquet. Privata quorumdam licentia, invaluit, adeo ut quibusdam Missalibus aliquae clausulae insertae fuerint. Sacerdos hymno Angelorum recitato sàlutat populum dicens *Dominus vobiscum*, quae salutatio e Veteri Testamento in Ecclesiam derivata est. Booz enim, ut in Libro Ruth Cap. II legimus, salutans messores suos ait *Dominus vobiscum:* et Propheta missus a Deo ad Asam Regem Iudae, cum victor e praelio cum exercitu suo reverteretur, dixit II *Paralip.* Cap. 15: *Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo.* Vim autem et efficaciam accepisse videtur ex verbis Christi, *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Apud Graecos nullus est usus hujus salutationis, nec reperitur in eorum Liturgiis, et formula *Dominus sit semper cum omnibus nobis* semel tantum extat in Liturgia S. Marci. Cum vero salutant populum dicunt *pax omnibus*, sicut constat ex Liturgiis Basilii et Chrysostomi. Hinc ipsum Chrysostomum, sicut refert Socrates Lib. VI Cap. 14 ab exilio revocatum rogabat multitudo ejus reditu gaudens, ut in Episcopali Throno resideret, et pacem populo pro more precaretur. Idem quoque Chrysostomus *Homilia III in Epist. ad Colossenses* de hoc ritu disserens ait: *cum ingressus fuerit is, qui praeest Ecclesiae, statim dicit, pax omnibus. Quando sermonem facit et concionatur, pax omnibus. Peracto Sacrificio pax omnibus.* Ita etiam Cyrillus in Ioannem Lib. XII: *Salutat discipulos usitata illa forma pax vobis.* Observandum porro apud Latinos, quod Pontifex, vel Episcopus cum prima vice populum salutat ante primam Orationem, non dicit *Dominus vobiscum*, sed *Pax vobis*, quia Christus Dominus, cujus typum refert

Pontifex, et Salvator, his verbis Discipulos post suam Resurrectionem allocutus est, uti apud Ioannem Cap. XX. Verum ut postea Episcopus ostendat se etiam esse de caeterorum numero Sacerdotum, dicit cum istis deinceps ante alias Orationes *Dominus vobiscum*. Cum vero Sacerdotes dicunt *Dominus vobiscum,* nos per ipsos salutat Iesus Christus cupiens in nobis mansionem facere, et nos secum unire, ac Templum suum Euchasistici Sacramenti perceptione efficere; sicut Angelus Beatissimae Virgini dixit *Dominus tecum*, antequam in ejus utero carnem susciperet. Respondet populus Sacerdoti, *et cum spiritu tuo*, quae verba accepta videntur ex Epistola secunda ad Timotheum Cap. IV ubi Paulus ait: *Dominus Iesus Christus cum spiritu tuo*, et extant in antiquissimis Liturgiis. Optime S. Ioannes Chrysostomus *Homilia* 18 in II ad Corinthios: *In tremendis Mysteriis ut Sacerdos pro plebe, ita plebs pro Sacerdote vota facit. Haec enim verba et cum spiritu tuo, nihil aliud quam hoc significant.* Olim universus populi coetus Sacerdoti respondebat, ut ex Liturgiis, earumque Expositoribus apparet; idque Micrologus statutum ait in Occidente a Concilio Aurelianensi, ut scilicet non solum Clerici, sed omnis populus responderet, *et cum spiritu tuo*. Horus magister in *Expositione Missae* scribit, nihil melius invenisse Ecclesiam, quod optaret Sacerdoti, nisi quod Sacerdos optat Ecclesiae, ut idem Dominus, qui dignatur esse cum Ecclesia, dignetur etiam esse cum spiritu Sacerdotis.

CAPUT XI.

DE ORATIONIBUS.

I. Sacerdos post salutationem populum excitat ad orandum dicens: *Oremus*. Qua monitione audita omnes sacro adstantes sub silentio olim orabant, tum peracta brevi oratione omnium preces Sacerdos brevi item deprecatione concludens *Collectam* alta voce recitabat. Cum autem Sacerdos exclamabat dicens *Oremus* veteris Ecclesiae phrasi *Orationem* dare dicebatur: quem ritum perspicue explicat Uranius in Vita Sancti Paulini

describens obitum Sancti Ioannis Episcopi Neapolitani : ad *Ecclesiam*, inquit, *processit, et ascenso tribunali populum ex more salutavit, resalutatusque a populo Orationem dedit , et Collecta oratione spiritum exhalavit.* Eadem phrasi utitur Anastasius in Vita Sergii II ipsum referens Ecclesiam ingressum , cum Ludovico Francorum Rege , omnes autem prostratos ad Confessionem B. Petri orasse, *et data a Pontifice super populum Oratione regressos esse.* Aliquando in dicta Oratione per verbum *Oremus* monebat Sacerdos pro quibus orandum foret ea formula, qua nunc utitur Ecclesia in Officio Feriae sextae majoris hebdomadae, cum pro omni statu hominum preces fundit : ad quem morem alludit Augustinus Epistola 217 n. 2 ad Vitalem Carthaginensem, qui perperam docebat non esse orandum pro incredulis. Certis diebus postquam dixit Sacerdos *Oremus*, si private celebret, dicit *Flectamus genua*, et haec dicens genua flectit, sin autem solemniter celebret, dicit Sacerdos *Oremus*, Diaconus subdit *Flectamus genua* et Subdiaconus nunc respondet *Levate*. Post monitionem Diaconi aliquantulum orabant fideles , tum moniti , ut levarent se, surgebant, et Sacerdos illis stantibus, absolvebat *Collectam*. Alludit ad hunc ritum S. Basilius Magnus Libro *de Spiritu Sancto* Cap. 27 dicens : *Quoties genua flectimus , et rursum erigimur , ipso facto ostendimus, quod ob peccatum in terra delapsi sumus, et per humanitatem ejus, qui creavit nos, in coelum revocati sumus.* At hodie , cum nullum fiat intervallum inter *Flectamus genua, et Levate*, sancitum est, ut primum a Diacono, et alterum dicatur a Subdiacono.

II. Orationes , quae in Missa dicuntur , appellantur etiam *Collectae*, *Collecta* est vox aequivoca, nam sumitur aliquando pro qualibet hominum multitudine in unum congregata, sumitur modo pro Congregatione fidelium simul convenientium ad Orationem, atque hoc sensu phrasis est antiquis Patribus, et Historicis Ecclesiasticis valde usitata , *Collectas agere , convenire ad Collectam, adesse Collectae;* adeout hoc nomen ad ipsum divinum Officium, et ad Missae Sacrificium translatum sit. Eadem voce Paulus Apostolus usus est I ad Corinthios Cap. XVI pro eleemosynis , quae ad alendos

pauperes colligebantur. *De Collectis*, inquit, *quae fiunt in Sanctos, sicut ordinavit Ecclesiis Galatiae, ita et vos facite, ut non cum venero, tunc Collectae fiant.* Hae vero indicebantur intra Missarum solemnia, et saepius in Sermone pro subsidio indigentium, sive ad redimendos captivos; de qua re diffuse tractat Ferrarius Lib. I *de ritu Sacrarum Concionum* Cap. 26. Accipitur tandem *Collectae* nomen pro brevi oratione, quam Sacerdos salutato populo recitat, quae ideo *Collecta* dicitur, quia populo in unum congregato, et collecto recitatur: vel quia Sacerdos legatione apud Deum pro omnibus fungens omnium vota in unum colligit: vel quia ex selectis Sacrae Scripturae, et Ecclesiae verbis compendiosa brevitate colligitur: vel quia omnes collectis unionis affectus suos, et mentem ad Deum attollunt. In eumdem sensum Valafridus Strabo *de Rebus Ecclesiasticis* Cap. 22: *Inde*, ait, *Orationes dictae sunt Collectae, quia necessarias earum petitiones compendiosa brevitate colligimus.* Innocentius III, Lib. II *de Mysteriis Missae* Cap. 27; et Ioannes Beleth, Lib. *de Divinis Officiis* Cap. 37 *Collectam* proprie dici volunt eam orationem, quae olim super populum fieri solebat, quando collectus in unum erat cum universo Clero in una Ecclesia, ut ad aliam procederet, in qua statio celebranda erat. Tunc enim Episcopus, sive Sacerdos collecta omni multitudine, brevi oratione super populum uti solebat; ex quo fieri potuit ut ad reliquas hujusmodi orationes *Collectae* nomen dimanarit.

III. S. Pontifex Caelestinus in Epistola ad Galliarum Episcopos *de Gratia Dei* ea, quae solemus in *Collectis* a Deo petere, commemorans, eas Orationes ab Apostolis traditas asserit. Ast haec intelligantur de brevibus illis Orationibus, quibus paucis verbis continetur summa eorum, quae a Deo petenda sunt. Istae quippe sunt antiquissimae. Verum quoad *Collectas*, quibus nunc in Missis utimur, istae non ab Apostolis, eorumque immediate Successoribus sunt repetendae, sed a Gelasio Romano Pontifice, et a S. Gregorio. Gelasius enim, teste Anastasio in ejus Vita, *fecit Sacramentorum praefationes, et Orationes.* Gregorius teste Ioanne Diacono Lib. II Cap. 17 ex Gelasiano Codice multa sub-

trahens, pauca convertens, et nonnulla adiiciens Orationes omnes in unius Libri volumine coarctavit. Posteriorum tamen Pontificum sunt nonnullae. Leoni enim II tribuitur Oratio *Deus cujus dextera B. Petrum*, qui eam composuisse dicitur Neapolitanis adversus Saracenos pro Ecclesiae defensione navali praelio pugnantibus. Innocentius vero III auctor fuit Orationis *A cunctis*. A Gregorianis paucis exceptis, diversae sunt Ambrosianae a S. Ambrosio, et ab aliis ejus Ecclesiae Pastoribus compositae. In Missali autem Mozarabum non solum diversae omnino sunt Orationes, sed diversa quoque ipsarum formula est: nam et longiores sunt, et ritu dissimili recitantur. In Liturgiis Graecorum quamvis multae sint precationes, nulla tamen extat in qua Latinae Collectae modus observetur. Multas etiam *Collectas* composuerunt Alcuinus, et Grimaldus Abbas, quas Pamelius collegit Tom. II *Liturgicorum:* itemque Musaeus Presbyter Massiliensis, et Voconius Episcopus Castellanensis in Mauritania, ut refert Gennadius Lib. *de viris illustribus* Cap. 78 et 79. Sunt et aliae a recentioribus editae, quae facile dignoscuntur, si cum antiquis, et Gregorianis conferantur. Duplex porro est Collectarum stylus, deprecatorius, et historicus: deprecatoriae sunt fere omnes *Collectae*, quae leguntur in Festis, et Feriis de tempore; historicae quae in Festis SS. Martyrum, Confessorum, Virginum, ubi breviter, vel Sancti vita, aut ejus aliqua specialis actio connotatur, uti videre est in *Collectis* Festorum S. Stephani Protomartyris, S. Ioannis Evangelistae, SS. Innocentium, S. Ioannis Baptistae, et SS. Apostolorum Petri et Pauli, Sancti Laurentii Martyris et aliorum; reperiuntur etiam *Collectae*, ut ita dicam intercessoriae, scilicet, quibus dirigatur Oratio, ut Sanctus pro nobis intercedat ad Dominum, uti *Collecta* S. Matthaei Apostoli, S. Lucae Evangelistae, et aliorum. *Collectarum* insuper, et maxime antiquiorum, series, ac dispositio, ut sapientissime observat Angelicus Doctor Divus Thomas quaest. 83 art. 17 quatuor ut plurimum partibus, seu expressis in verbis, sive in iis aliquo modo contentis constat, nimirum Oratione, Gratiarum actione, Postulatione, et Obsecratione, juxta Apostoli monitum I ad

ad Timotheum Cap. II; et primo cum Oratio sit elevatio mentis in Deum, statim initio praemitti solet compellato summo Numine his verbis: *Omnipotens sempiterne Deus*, *vel Omnipotens*, *et misericors Deus*, vel frequentius hac una voce *Deus*, vel alia *Domine*, vel utraque juncta *Domine Deus*. Orationem porro excipit Gratiarum actio, sive pro mysterio, quod ea die recolitur, ut cum dicimus in Festo SS. Trinitatis : *Qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei* etc. Et in festo Pentecostes : *Qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti etc.* sive pro gloria, aut certa aliqua gratia collata Sancto, cujus festum agitur, vel etiam nobis ipsis illius ope, et intercessione concessa. Tertio item Collecta constat postulatione, quae ejusdem praecipua pars est, et continetur in ea gratia, seu beneficium, quod a Deo poscitur, puta liberatio a peccatis, ereptio a periculis, vitae aeternae adeptio, terrenorum contemptus, dona charitatis, humilitatis, patientiae, et similia. Quarto denique Obsecratio Collectam claudit. Per *Dominum* de qua infra. Caeterum non est, quod semper has quatuor partes se se consequentes habeant veteres etiam Collectae; saepe enim Postulatio gratiatiarum actioni praemittitur, ut in Collectis S. Stephani : *Da nobis quaesumus Domine imitari quod colimus etc.* S. Laurentii *Da nobis quaesumus omnipotens Deus vitiorum nostrorum flammas extinguere*, *qui B. Laurentio.*

IV. Concluditur Oratio Obsecratione, et Obtestatione per Christum, qui est Mediator, et Redemptor noster. Ad Patrem enim dirigitur Oratio, ut Concilium Carthaginense III decrevit, et per Filium terminatur, sicut ipse olim praecepit dicens : *Quodcumque petieritis in nomine meo*, *dabit vobis*. Eae vero, quae ad Patrem ordinantur, obsecratione clauduntur *Per Dominum nostrum Iesum etc.* Tum quia *nullum aliud nomen datum est hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri:* tum quod *unus mediator Dei*, *et hominum Deus*, *et homo Christus Iesus;* tum quod *per eum solum habemus accessum ad Patrem ;* juxta id, quod legitur in Actibus Apostolorum Cap. IV et I ad Timotheum Cap. II et ad Romanos Cap. V. Post *Collectam* totus coetus ac-

cinit *Amen*, de qua voce, ejusque usu post precationem loquitur Apostolus I ad Corinthios Cap. XIV, et post eum antiqui Patres Iustinus Martyr *Apologia II Absolutis precibus, et gratiarum actione quilibet de populo, qui adest, faustis vocibus acclamat Amen.* Hieronymus *Praefatio in Epistolas ad Galatas* in Ecclesiis Urbis audiri testatur quasi coeleste tonitru populum clamantem, et reboantem *Amen.* Dionysius Alexandrinus in *Epistola ad summum Pontificem* Sixtum apud Eusebium Lib. VII *Historiae* Cap. 9: *Qui gratiarum actionem frequenter audierit, et cum caeteris responderit Amen. Cyrillus Catechesi Mystagogica* V obsignari ait per *Amen* orationem; sicut eadem voce obsignatas olim Epistolas, quas *Formatas* vocabant, docet Ferrarius Lib. I *de antiquo genere Epistolarum Ecclesiasticarum* Cap. 5. Olim ad Collectas pro earum complemento, non semel tantum, verum etiam bis quandoque responsum fuisse *Amen.* Quod vero attinet ad numerum *Collectarum* sunt quidam recentiores, qui asserunt Ecclesiam Romanam a temporibus Apostolicis tres orationes recitare consuevisse: nullum tamen hujus assertionis testimonium afferunt: imo illi refragantur Ordo Romanus, et antiqui Sacramentorum Libri, in quibus pro singulis Missis una tantum *Collecta* signatur. Dum *Collectas* recitamus, numerum in eis servare debemus; ne earum numerus ultra quam par sit augeretur, definitum est, non plures quam septem esse recitandas, ut post Belethum, et Durandum observavit Martene Lib. I Cap. 4 art. 3 n. 11 *de antiquis Ecclesiae Ritibus.* Nunc dum plures dicuntur, numerus ipsarum impar esse debet: ita Rubricae post Innocentium III. Verum idem laudatus Innocentius nec non Micrologus Cap. 4 asserunt, quod suo tempore dicebantur semper tres, aut quinque, aut septem Collectae in honorem SS. Trinitatis, vel Resurrectionis Iesu Christi, vel in Commemorationem quinque plagarum Christi Domini; et septem dona Spiritus Sancti. Porro haec Orationum multiplicatio in Monasteriis coepisse videtur: etenim in Concilio Matisconensi anno 627 celebrato, Agrestinus Monachus Luxoviensis, Sancti Columbani Regulam accusans, inter caetera, quae viro Sanctissimo objecit, unum erat, quod

Missarum Solemnia contra institutum Ecclesiae morem multiplicatione Collectarum celebraret. Agrestinum tamen confutavit Abbas Eustatius his verbis, in eodem Concilio relatis: *Multiplicationem Orationum in Sacris Officiis omnibus proficere Ecclesiis: quia dum plus Dominus, quaeritur, plus invenitur; et cum uberius Oratione pulsatur, eo citius exaudire probatur*. Collecta expansis manibus; brachiisque protensis recitatur, eo scilicet habitu, qui fidelibus orantibus in utroque Testamento solemnis fuit. Ideo psallebat David, *Dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum: In nomine tuo levabo manus meas: expandi manus meas ad te*. Nam sicut Adam extensa manu ad vetitae arboris fructum Dei praeceptum transgressus est, ita credimus ipsum poenitentem noxias manus ad Deum extendisse, cum ab ipso veniam praevaricationis in oratione petebat; eumque ritum filios, et nepotes suos edocuisse. Hac ipsa de causa Christum in Cruce manus suas extendisse adversus primi parentis manus incontinenter extensas, Nazianzeni sententia est. Utroque autem mysterio Christianos hac forma orasse existimat Cardinalis Bona, ut et Adami transgressionem, et Iesu Christi e patibulo pendentis, ac pro nobis satisfacientis imaginem exprimerent. Apparent passim in cryptis, et coemeteriis Romanae Urbis virorum, et mulierum extensis brachiis, et elevatis manibus orantium antiquissimae picturae, quas Bosius spectandas exhibet in *Roma subterranea*.

V. Nón solum autem in Missae, Officiorumque divinorum Solemniis *Collectae* olim recitari solebant; sed in quocumque Clericorum seu Monachorum conventu, quoties simul orabant, qui praesidebat brevi Collecta conventum dimittere solebat. Testis est hujus consuetudinis Walfridus Strabo Cap. 22 dicens, consuevisse veteres Patres, qui caeteris eminentiores erant, non solum inter Officia Missae; verum etiam in aliis conventibus, et colloquutionibus brevi oratione opus concludere. Olim post recitatam Collectam, in Ecclesia Romana ceterisque in Ecclesiis, diebus solemnioribus fiebant speciales Orationes pro Summo Pontifice, pro Episcopo, Imperatore, pro Rege, quae Orationes *Laudum*

nomine appellabantur. Harum Laudum formulam legere licet apud Cardinalem Bonà, item apud Mabillonium et apud Edmundum Martene. Erant autem Laudes adclamationes festivae intra Missarum solemnia factae. Hodie Laudes hoc loco fieri solent Summo Pontifici eodem fere ritu in die dumtaxat suae coronationis. Praeterire non debemus, praedictas Orationes collocandas esse servata earum dignitate, ut praescribit Rubrica; et ex solo Missali esse desumendas, videlicet, aut de Tempore, aut de proprio Sanctorum, aut de Communi, aut ex Orationibus diversis post Missas Votivas; non ex aliis Libris: nunquam potest Sacerdos ea depromere, unde maluerit, sed ex Missali tantum; ut colligitur ex Rubrica. Littera N. quae habetur in Oratione *A cunctis* exigit expressionem nominis Patroni, seu Titularis Ecclesiae, ubi Missa celebratur. Denique si Ecclesia, in qua celebratur Missa sit dicata Sanctissimae Trinitati, Sanctissimo Salvatori, vel alicui Sancto ex nominatis jam in Oratione *A cunctis*, tunc loco nominandi in illa littera N. Sanctum Titularem, ne is iterum repetatur, potest expriori nomen alterius Sancti, cujus praecipua memoria, vel insignis Reliquia habetur in dicta Ecclesia. Si vere non sit aliquis ejusmodi, tunc nominari potest alius Sanctus pro arbitrio, et devotione Sacerdotis celebrantis.

CAPUT XII.

DE EPISTOLA.

I. Antiqui Codices Sacramentorum tam editi, quam manuscripti *Post Collectam*, inquiunt, sequitur *Apostolus*, idest Lectio ex Apostolo. Tametsi enim ipsa Lectio ex aliis quoque Libris Veteris, et Novi Testamenti desumatur, ut plurimum tamen ex Epistolis Pauli accipitur, ac propterea solius Apostoli in praedictis Codicibus mentio fit quam formulam passim usurpant veteres Officiorum explanatores. Atque inde orta est Epistolae nomenclatura, quae huic Lectioni communiter tribui solet, licet non ex Epistolis, sed ex Prophetis, sive ex aliis Scripturae Sacrae Libris. Ritum hunc legen-

di Epistolam, seu Lectionem aliquam Sacrae Scripturae, ab Apostolis derivasse certissimum est, uti observat Cardinalis Bona, Lib. II Cap. 6 num. 1; Antonius Bellotte, in *suis observationibus* pag. 396; Grancolas, *in antiquis Liturgiis* pag. 504. Divus Paulus ad Colossenses Cap. IV: *Cum lecta fuerit apud vos Epistola haec, facite ut in Laodicensium Ecclesia legatur, et eam quae Laodicensium est, vos legatis.* Et in fine Epistolae I ad Thessalonicenses, *adjuro vos per Dominum, ut legatur Epistola haec omnibus sanctis fratribus.* Quamvis enim praecise non jubeat fieri hanc lectionem in Missarum solemniis, verisimile tamen est illi tempori reservatam, quo solebant fideles ad sacra mysteria percipienda convenire. Clare item hic ritus in Liturgiis Iacobi Apostoli praescribitur, ut nimirum legantur singulis diebus in sacra, et divina Missa oracula sacra Veteris Testamenti, et Prophetarum, et Incarnatio Filii Dei. Idem asserunt antiqui Patres, Tertullianus in Apologetico Cap. 39: *Coimus ad literarum divinarum commemorationem.* Iustinus Martyr *Apologia II* Sacrum Christianorum describens ait: *et Commentaria Apostolorum, aut scripta Prophetarum, quoad tempus fert leguntur.* Eadem in Apostolicis Constitutionibus, et in Basilii Chrysostomi, aliorumque Liturgiis praecipitur, tamquam sacri ministerii pars, per quam ad divini Sacramenti participationem fidelium animi disponuntur. Augustinus Lib. XXII *De Civitate Dei* Cap. 8 Synaxim diei Paschatis commemorans, *salutavi*, inquit, *populum, et facto tandem silentio Scripturarum divinarum sunt lecta solemnia.* Ex his autem omissis recentiorum testimoniis, evidenter deducitur morem legendi in Ecclesia, et specialiter initio Missae Scripturam non ab Alexandro I Romano Pontifice, ut quidam perperam scribunt, sed ab Apostolis, incoepisse. Series et ordo Epistolarum et Evangeliorum totius anni cursu leguntur in Missa, vulgo Divo Hieronymo tribuitur, qui Librum composuit appellavitque *Comitem* quem typis edidit Pamelius in voluminibus de *Rebus Liturgicis.* Sed et Cornelius Schultingius initio suae Bibliothecae Ecclesiasticae se, eumdem Comitem manuscriptum habuisse asserit multo ampliorem quam sit editus a Pamelio. Citant hunc librum

nomine Lectionarii omnes antiqui Sacrorum Rituum Scriptores, quidam sine nomine auctoris, alii expresso nomine S. Hieronymi, et titulo Comitis. Dominicorum dierum Epistolae omnes e S. Paulo, vel ex aliis Apostolis sumptae sunt. Ecclesia nimirum praecipit, ut eorum scripta qui Dei Legatos egerunt, ante Evangelium legantur. Ad Epistolam omnes sedent; siquidem penes Iudaeos, primosque Christi fideles lectio haec collatio quaedam erat. Lectio autem in eum finem instituta est, ut Christianus populus erudiatur, et per eam ad Sacrificium praeparetur. *Praemittitur instructio* inquit Divus Thomas 3 part. quaest. 83 art. 4 *fidelis populi, quia hoc Sacramentum est mysterium fidei, ut supra habitum est; quae quidem instructio dispositive quidem fit per doctrinam prophetarum et Apostolorum, quae in Ecclesia legitur per lectores et subdiaconos.*

II. Epistola in Missis privatis legitur a Sacerdote, a Subdiacono vero nunc canitur in Missis solemnibus, interea dum a Sacerdote legitur submissa voce. Ast haec disciplina non eadem semper fuit. In veteri Ordinatione Subdiaconi nihil invenitur, quod referri possit aliquo modo ad lectionem Epistolae. Munus hoc olim erat Lectoris, ut fusius ostendunt Hallier, *de materia, et forma Ordinationis* § 16 num. 46; et Morinus, *de Sacris Ordinationibus part. 3 exerc. 12.* Lector autem olim per traditionem Codicis ordinabatur: qui ritus adhuc hodie perseverat; et in Ecclesia Orientali traditur eis Codex Epistolarum S. Pauli quas publice legunt in Ecclesia. Nunc vero in Ordinatione Subdiaconi cum Episcopus dicat: *accipe Librum Epistolarum et habe potestatem legendi eas in Ecclesia*, iam definitum apparet, esse munus Subdiaconi lectionem canere in Missa solemni. Si Subdiaconus absit, quivis Clericus in Minoribus Ordinibus constitutus potest eam canere, non tamen adhibito manipulo juxta Decreta S. R. C. relata a Merato. Qui vero mistice tractant de Missae Sacrificio, docent ideo ante Evangelium Epistolam legi, non quod huic illud dignitate praestet, sed quod Apostoli praeibant Christo, qui eos mittebat binos ante faciem suam. Et Innocentius III Lib. II *Mysteriorum Missae* Cap. 29, ait Epistolam ante Evangelium legi, ut significetur munus praecurso-

ris Christi, qui venit parare vias ejus. Gerit Epistola juxta Durandum figura legis et Prophetiae, quae Iesu Christi adventum praecesserunt, sicut ipse Evangelium praecedit. Praecedit quidem lex Evangelium, sicut umbra lucem, et sicut timor charitatem. Facies autem Epistolam legentis respicere debet Altare, quod Christum significat. Lecta Epistola, in Missis privatis minister, et chorus in Missis solemnibus respondet: *Deo gratias*, quam vocem vetustissimam esse inde ostenditur, quod S. Benedictus, Cap. 66 Regulae suae eam commemoret tamquam a suis Monachis saepe adhibitam, et S. Augustinus exprobrat Donatistis, quod illam Catholicorum vocem irriderent: *Deo gratias*. Haec formula sumpta est ex Apostolo Paulo, in cujus Epistolis frequenter ea legitur. Primi Christi fideles, ut idem Augustinus Epistola XLI n. 1 testatur, frequenter in ore habebant hoc verbum, *Deo gratias*, dum inter se colloquerentur. Gratias autem agimus Deo, quod doctrinae suae panem nobis frangere dignatur, teste Ruperto Lib. I *de Divinis Officiis* Cap. 14. Si Epistola erat Pauli, teste Augustino *Epistola* 163, in fine dicebatur *Pax tecum*. Responsio Ministri omittitur, in fine quintae lectionis Danielis in Sabbatis Quatuor Temporum, ne interrumpatur textus, et sensus, ut ibidem legenti patet. Omittitur etiam in fine Lectionum Feriae VI in Parasceven et Sabbati Sancti; nam isti dies sunt dies luctus quibus abstinemus a loquendi modis festivioribus.

III. Usus veterum Patrum fuit non solum scripta Prophetarum, et Apostolorum legere in Ecclesia, cum fideles ad Missarum solemnia conveniebant, sed summorum item Pontificum, aliorumque Episcoporum Epistolas, eas praesertim quas *Irenicas*, sive *Pacificas*, aut *Communicatorias* vocabant: quarum commercio unitas, pax, et communio inter supremum Ecclesiae caput Romanum Pontificem, et reliquos Episcopos, atque universa Ecclesiae membra una Fidei consensione conservabatur; ita ut Orthodoxi ab Haereticis facile ab omnibus ex illarum literarum participatione discernerentur. Epistolam Clementis ad Corinthios publice lectam in Ecclesia testatur Hieronymus Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Apud Eusebium Lib. IV Cap. 15 extat

ejus generis Epistola Smyrnensis Ecclesiae ad omnes Orthodoxos, qua S. Polycarpi Martyrium describitur. Atque hinc orta perhibetur consuetudo legendi etiam in aliquibus Ecclesiis Sanctorum Martyrum passiones, et Confessorum gesta. In Africana siquidem Ecclesia miracula S. Stephani Protomartyris recita fuisse discimus ex Actis Translationis ejusdem in Praefatione Lib. I et Lib. II Cap. I. In Ecclesia Hispana S. Braulio Caesaraugustanus Episcopus libellum scripsit de gestis S. Aemiliani, *ut posset in Missae ejus celebratione quantocius legi:* uti ipse asserit in Praefatione ad ejus Vitam, apud Mabillonium Sec. 1 Benedictinum. Eamdem praxim obtinuisse in Ecclesia Gallicana testatur Gregorius Turonensis Lib. II *De Miraculis Sancti Martini* Cap. 49 et Lib. I *de Gloria Martyrum* Cap. 86, ubi habet: *Lecta passione Sancti Polycarpi*, *cujus festum celebrabatur, cum reliquis Lectionibus.* Legendi ad hanc rem Baronius, *in Praefatione ad Martyrologium Romanum* Cap. 2; Ruinart, *in Praefatione ad Acta Martyrum selecta et sincera* pag. IV; Aringhus, *Roma subterranea* Lib. I Cap. 30. Publice autem hujusmodi Acta Martyrum, et insignium Confessorum Vitae, ac gesta legebantur in Ecclesiis in ipsorum festivitatibus, ut ita auditis illorum virtutibus, fideles populi eorum exemplo ad similia Deo auxiliante perficienda accenderentur. Solebant autem antiquitus tam Epistola, quam Evangelium legi in Ambone, seu Pulpito, ex quo etiam Episcopus conciones habebat, et praeter praedictas lectiones etiam Diptycha recitari, et sermones haberi consueverant. Ex eodem loco fidei professionem emitti solitam ab his, qui ad fidem convertebantur, constat ex Augustino Lib. VIII *Confessionum.* In eo quoque stabant Cantores Graduale, et reliqua cantaturi. Erat autem discrimen inter Epistolam, et Evangelium, nam illa in inferiori, istud in superiori loco legebatur. Ita Ordo Romanus. In quibusdam Ecclesiis duo sunt graduum ordines, unus a sinistris versus Orientem, quo ascendebant, alter a dextris Occidentem spectans, quo descendebant. In aliis Subdiaconus via una, Diaconus altera ibat. Adhuc Romae extat Veteris Ambonis forma in Ecclesiis S. Clementis S. Pancratii, et S. Lau-

rentii extra muros. Prisco ritu in multis Ecclesiis Lectioni Epistolae , Lectio aliqua ex Prophetis praemitti solebat, diebus praesertim solemnioribus, quibus in Comite S. Hieronymi assignata est : et extat etiam hodie in quibusdam Missalibus pro Vigilia Nativitatis Domini, et pro tribus Missis ejusdem festivitatis; quibus etiam diebus olim erat in Missali Romano, ut Radulphus testatur Propositione 23. Hic autem mos ab Ecclesia Mediolanensi quotidie servatur, itemque a Mozarabica, ut in eorum Missalibus patet. Eumdem ritum viguisse in Gallia, priusquam Romanis usibus uterentur, Gregorius Turonensis testis est Libro I *de Miraculis S. Martini Cap. 5: Factum est*, inquit, *ut illa Dominica, Prophetica Lectione jam lecta, ante Altarium staret, qui Lectionem B. Pauli proferret.* Idem constat ex antiquo Lectionario Luxoviensi, quod edidit Mabillonius *Liturgiae Gallicanae Libro II*, ex Sacramentario Bobiensi in quibus Lectiones per anni circulum singulis Missis legendae distribuuntur ex utroque Testamento. Una tantum Lectio plerumqne legitur juxta praesentem disciplinam, quibusdam diebus exceptis, quibus plures leguntur.

CAPUT XIII.

DE GRADUALI TRACTU ET SEQUENTIIS.

I. Dum perlecta Epistola praeparat se Diaconus ad legendum Evangelium, Chorus Responsorium concinit, quod *Graduale* nuncupatur eo quod cantaretur in inferiori gradu ex Ordine Romano, vel juxta gradus Ambonis, seu Pulpiti, in quo legebatur Evangelium ex Rabano Lib. I Cap. 33 vel quia cantabatur, dum Diaconus ascenderet gradus Evangelici Pulpiti ex Valafrido Strabone Cap. 22 cui consentiunt Rhenanus , ad Tertulliani Librum *de Corona militis;* et Bellarminus, Lib. II *de Missa* Cap. 16. Verba Strabonis haec sunt: *Gradualia succinebantur, quando Minister ascendit in locum editiorem ad pronunciandum Evangelium.* vel etiam in gradibus Altaris , uti Durandus ait Lib. IV *Rationalis Divinorum Officiorum* Cap. 19. Ex his variae de

Gradualis, seu Gradalis nomine sententiae, quarum illa praeferenda videtur, quam ex Ordine Romano selegit Cardinalis Bona, scilicet ab Ambonis gradibus ita nuncupatum. Duo Gradualium genera distinguunt Durandus, et Ioannes Belethus; alterum, quod ante Altare canebatur, et alterum in Pulpito, seu Ambone; Belethus ait, Graduale ante Altare cani diebus ferialibus, et solemnibus in Ambone, *quod in gradibus*, inquit, *ante Altare diebus profestis cani soleat, in solemnioribus vero in altioribus, hoc est in pulpito*. Sunt qui eorum auctorem Caelestinum faciunt, sunt qui Gregorium Magnum. Et Gregorius quidem ea in suo Antiphonario per ordinem digessit, quae in singulis Missis per annum cantari solent: at usum psallendi vel aliquot Psalmi versiculos, vel integrum Psalmum, inter Epistolam, et Evangelium multo antiquiorem Gregorio fuisse, saltem in Africa, ex Augustino clare ostenditur. Nam initio *Sermon*. 33 de verbis Domini recenset quid in Lectione Apostolica, quid in Psalmo, quid in Evangelio lectum sit. Et de Verbis Apostoli *Serm. 8 Apostolum*, inquit, *audivimus, Psalmum audivimus, Evangelium audivimus: consonant omnes divinae lectiones*. Dictum Graduale nomen Responsorii accepit, vel quia lectioni Sacrae Scripturae convenire, et correspondere debet; vel quia uno canente, chorus consonando respondet. Ita Venerabilis Cardinalis Thomasius in *praefatione antiquorum Librorum Missarum* pag. 21 ubi affert etiam textus variorum Ordinum Romanorum, in quibus describuntur varii modi pro diversitate temporis cantandi tale Responsorium, seu Graduale.

II. Ecclesia Romana constanter retinuit ut unus Cantor non plures Graduale praecinerent. Amalarius Lib. III Cap. II semper Cantorem singulari numero vocat, qui Gradale responsum praecinit. Post saeculum decimum coepit in Ecclesia Romana mos vetustus aliquantum immutari; ut nimirum non unus, sed duo Cantores Graduale Responsorium praecinerent. Caeterum in Romana Ecclesia ejusmodi Responsoria a Cantoribus majoris Scholae fuisse cantata veteres Ordines Romani indicant. In antiquioribus Ecclesiae moribus Psalmus integer Responsorius cantabatur. Contractum fuit sub

finem Saeculi V. At nondum contractum fuisse videtur sub Leone Magno, quod morem hujus Psalmi ab initio ad finem decantandi ipse innuat in Sermone II Cap. I de anniversaria die suae assumptionis ad Summi Pontificis munus, dum ait: *Unde et Davidicum Psalmum, dilectissimi, non ad nostram elationem, sed ad Christi Domini gloriam consona voce cantavimus.* Psalmus enim Davidicus CIX in solemnitate consecrationis Pontificis decantari solebat. Rursus S. Gregorii Magni Liber Sacramentorum eumdem jam obsoletum demonstrat. Antiphonarii Missales ejusdem S. Gregorii id etiam comprobant, Gradales tantummodo Responsorios, non integros Psalmos, exhibentes. Integer Psalmus Gradualis in hodiernis Missalibus adhuc legitur ex prisco ritu Dominica prima Quadragesimae, Dominica Palmarum, et Feria VI Parasceves. Mos canendi Graduale post Epistolam, teste B. Rhenano, cui consentit Venerabilis Cardinalis Bellarminus, ideo introductus est, ne tempus, quo Diaconus recedens ab Altare ascendebat in Ambonem, sine aliquo cantu laberetur. Symbolum laboris ac poenitentiae esse Graduale, docet Rupertus in Libro I Cap. 34 ubi ait, quod *Graduale respicit ad lamentum poenitentiae*; cantus est asper et gravis adeo, ut nec usus, nec decus sit illud efferre vocibus excellentibus; significat enim *non requiem remuneratorum, sed laborem operantium.* Quare tempore Paschali non est dicendum juxta Rubricam; hoc enim tempus est summae laetitiae, et est Symbolum beatitudinis, et requiei aeternae. Excipitur tamen prima hebdomada post Pascha: in ea enim *Graduale* dicitur; et id propter Neophytos, ut isti ex Graduali intelligant, ac discant, quod in vocatione, qua vocati sunt, debeant laborare, et continuo se exercere, ut notat Lib. VIII *de Divinis Officiis* Cap. I idem Rupertus, idcirco cessant in Sabbato Gradualia, et eorum loco dicuntur duo versus, qui nihil sinistrum, aut triste sonant, ut ait Innocentius III. In octava Pentecostes licet praesentes sint recens baptizati, tamen Graduale omittitur, quia ea hebdomada est symbolum gloriae. Caetera quae pertinent ad sacram eruditionem praedicti Gradualis in Missa dicendi, tradit Cardinalis Bona, Lib. II Cap. 6. num. 5; nec non

Cardinalis Thomasius, qui pariter erudite discurrit de dicto Graduali in praefatione praefixa *suis antiquis Libris Missarum*, a pag. 21 usque ad pag. 29; et in alia praefatione alterius operis, cui titulus: *Responsorialia, et Antiphonaria Romanae Ecclesiae* pag. 4 et seqq. Praeterea agunt etiam de hoc Graduali Hugo Menardus, Antonius Bellotte et alii.

III. Post Graduale dicuntur duo *Alleluja*, deinde versus, et post versum unum *Alleluja:* tempore Paschali, quando Graduale non dicitur, post secundum versum dicitur aliud *Alleluja*. Vox *Alleluja* est vox hebraica, et significat *Laudate Dominum*. Auctor Libri *de vita et morte Prophetarum* inter opera S. Epiphanii Aggaeum Prophetam primum fuisse ait, qui *Alleluja* cantavit, cum novam Templi structuram vidit. Sed ex Psalmis constat primum ejus Auctorem fuisse David Regem. Extat etiam in Libro Tobiae Cap. XIII nec alibi legitur in tota serie veteris Testamenti. At in nova Lege Ioannes Apostolus in sua admirabili Apocalypsi Cap. XIX refert se audisse in Coelo supernarum virtutum Choros psallentes *Alleluja:* ut inde cognoscamus nobilissimum hoc Canticum e coelis in Ecclesiam descendisse, extat etiam in omnibus Liturgiis Graecorum. Dicitur iuxta Ordinem Romanum in Missa post Graduale; post luctum enim equum est, ut laetitia sequatur, post laborem requies; per eam quippe exprimitur peregrinum gaudium, quod in Coelo laborantes et lugentes expectat, cum plenitudine gaudii et exultationis. Geminatur ob duplicem, quam expectamus, glorificationem, animi scilicet et corporis. Additur versus, et alterum *Alleluja*, quasi intermixtum sit *Graduale* tum luctus, tum laetitia, ne deficiamus in hac vita aerumnarum plena. Esse autem *Alleluja* Canticum laetitiae, et merito intermitti in diebus poenitentiae, et luctus, patet ex Scriptura Divina, nam Tobiae Caput XIII ubi describitur gloria coelestis Hierusalem, inter alia legimus: *Et per vicos ejus Alleluja* cantabitur. Ita pariter in Apocalypsi Cap. XIX describens Ioannes Apostolus laetitiam Sanctorum, quae erit in Coelo post diem judicii: *Et audivi*, inquit, *vocem .... dicentium Alleluja, gaudeamus, et exultemus, etc*. Hinc optime Ru-

pertus Tuitiensis Abbas Lib. I *de Divinis Officiis* Cap. 34 ait Graduale esse versiculos ad poenitentiam pertinentes, et ideo Paschali tempore omitti, ejusque loco duplicari *Alleluja,* quia totum illud tempus remissionis et laetitiae est, sicut e contrario a Septuagesima usque ad Pascha omitti *Alleluja*, et duplicari ea, quae ad luctum, et poenitentiam pertinent. Eadem de causa non dicitur in Missis Feriae Adventus, Quatuor Temporum, et Vigiliis, quae ieiunantur; vox enim tantae laetitiae audienda non est in diebus moeroris. Non canitur in Festo SS. Innocentium propter plorationem Rachel, quae in figura praecessit luctus Matris nostrae Sanctae Ecclesiae, ut ait Burcardus. At si hoc Festum veniat in die Dominica, cantatur *Alleluja*, ob Domini Resurrectionem. Cantabatur olim *Alleluja* in exequiis Christianorum, teste Hieronymo in *Epistola ad Aeanum*, ubi scribens de funeralibus Fabiolae, ait, *quod in ipsis sonabant Psalmi, et aurata tecta Templorum in sublimi quatiebat Alleluja.* Morem hunc, in exequiis adhuc retinent Graeci. Adeo autem familiaris erat hic Hymnus temporibus Divi Hieronymi, ut de ipso Sanctus hic Doctor scribat ad nobilem Virginem Eustochiam Epistola 27 Cap. 10 *Quo signo* (*Alleluja* scilicet) *Monachi vocantur ad Collectam.* Hactenus dicta satis innuunt, *Alleluja* primum semper veluti quamdam ad laudandum Deum cohortationem, alterum vero tamquam exclamationem gaudio refertam, seu laetitiae quemdam impetum spectatum fuisse, quo se mutuo ad celebrandas Dei laudes universus populus excitat. In hunc finem ab annis jam 1000 ad caloem *Alleluja* complures plenae musicae notae additae conspiciuntur dicta *Neumata*, quod jubilum dixeris.

IV. A Septuagesima ad diem Paschae pro *Alleluja* dicitur *Tractus*, ut scribit Rupertus Abbas Lib. V *de Divinis Officiis* Cap. 14 *Tractus* autem constat aliquot versiculis, et interdum integro Psalmo, qui post Epistolam recitantur. Nomen *Tractus* venit *a trahendo*; tractim enim, graviter, et cum asperitate vocum, et prolixitate verborum cantatur, ut docent Alcuinus, Durandus, Bellarminus, et alii. *In eo canendo veluti tractae voces lugubres gemitibus, et suspiriis admixtae sunt*, ut notat

Azorius. Auctor *Tractuum*, vel Coelestinus, uti Berno *de Officiis Missae*, vel Gelasius, uti Rupertus Lib. II *de Divinis Officiis* Cap. 21, vel Telesphorus, uti Durandus Lib. IV Cap. 21 putant, vel hi omnes perfecere, uti Gavantus authumat. A Septuagesima ad Pascha locum habet Tractus, quia tunc mortem iuxta Rupertum Lib. V Cap. 13, quae intravit in mundum per invidiam diaboli, lugemus, vel miseriam vitae praesentis uti ex Innocentio III Lib. II Cap. 32. *Tractus* dicebatur ab uno solo Cantore totus, qui Cantor alius erat a Cantore Responsorii Gradalis. Prosae illae, seu Rythmicae modulationes, quae rarius in Romana Ecclesia, in aliis quibusdam frequentius post *Alleluja* cantantur, *Sequentiae* dictae sunt. De Auctoribus *Sequentiarum* diffuse tractat Schultingius Tom. I pag. 2 Cap. 6 et 7 *Bibliothecae Ecclesiasticae*, et de singulis judicium suum profert, sed non semper exactum: multas enim perperam tribuit Sanctis Pontificibus Gelasio et Gregorio aliisque Patribus, quas stylus evincit a recentioribus scripta esse. Communis autem sententia est primum earum Auctorem fuisse Notgerum Abbatem S. Galli, qui earum volumen Lituvardo Vercellarum Episcopo obtulit, ut Eccherardus Monacus in Vita ejusdem Notgeri scribit Cap. 16 et sequentibus apud Goldastum Tom. II *Rerum Alamannicarum*. Plures etiam Saeculo XII composuisse fertur Adam de S. Victore. Crevit deinde earum numerus. Lugdunenses proprias habent in singulis fere Missis, propriae item extant in Missali Norvegiae, et in aliis diversarum Ecclesiarum, quarum maximam partem explicat Iodocus Clictovaeus Lib. IV sui *Elucidatorii*. In pluribus Missalibus tum manuscriptis, tum editis habentur *Sequentiae* pro omnibus diebus Dominicis, et festis per annum, exceptis diebus a Septuagesima usque ad Pascha. At in Romana Ecclesia quatuor dumtaxat cantari solent, Paschalis nimirum, quae incipit *Victimae Paschali*, cujus auctorem esse Notgerum. Herrera asserit Lib. II *de origine et progressu rituum Missae* Cap. 12. Altera est diei Pentecostes, *Veni Sancte Spiritus*, quae Roberto Galliarum Regi adscribi solet, licet a nonnullis tribuatur Hermanno Contracto. Tertia est Thomae Acquinatis pro Festo Cor-

poris Christi, *Lauda Sion Salvatorem*. Quarta denique canitur in Missis Defunctorum, *Dies irae, dies illa*, quam diversis diversi tribuunt. Leander Albertus Latino Cardinali Ursino Ordinis Praedicatorum adscribit, Lucas Wadingus Thomae de Celano Ordinis Minorum, alii apud eumdum Wadingum S. Bonaventurae vel Matthaeo Aquaspartano ex Generali Minorum Cardinali. Iacobus Ludovicus a S. Carolo in sua Bibliotheca Pontificia ait Innocentium III hujus Sequentiae mortuorum auctorem esse, quam tamen Beato Iacopono tribuunt Guillelmus Cave in *Appendice ad Historiam Literarium* pag. 6. In plerisque Missalibus sequentes leguntur, videlicet ex institutione Gregorii XIII in solemnitate Sacratissimi Rosarii Sequentia quae incipit: Virginitatis hortuli. Item iu Festo Sanctissimi Nominis Iesu, et in Festo Sancti Antonini. Ex speciali indulto habent Religiosi Ordines in eorum Missalibus de Sanctis Fundatoribus, et Patronis, uti in Missali Monastico de S. P. Benedicto *Laeta quies magni Ducis etc.* Notat autem Petrus Cirvelus in Expositione Missalis Lib. II Cap. 125 impromprie dici Sequentiam in Missis Defunctorum. Et sane Officium Defunctorum nec Alleluja, nec Sequentiam habere debet; nam haec sunt Cantica laetitiae. Prosa haec, oratio potius Defunctis propria censetur, quam Sequentia Maldonatus in suo Tractatu *de Caeremoniis Missae* Parisiis dictato an. 1569 *Colligo*, inquit, *devotione privatorum aliquorum Sacerdotum fuisse additam Prosam in Missis, quae pro Defunctis dicuntur ut dicant Dies illa, dies irae quod fit extra rationem, et antiquissimos Missales libros, qui tantum habent Sequentiam in diebus laetis.* At Romana Ecclesia eum retinendam statuit, vel quia olim in funere Defunctorum cani consuevit *Alleluja*, et post Alleluja *Sequentia*, vel quia non tantum spectavit Sequentiarum originem, quae gaudium indicant, quantum religiosum affectum, et hujus causa eam servavit, ut piam quamdam Orationem pro Defunctis. Porro circa Sequentias, aut hujusmodi Prosas plura profert Iodocus Clictovaeus Lib. IV sui *Elucidatorii.* Idem de iisdem nonnulla habent Carolus Guyetus, in sua *Heortologia seu de Festis Locorum propriis* Lib. III Cap. 25 quaest. 6; Meratus, in Gavantum T. I pag. 64 et 83 aliique plures.

CAPUT XIV.

DE EVANGELIO.

I. Morem legendi Evangelium in Ecclesia antiquissimum esse nemo dubitare potest, qui in evolvendis veterum Patrum monumentis versatus sit. Coepit enim in solemni fidelium conventu legi, statim ac scriptum fuit. Et quidem de Lucae Evangelio testimonium perhibet Apostolus II ad Corinthios Cap. VIII dum fratrem commemorat comitem suae peregrinationis, *cujus laus* inquit, *est in Evangelio per omnes Ecclesias*. Quoad publicam Evangelii recitationem, adstipulantur Iustinus Martyr, et Cyprianus, et alii Patres. Nam cum Scripturae ex prisco Synagogae usu in conventibus legerentur, fidelium pietas, et amor erga Dominum, et Salvatorem nos credere compellit ejus gesta a viris tantae auctoritatis Deo inspirante conscripta publice perlegi statim coepisse. Ratio igitur propter quam Diacono evangelium legere ab antiquis Patribus demandata est, ab ipsa potius Evangelii sanctitate, et majestate petenda videtur, quae cum maximam exigat reverentiam, et venerationem, et semper cum ingenti pompa, atque apparatu legi consueverit, Ecclesiasticae gravitati congruum fuit tantum munus non Lectoribus committere, sed Diaconis, qui ad Sacerdotalem dignitatem proxime sunt. Sozomenus Lib. VII *Historiae Ecclesiasticae* Cap. 19 sacrum Codicem Evangeliorum Alexandriae a solo Archidiacono, apud alios a Diaconis, et in multis Ecclesiis a solis Sacerdotibus, atque diebus solemnibus ab Episcopis legi testatur. Omnes autem assurgere, et stare, dum legitur Evangelium, ritus antiquissimus est, ut tamquam servi ante Dominum se promptos, et paratos ostendant ad exequenda mondata Dei, quae in Evangelio promulgantur apud Graecos enim non solum surgit Episcopus ad Evangelium, sed etiam Omophorium deponit, servitutem, et subjectionem suam erga Dominum demonstrans, ut explicat Simeon Thessalonicensis. Ritus autem deponendi Baculos diu mansit in Ecclesia, nam Nicolaus de Plove Presbyter Posnonien-

sis, qui claruit anno 1434 in Expositione Missae ait: *Cum legitur Evangelium, arma, vel baculi deponuntur, in signum, quod juxta doctrinam Evangelicam parati sunt fideles, non armis, sed patientia se defendere.* Nunc milites Religiosi, et equestris Ordinis viri ensi manum admovent, vel educunt de vagina, cum recitatur Evangelium, ut eo gestu testentur se paratos esse pro Evangelii defensione viriliter pugnare, et sanguinem effundere.

II. Sacerdos ante lectionem Evangelii dicit *Dominus vobiscum*, et populum salutans hac salutatione, excitare intendit fideles ad devote percipienda verba divina. Postquam Minister respondit: *Et cum spiritu tuo*, Sacerdos dicens: *Sequentia*, vel *initium Sancti Evangelii.* Res haec valde antiqua est; et non alia de causa ea ponit dicit Chrysostomus in *Homiliam III ad Thessalonicenses*, nisi ut populus attentus reddatur ad audienda Dei verba. Erat enim exordium hoc, usitatum in Prophetis. Dicebant quippe: *Haec dicit Dominus*, ut populus attentior redderetur. Audita ea voce populus orabat Deum, ut daret gratiam illi, qui legebat Evangelium ad hoc, ut recte pronunciaret, aedificaret Ecclesiam, et iuvaret auditores. Sacerdos dicens: *Sequentia*, vel *initium Sancti Evangelii*, pollice dextro primo signat Librum, deinde signat seipsum in fronte, ore, et pectore. Libro vero Crucem imprimit; quod fit juxta Innocentium III, ut innuatur hunc Crucifixi Librum esse: fronti vero, quod juxta Augustinum Crucem non erubescat: ori autem, et pectori, quod *corde credatur ad justitiam, ore autem confessio fiat ad salutem.* Iuxta Pouget hoc ritu singuli innuunt sic se esse affectos, ut non erubescant Evangelium, sed gestent illud in fronte, in ore, et corde, paratos scilicet Fidem Evangelicam, quam corde retinent, ore et moribus profiteri. Debent igitur singuli ad ejus tantae rei significationem sibi frontem, os et pectus signare. Minister respondet: *Gloria tibi Domine.* Responsio haec habetur in Liturgia Chrysostomi. Amalarius in Librum III Cap. 18 eam explicans dicit, dictis vocibus invitari omnes ad glorificandum Dominum, qui mittit verbum salutis, vel invitari ad capiendum cum fructu verba Evangelii,

vel ut explicat Germanus in *Theoria Rerum Ecclesiasticarum*, dictis verbis indicatur, quod legendum est, esse sermonem Dei, idque credentes clamare *Gloria tibi Domine*. Tum junctis manibus, sive privatim, sive solemniter celebret, Evangelium legit. In majori hebdomada, cum legitur Historia Passionis Christi, lectioni praemittitur: *Passio Domini nostri etc.* et omittuntur tam *Initium*, aut *Sequentia* etc. quam praedictum Crucis singum. Lecto Evangelio in Missa privata a Sacerdote, Minister respondet: *Laus tibi Christe:* quae verba omittuntur Feria VI in Parasceve, nos dicendo haec verba, laudamus Christum.

III. Lecto Evangelio fideles olim dixisse *Amen*, Beleth in *Explicatione Divinorum Officiorum* Cap. 39 et Durandus Lib. IV Cap. 24 testes sunt, quod etiam in Missa Mozarabum, et in Regula S. Benedicti Cap. II praescribitur. Alensis item 4 P. *Summae in Tractatu de Officiis Missae, perlecto*, inquit, *Evangelio dicunt assistentes Amen, quasi dicant: Faciat nos Deus perseverare in doctrina Evangelii. Alii dicunt: Deo gratias, in gratiarum actionem pro beneficio tantae doctrinae, et tam salutaris.* Addit Alcuinus ex Ordine Romano populum se signo Crucis munire tunc consuevisse, ut quod ex divinis eloquiis ad salutem percepit, signatum sigillo Crucis, atque munitum permaneat. Tandem ipsum Evangelium Celebrans osculatur, quod olim universo Clero, omnique populo ad osculandum circumferri, et porrigi a Subdiacono solebat in signum venerationis, et communionis cum Domino Iesu Christo, et doctrina ejus, ut Ionas Aurelianensis egregie docet in Praefationem Libri II *de Cultu Imaginum adversus Claudium Taurinensem: Sacrae*, inquit, *Religionis usus in sancta Ecclesia adhuc servatur, si tamen apud te, ut perlecta S. Evangelii lectione, ab Episcopo vel Presbytero, caeterisque sacri ordinis religiosis codex, in quo Evangelii lectio recitata est, multicibus osculis veneretur. Sed hoc cujus causa, nisi illius cujus esse verba creduntur*, agimus? In Missa Tilliana Sacerdos osculans Evangeliorum Librum, dicit: *Per istos sermones Sancti Evangelii filii tui Domini nostri Iesu Christi indulgeat Dominus peccata nostra.* Deli-

ctum generatim culpam, seu peccatum significat; cum ergo Ecclesia, praeter Poenitentiae Sacramentum, adjumenta alia ad delenda peccata proponit, id sane nunquam de lethalibus peccatis accipi debet, quae scilicet per Sacramentum tantum tolluntur. Quamobrem hoc loco venialia solum peccata veniunt. Insuper petimus, ut noster a propriis malis animus liberetur, quemadmodum qui Iesum Christum audiebat; in pristinam valetudinem restituebatur. S. Augustinus asserit se non raro Evangeliorum Librum suo ipsius capiti imposuisse, ut a corporis morbis sanaretur; ac nos quidem cum S. Doctore Deum obsecrare debemus, ut eum etiam in corde collocet, quo a spiritualibus aegritudinibus convalescat. Evangelium audientes potissimum dicere debemus: *loquere, Domine, quia audit servus tuus*. Optare debemus, ut idem nos divinus ignis incendat, quo Christi Discipuli duo, Magistrum in Emmaus itinere secum ipsis loquentem audientes, se incensos senserunt, et ob oculos habeamus oportet, Sanctorum virorum exempla, Sanctum illum Aegyptium Antonium imitati, qui in Ecclesia Evangelium audiens, ea quae percepit, executioni mandavit.

IV. In solemnibus Missis Diaconus Evangeliorum Librum super Altare defert, et genuflectit, ut dicat *Munda cor meum;* tum se in pedes erigit, Librum recipit, iterum genuflectit, a Sacerdote benedictionem petit, et accipit, eique manum osculatur. Iam Evangelii librum super Altare ponendi, et ex Altari recipiendi mos ex eo derivatur, quod idem olim in Missae initio magnifice deferretur. Diaconus priusquam legat Evangelium, petit a Celebrante benedictionem, licentiam videlicet legendi. Porro hic ritus benedictionis antequam publice quidpiam legatur, antiquissimus est, in Homiliis siquidem manuscriptis haec verba veteri more petendi benedictionem praefixa repeκiuntur: *Benedic Pater*. Vulgata vero benedictio est, Dominus sit in corde tuo *et in labiis tuis*. Iuxta Ordinarium Carthusianum, Missale Carmelitarum, FF. Praedicatorum; antiqua Missalia Tullensia, et Parisiensia usque ad annum 1615 clauditur benedictio celebrantis: *ut digne et competenter annunties Evangelium pacis*. Oratio *Munda cor meum* similibus fere verbis habetur

in Liturgia S. Iacobi ante thurificationem. Accepto Libro de Altari instituitur Processio, praecedente cereorum lumine, tamquam in gaudii signum, quod sanctum Evangelium nobis affert; et ut innotescat Christum Dominum vere et proprie dictum lumen esse, quod suo nos verbo luculentissime illustrat. Thus quoque defertur more consueto, ut ex antiquissimis Liturgiis liquet: et in quibusdam Ecclesiis praecedit etiam Crux, ut scribit Durandus Lib. IV *Rationalis* Cap. 24. Thus a Sacerdote benedicitur; et ante Evangeliorum librum affertur, ut quod emittit, suffimentum boni odoris, signum sit, quem Deus in cor diffundit, dum se per Sanctum Evangelium in conspectum dat. In veteri Missa Du Tillet Meldensis Episcopi typis edita cum appendice Sacramentarii S. Gregorii, thus ad Evangelium in Thuribulo ponens Sacerdos hanc precem edebat: *Odorem caelestis inspirationis suae accendat, et impleat Dominus corda nostra ad audienda, et implenda Evangelii sui praecepta. Qui vivit.* Adest etiam in Sacramentario Trevirensi Saeculi X absolviturque per eam formulam, *Qui vivit.* In Defunctorum Missis nec lumina ad Evangelium canendum afferuntur, nec Libro, aut Celebranti thus adoletur, nec sumitur benedictio, nec Celebrantis manum osculatur, omissis omnibus solemnitatis, et laetitiae signis. Cum Summus Pontifex Missam solemniter cantat, tam Epistola, quam Evangelium graece et latine leguntur. Diacono latino, qui Cardinalis est, praecedunt septem Acolythi cum septem candelabris, et cereis accensis, eidemque legenti assistunt, et post ipsum idem Evangelium graece legit Diaconus graecus. Antiquissimus est hic ritus in Ecclesia Romana, cujus meminere Anastasius Bibliothecarius, in *Vita Benedicti* PP. III; Amalarius, Lib. II *De Ecclesiasticis Officiis* Cap. I; Anselmus Havelbergensis Episcopus Lib. III *Dialogorum* Cap. 16 qui rationem etiam hujus caeremoniae reddit. Eumdem morem olim in Constantinopolitana Ecclesia viguisse, ut scilicet Epistola, ac Evangelium latine primum, deinde graece recitaretur, testatur Nicolaus I Summus Pontifex in Epistola VIII ad Michaelem Imperatorem. In quibusdam Orientis Ecclesiis Evangelium graece pri-

mum, deide arabice recitari affirmat Du-moleon in *itinere Liturgico* pag. 455.

V. Honorius in *Gemma animae* Lib. I Cap. 25 *Deinde*, inquit, nimirum post Evangelium, *Episcopus sermonem ad populum facit*. Hic mos nunquam interrupta serie ab initio Ecclesiae usque ad nostra tempora servatus est, ut proxime post Evangelium Sermo, sive Homilia, vel Tractatus ad populum haberetur. Auctor Constitutionum Apostolicarum Lib. VIII Cap. 4 praecipit Episcopo, ut post lectionem Legis, et Prophetarum, atque Evangelii populum alloquatur sermonibus exhortatoriis. Ejusdem ritus testimonia frequentissima sunt apud Origenem, Chrysostomum, Cyrillum Alexandrinum, Chrysologum, Leonem, Gregorium Magnum, et alios, quorum Sermones habemus. Extant ètiam in Conciliis sanctiones multae huc spectantes, inter quae Arelatense I Can. 10, Carthaginense IV Can. 2 et 20, Turonense III Can. 4, Toletanum II Can. 2, Cabilonense II Can. 1 2 et 14, Trullanum Can. 19, Nicaenum II Can. 2, Rhemense Can. 14, Moguntinum I Can. 25, Lateranense sub Innocentio III Can. 10, et sub Leone X Sess. 1 ac denique Tridentinum Sess. 5 Can. 2 et Sess. 24 Can. 4. De hoc argumento praeclare scripserunt Ferrarius de *ritu Sacrarum Concionum*, et Braschius Sarsinae Episcopus peculiari opere, quod inscripsit: *Episcopus praedicans*. Porro munus praedicandi proprie et praecipue ad Episcopos pertinere tum usus veteris Ecclesiae, et omnium Sanctorum Episcoporum exemplum; tum ipsa docet Episcopalis consecratio, in qua dicitur: *Accipe Evangelium vade, praedica populo tibi commisso*. Ideo Paulus ad Timotheum scribens *Epistola* I Cap. IV, ipsum terribili adjuratione obtestatur per Deum, et Iesum Christum, ejusque adventum et Regnum, ut instanter praedicet, moneat, increpet in omni patientia et doctrina. Et de seipso ad Corinthios Epistola I Cap. IX ait *si evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit; vae enim mihi est, si non evangelizavero*. Non tantum primi Ordinis Sacerdotes, videlicet Episcopi, verum et secundi, Pastores scilicet inferiorum Ecclesiarum, Parochi dicti, sive in Urbibus, vel in Oppidis, ac ruribus degentes

festis diebus, praesertim Dominicis sermonem ad populum publice habere ex constanti saeculorum successione consueverunt intra ipsa Missarum solemnia, proxime post Evangelii recitationem, et id quidem ex Altaris gradibus, ubi stantes, ut plurimum, adhortatoriis Sermonibus plebis sibi commissae mores corrigunt, et formant. Quod autem et a primis Ecclesiae Seculis Dominico potissimum die hujusmodi publicae allocutiones habitae fuerint, pluribus probat laudatus Ferrarius *Veterum Concionum* Lib. III Cap. 10. Hac de re legendus Franciscus Amatus Pouget *Institutiones Catholicae* Tom. II pag. 936 ubi praeclare de hujusmodi Parochorum obligatione exponendi Verbi Dei pluribus disserit. Post Evangelium in plerisque Ecclesiis publici Poenitentes absolvi et reconciliari solebant, ut ostendit Morinus Lib. VIII *de Poenitentia* Cap. 14. Ut enim observat Beleth Cap. 39 Evangelium aliquando legitur secundum historiam, ut in die Resurrectionis; aliquando secundum allegoriam, ut in festo Assumptionis Beatissimae Virginis; aliquando propter aliquam partem, ut in festo S. Crucis ponitur Evangelium de Nicodemo ob extremam particulam, *sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ità exaltari oportet Filium hominis:* aliquando secundum totum, ut in die Circumcisionis. Ritu monastico immediate post Evangelium fiunt solemnes Monachorum Professiones modo in eorum Ritualibus expresso. Verum hic mos non ubique viget, nam in aliquot Congregationibus fieri solent post Offertorium. Olim quoque post Evangelium pueri a parentibus Monasterio offerebantur, puer autem panem et vinum pro usu Sacrificii offerebat, quem ritum erudite et diffuse explicat Menardus.

CAPUT XV.

DE SYMBOLO.

I. *Symbolum*, vox origine graeca, vel plurium rerum in commune collationem significat, vel signum aut tesseram militarem, qua veri milites ab aliis discernuntur. Apud Catholicos sumitur pro Regula Fidei, sive

summa capitum Fidei, quae omnibus credenda proponuntur. Conveniens enim fuit primaria praecipuaque Fidei capita in unum breviter colligi, ut facilius omnibus proponi ac memoriae mandari possent: deinde ut Fideles ab infidelibus per ejusdem Fidei regulae professionem internoscerentur. Symbolum quatruplex est. Apostolicum, quod ab Apostolis compositum fuit, Nicoenum compositum in Nicoena Synodo anno 325 coacta ad damnandam Arianam haeresim. Constantinopolitanum habitum anno 381 in quo novae exortae haereses, praesertim Macedoniana damnatae sunt. Athanasianum denique quod S. Athanasio vulgo tribuitur. Apostolicum Symbolum non fuit ab Apostolis scripto traditum sed viva voce. Ut enim ait S. Hieronymus Epistola LXI: *Symbolum Fidei et spei nostrae ab Apostolis, traditum, non scribitur in charta, sed in tabulis cordis carnalibus.* Et S. Petrus Chrysologus, Sermone LXXII: *Symbolum Fidei sola fide firmatur: non literae, sed spiritui creditur, et mandatur cordi, non chartae.* Cum igitur Apostoli mandatum a Domino accepissent, ut pro ipso legatione fungentes in universum mundum proficiscerentur, atque omni creaturae Evangelium praedicarent, Christianae Fidei formulam componendam censuerunt, et iis qui obedirent Evangelio tradendam, ut scilicet idipsum omnes sentirent ac dicerent, neque ulla essent inter eos schismata, quos ad Fidei unitatem vocassent, sed essent perfecti in eodem sensu et in eadem sententia. Haec autem Fidei Regula et Professio ab Apostolis tradita Symbolum appellata est. Hoc ipsum Symbolum Catholica Ecclesia semper adeo est venerata, ut SS. Conciliis Oecumenicis consueverit in primis recitari. De Romana autem Ecclesia, quam sincere et illibate illud absque alia aliqua additione servaverit, eruitur ex Rufino *de Expositione Symboli in praefatione.* Sola igitur voce fidelibus tradi consuevit, ut tuto possent eos dumtaxat ad communionem admittere, qui hoc signaculum Christianae professionis tamquam arcanam solisque fidelibus notam tesseram memoriter proferrent: idque tanta secreti fide inviolabiliter servatum est primis Ecclesiae Saeculis, ut nec quidem a Catechumenis memoriae juvandae causa describi permitteretur. Sed

nec ullus Scriptor ante Constantinum Magnum ipsum libris suis inserere ausus est, nisi solus Tertullianus compendio tamen usus, et quibusdam articulis praetermissis. Trecentis, et amplius annis solo Apostolico Symbolo usa est Ecclesia, donec Arius detestandae haeresis impiissimus Auctor emersit, pro cujus damnatione emerrit coacta Nicaena Synodus novam Fidei tesseram tradidit Orthodoxis, qua ab Arianis discernerentur. Hoc vero Symbolo in eadem Synodo recitato omnes Episcopos exclamasse legimus: *Haec est Catholicorum Fides, huic omnes credimus, in hanc baptizati sumus in hac baptizamus.* Novis postea exortis haeresibus secunda Synodus Oecumenica Constantinopoli coacta est, in cujus primo congressu aliud Symbolum editum fuit, quod Marcus Ephesinus in Synodo Florentina tamquam ex communi Graecorum Patrum sententia a Gregorio Nazianzeno compositum fuisse asseruit. Hoc vero ultimum in Missa cantari potius quam Nicaenum antiqui Patres instituerunt, quia in eo dogmata orthodoxa clarius exprimuntur, et omnes haereses eo usque exortae plenius confutantur.

II. Quis omnium primus illud Liturgiae inseruerit, aut cantari praeceperit, incertum est. Radulphus putat, Marcum Papam Successorem S. Silvestri primum statuisse, ut diceretur in Missa Symbolum Nicaenum. Innocentius III Lib. II *de Mysteriis Missae* Cap. 49, et alii scribunt, S. Damasum id recitari iussisse ad exemplum Graecorum. Omnes autem in eo conveniunt, quod primo in Ecclesiis Orientalibus publice cantari coeperit adversus pravas haereticorum opiniones, et ab illis postea usus laudabilis ad Occidentales Ecclesias transfusus sit. Morem Orientalium receperunt primo in Occidente Hispani, et in Concilio III Toletano anno 589 statutum, ut per omnes Ecclesias Hispaniae, et Galliae Narbonensis CP. Fidei Symbolum recitaretur, et priusquam Dominicalis Oratio diceretur, decantaretur a populo clara voce. Hic mos servatur in ritu Mozarabico, et post Symbolum dicitur statim Oratio Dominicalis. Hispanorum morem sequutae sunt postea Ecclesiae Gallicanae, et Germanicae regnante Carolo Magno post deiectionem Felicis haeretici ut scribit Walafridus in Libro *de Re-*

bus Ecclesiasticis Cap. 22. In Romana Ecclesia putat Abbas Berno in Libro *de Rebus ad Missam spectantibus* CP. Symbolum coepisse recitari in Missa ineunte Saeculo XI, Ecclesiam regente Benedicto VIII. Bernonem sequuntur Bona, Lupus, Casalius, Guyetus, et Gavantus. Neque enim desunt alii, uti Mabillonius, Georgi, et Martene, nec infirmis sane innixi rationibus, ante Benedictum VIII in Romana Ecclesia recitari Symbolum consuevisse. Ita enim habent vetustissimi Libelli Romani Ordinis. In Ordine Romano II n. 9 legitur: *Post lectum Evangelium, candelas in loco suo extinguuntur, et ab Episcopo Credo in unum Deum cantatur*. Ordo V num. 7: *Perlecto autem Evangelio, dicat Episcopus Pax tibi; et postea, Credo in unum Deum.* Et quamvis Le Brun Tom. I pag. 243 epocham introducti huius ritus in Ecclesia Romana, ad Benedicti VIII tempora constituerat, tamen T. II ea affert documenta, quibus ostenditur, iam a nono usque saeculo in Ecclesia Romana morem fuisse in Missa Symbolum recitandi. Symbolum canitur, vel dicitur post Evangelium, ad manifestandum fructum, qui ex Christi, et Apostolorum praedicatione est in Ecclesia consequutus. Hinc Divus Thomas 3 part. q. 73 art. 4: *Et nos, quia Christo credimus tamquam divinae Veritati, lecto Evangelio Symbolum Fidei cantatur, in quo populus ostendit se per Fidem, Christi doctrinae assentire.* Et Radulphus Prop. 23 hanc rationem assignat, quod per Sanctum Evangelium corde creditur ad justitiam, et per Symbolum ore fit confessio ad salutem.

III. Symbolum aliquando graece aliquibus in locis cantatum fuisse ostendunt manuscriptae Constitutiones Ecclesiae Neapolitanae, in quibus haec leguntur: *In die Resurrectionis dicto Evangelio Dominus Archiepiscopus incipit* Credo *in graeco sermone*. Concilium porro Toletanum IV Symbolum singulis Dominicis diebus recitari praescribit; Micrologus refert recitatum fuisse in Missis Festi Nativitatis Domini, in Octavis Festorum solemnium, et in Epiphania Domini. Ita pariter fieri Innocentius III *de Mysteriis Missae* Lib. II Cap. 51 tradit feria quinta in Coena Domini, in solemnitate Paschatis, Ascensionis, et Pentecostes, quia horum myste-

riorum in eo fit mentio. In solemnitatibus B. M. Virginis, cujus in eo item fit mentio. In diebus festis Apostolorum, quia ipsius Symboli fuerunt auctores. In festis S. Crucis, quia in iis narratur passio, et mors Domini nostri Iesu Christi. Recitatur et in Festis Sanctorum Angelorum, quia et horum Spirituum Beatorum in Symbolo fit mentio, cum dicitur *Creatorem caeli, et terrae, visibilium omnium et invisibilium*, et Sanctae Mariae Magdalenae, quia fuit, ut juxta Innocentium praefatum Apostolorum Apostola, *pro eo quod ipsa proprie, vel prima Resurrectionis Dominicae gaudium Apostolis nuntiavit.* Denique Gregorius XIII Symboli recitationem praescripsit in festis quatuor Ecclesiae Latinae Doctorum, quibus Pius V addidit quatuor Ecclesiae Grecae, et Divum Thomam, quibus annumeratus est a Sixto V Divus Bonaventura. Causae autem cur certis in diebus festis prae aliis Symbolum recitetur ad Missam tres sunt, uti observat Guyetus *Heortologiae* Lib. III Cap. 28 quaest. 3 videlicet Mysterium, Doctrina, et Celebritas. Ratione Mysterii dicitur in omnibus festis Christi Domini, et Beatissimae Mariae Virginis, quippe quorum mysteria in eo explicite, vel implicite continentur. Ratione doctrinae Fidei, non tam susceptae, ac propugnatae, quam verbo vel scripto traditae, atque annunciatae, dicitur in festis Apostolorum, et Doctorum. Denique ratione celebritatis dicitur in festis Patronorum, et aliis locorum propriis, seu Ecclesiarum, ad quas inquit Gavantus, fit populi concursus. Quoad festa propria attinet, specialius definienda, qui nosse velit; ipsum Liturgicum Scriptorem adeat, ubi plura in hanc rem erudite disserit. Dicitur autem alta voce, ut omnes uti observat Durandus Lib. IV Cap. XXV illud dicant et addiscant; in Missa patenter dicitur, ad notandum quod hodie Fides Catholica libere praedicatur et docetur; in Prima vero sub silentio dicitur, ad notandum quod in primitiva Ecclesia, praesertim tempore Passionis Christi, praedicatores et fideles siluerunt; et in Completorio, ad notandum quod similiter in fine saeculorum, Antichiristi nempe persecutione invalescente, illorum ora claudentur. Romanus Ordo Symbolum ab universo Choro, ducto initio a voce

Patrem, cani vult. Concilium Mediolanense III praecipit, ut illud omnino Chorus sine organi adminiculo concinat. Liber qui *Agenda* Spirae dicitur, an. 1511 idem commendat, et Concilium Cameracense anno 1565 subdit non esse canendum cum musicis modis, nisi simplices sint, et sine repetionibus. Dominicanorum generalia Capitula Barcinone, Salmanticae, alibique habita praescripserunt, ut non modo totum a Choro Symbolum caneretur, sed nullo prorsus modo organum resonaret. Sacerdoti cum dicit *Credo* praescribit Rubrica, ut stet in medio Altaris, elevet, et extendat manus versus Crucem, qui se ad Deum erigit, cor, et mentem elevet, necesse est, et externa elevatio internae argumentum est. Eas iterum jungit dicens *in unum Deum*, et quidem ex antiquis Romanis Ordinibus, *Incipiat Credo, et cum dixerit Deum, jungat manus suas ad pectus, et prosequatur*. Ita ex *Ordine Romano* XVI pag. 299. Genuflectit ad verba *et Incarnatus est*, et genuflexione illa indicatur adoratio, quae Christo pro nobis homini facto, et Cruci affixo debetur, ut ait Honorius; est religiose instituta humilis flexio genuum in repraesentationem, ac venerationem illius eximiae humilitatis, qua *humiliavit, et exinanivit seipsum Filius Dei formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo*. Sacerdos se Cruce signat, postrema verba proferens, *et Vitam* etc. Rufinus memoriae prodit Christifideles omnes Saeculo IV Apostolicum Symbolum recitantes se, dum ei finem imponerent, in Crucis modum signare consuevisse, morem hunc Sacerdos in Missa retinuit.

CAPUT XVI.

DE OFFERTORIO, ET DE PRECE SUSCIPE SANCTE PATER.

I. Offertorium nomen suum ab eo traxit, quod fideles juxta veterem consuetudinem panem, et vinum, aliaque in Sacrificii, et Sacerdotum usum offerrent. Nihil usque ad Saeculum IV in hac oblatione recitabatur: sed in Ecclesia Carthaginensi a S. Augustini temporibus mos invaluit, ut interim versiculi ex Psalmis ca-

nerentur. Quis eam Antiphonam cantari instituerit, non liquet. Plerique a Gregorio Magno primo institutam, asserunt, quia in suo Antiphonario propriam singulis Missis assignavit. Sed jam vigebat in Africa haec consuetudo, uti discimus ex Augustino. Apud Gregorium singula Offertoria plures versus habent adjunctos, et quandoque integer Psalmus repetita post singulos versus Antiphona cantari solebat, ut toto illo tempore quo populus offerebat, psallentium Clericorum voces audirentur. Sicut olim in Veteri Testamento cum populus offerret holocausta, in voce, et tubis, et cymbalis laudes canebant Deo, ut ea nimirum modulatione, se hilari mente munera Deo offerre indicarent. Quando cessaverint populi oblationes in Missa, cani desiere crebrae illae Antiphonarum et versuum repetitiones antiquitus ad offertorium decantari solitae. Missa Defunctorum Offertorium habet in modum Responsorii compositum. In quo consideranda sunt verba: *Domine, libera animas omnium Fidelium Defunctorum de poenis inferni, de profundo lacu, de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum.* Quibus verbis Ecclesia nequaquam orat pro iis, qui perpetuis inferorum poenis addicti sunt; neque ignorat, nunquam futurum, ut Animae Purgatorii ad inferos dejiciantur; sicut etiam non obstat, quod II Machab. Cap. 12 legitur, fusas fuisse preces pro iis Haebreis, qui in praelio interfecti, deprehensi sunt habere donaria Idolis oblata, quod ex Deuteronomio Cap. VII lethale peccatum erat. Divus enim Thomas observat, eos donaria illa non falsa Religione, sed Iure belli tamquam praedam a victis abstulisse, quod veniale solum avaritiae peccatum dici potest, adeoque licuisse pro iis orare. Quidam contendunt, eam Antiphonam legi consuevisse, cum aegrotus animam jam jam emitteret, ac inde Ecclesiam in Missis, et funeribus mortuorum ea uti caepisse arbitrantur: retrahendo videlicet preces ad temporis punctum, quo animae corpus reliquerunt, eo prorsus modo, quo, etsi jam a multis saeculis Verbum Divinum carnem assumpserit, in Adventu dicit: *Rorate Caeli desuper*, et similia, retrahendo preces ad tempora Prophetarum, qui Incarnationem Salvatoris expectabant. Azorius, pro-

bat Ecclesiam in illo Offertorio poenas intelligere Purgatorii, et hoc appellare Infernum, cum uterque poenarum locus sit: sicque orare, ut liberentur *de profundo* etc., hoc est de carcere illo, ubi expiantur: ac petere, *ne absorbeat eas Tartarus* etc. idest, ne diutius in illo carcere detineantur. De eodem Offertorio plura disserit Sarnellius, et quidam Theologus Ordinis Servorum B. Mariae Virginis in Tractatu, quem 1570 Bononiae edidit.

II. Mos fuit in veteri Ecclesia, ut qui ad sacram Synaxim conveniebant panem, et vinum portarent, et offerrent. Iustinus, *Apologia* II; S. Iraeneus, Lib. IV *adversus Haereses* Cap. 34; S. Cyprianus, de *Opere*, et *Eleemosyna* nos docent persuasum semper fuisse fidelibus offerenda esse in Ecclesia, quae Sacrificio erant necessaria, praesertim vero panem, et vinum. Ritus autem priscus fuit ea dumtaxat offerre, quae Sacrificio usui erant, panem scilicet et vinum, reliqua super Altare offerri prohibet Can. III Apostolorum. Permittit autem offerri, et benedici oleum ad luminaria, et incensum, novasque spicas, et uvas, ex quibus fiunt panis, et vinum, quae sunt propria hujus Sacrificii elementa. Solebat enim populus in die Coenae Domini oleum offerri in ampullis ipsa die ab Episcopo consecrandum, ut ex Libro Sacramentorum S. Gregorii, et ex Ordine Romano constat. Cujus autem coloris vinum in Sacrificio adhibendum olim esse deberet, sive album, aut nigrum, sive rubeum, id pro certo affirmare non potest, cum alterutrum aeque apta materia pro Sacrificio fuerit, et sit; neque enim apud Sanctos Patres, aut alicujus antiquae Synodi Acta hoc perspicue definitum est. Porro Oblatio, quae olim in Missa fiebat, duplex erat, nam alia in usum Sacrificii, alia in sacrorum Ministrorum commodum offerebantur; quibus cum primis Ecclesiae Saeculis nulli essent fixi reditus, pii fideles omnia illis ad victum necessaria supppeditabant, immo posteris temporibus quaecumque Ecclesiis, earumque Ministris, aut Monasteriis donabantur, hujusmodi donationes per chartam ad Altare ponebantur, cujus rei innumera propemodum extant apud Veteres exempla, quae passim exhibent antiqua Ecclesiarum Tabularia.

Hinc postea statutum est, ut illa quae in Cleri commodum cedebant, aut ante Missam, aut saltem ante Evangelium, quae vero ad Sacrificii usum, ad Offertorium proferebantur. Perduravit hujusce oblationis observantia usque ad nonum Fidei Christianae Saeculum. Qualiscumque autem fuerit causa hujus veteris, circa offerendi rationem, intermissae disciplinae, ejusdem etiam antiquae Oblationis vestigia, visuntur in Missa solemni Papali, cum scilicet Summus Pontifex celebrat omnibus insiervientibus Ministris tam ordinariis, quam peculiaribus, Cardinalibus insuper, et Episcopis assistentibus, praesertim in Canonizatione Sanctorum. Item in Missa Pontificali Consecrationis Episcopi, ac denique in Metropolitana Ecclesia Mediolanensi, cum illius Archiepiscopus solemniter ritu Ambrosiano celebrat. Lugduni Quadragesimalibus feriis tertiam Dominicae primae feriam, in Primatiali Ecclesia Sacerdotes duo qui primas tenent panem et vinum offerunt, quae consecrationi deserviunt.

III. Panis qui Patenae imponitur, dicitur Hostia, nempe *victima,* utpote mutandus in Christi Corpus, qui Sacrificii Hostia, et victima est. Ad figuram Hostiae quod attinet, quadrata Graeci utuntur, in cujus medio, et angulis sigillum imprimunt, in quo sunt litterae, quae lemma hoc: *Iesus Christus vincit,* exprimunt. Armeni, quadrata relicta, rotundam adhibent. Et haec quidem apud nos vetustissima est, ut ex Decreto S. Zephirini Papae colligitur, qui Saeculo III vixit, ubi Hostiam appellat coronam, sive oblatam sphericae figurae. S. Epiphanius Oblatas rotundas fuisse docet in *Ancorato* Lib. IV Cap. 4. Hoc item conspicitur in figura antiquissima panum pro Sacrificio, quae in celebri Sancti Callisti Coemeterio olim fuit picto; in illis enim panibus, sicut etiam aliae ejusdem aetatis picturae demonstrant, rotunditas oculis subiicitur. De sensu vero mystico figurae rotundae ita habet Durandus in *Rationali* Lib. IV Cap. 3 n. 8: *Hostia* inquit, *formatur rotunda; quia Domini est terra, et plenitudo ejus Orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.* Et paulo post: *Panis formatur in modum denarii; tum quia panis vitae pro denariis traditus est, tum quia idem denarius*

in vinea laborantibus in praemium dandus est. Et Lib. IV Cap. 30 dicens: *quod sic Hostia efformatur, ut significetur Christus qui est Alpha et Omega, Dominus Orbis et in rotunditate Hostiae Sacrificii nostri perpetuitas usque ad finem mundi.* Utraque Ecclesia tum Occidentalis tum Orientalis semper consuevit Crucem, vel Crucifixi imaginem Hostiis imprimere, uti ostendunt Goar, et Philippus Buonarroti. Hostiam Patenae impositam Sacerdos elatam tenet, attollitque ad coelum oculos, ut eam Deo offerat. In Oratione *Suscipe Sancte Pater* Sacerdos vocat Hostiam, quae est super Patenam, etsi nondum consecrata sit, *Immaculatam Hostiam.* At non est, quod quispiam miretur; Hostiam quippe dicimus *immaculatam* non relate ad substantiam panis, sed per relationem ad *Corpus Christi,* quod vi futurae consecrationis erit sub ipsius panis specie. Hinc *immaculata* dicitur non ob hoc, quod paulo post futura est, ut advertit Bona Lib. II Cap. 9 num. 3 et Pouget. Oblatio peragitur a Sacerdote, qui se indignum semper famulum profiteri debet, quia scilicet longe maximum infinitumque intervallum inter ipsum, et victimam intercedit. Offertur Deo qui vitae fons est, cui uni Sacrificium debetur, quippe qui unus Deus vivus est, ut loquitur Daniel *Non colo* Cap. XIV v. 4 *Idola manufacta, sed viventem Deum qui creavit Coelum.* Offert Sacerdos primo loco, ut suorum ipsius peccatorum veniam obtineat, quorum tam ingens est numerus, ut percipi nequeat; siquidem, ut monet S. Iacobus, in *multis offendimus omnes.* Id potissimum in Sacrificio offerendo propositum nobis est, ut per illud a peccatis purgati salutem et aeternam vitam obtineamus. In fine Orationis utraque manu tenens Patenam facit cum ea signum Crucis super Corporale, deponendo Hostiam super Corporale. In oblatione docet Innocentius, signum Crucis fieri, ut per virtutem Crucis omnis conatus Diaboli effugiat, ne contra Sacerdotem vel Sacrificium aliquo modo praevaleat; vel, ut advertunt Honorius Lib. I Cap. 96; et Durandus Lib. I Cap. 30 signum illud Crucis fit ad significandum, Hostiam poni super Crucem, ubi Christus Iesus Aeterno Patri seipsum obtulit, ut nos a peccato redimeret.

CAPUT XVII.

DE VINI ET AQUAE IN CALICE MIXTIONE, DE ORATIONE DUM AQUA IN CALICE PONITUR, ET DE CALICIS OBLATIONE.

I. Pane autem oblato ponit Sacerdos vinum in Calice, et aquam miscet, idque ex Christi institutione, ut antiquae Liturgiae Iacobi, Marci, Basilii, et Ioannis Chrysostomi testantur, dicentes Christum postquam coenavit accepisse Calicem, et vino aquam miscuisse. Longam de hoc argumento Epistolam scripsit ad Coecilium Cyprianus, quam laudat Augustinus Lib. IV *de Doctrina Christiana* Cap. 21 hoc Domini praeceptum esse affirmans. Iustinus Martyr *Apologia* II loquens de Eucharistia panem, vinum, et aquam offerri ait, Ambrosius Lib. V de *Sacramentis* Cap. I aquam vino misceri docet, tum quia Christus petra est, quam illa praefiguravit, ex qua Moyses aquam eduxit (*tangit* ergo, inquit, *Sacerdos Calicem redundat aqua in Calicem salit in vitam aeternam, et bibit populus Dei, qui Dei gratiam consecutus est*): tum quia ex latere Christi sanguis, et aqua fluxerunt. Augustinus in Sermone ad Neophytos: *Hoc accipite* inquit, *in pane, quod pependit in Cruce: hoc accipite in Calice, qua manavit de Christi latere*. Theodulphus item Aurelianensis duplicem ejusdem mixtionis causam agnoscit in Libello de *Ordine Baptismi*, quem edidit Menardus *in notis ad Librum Sacramentorum* Cap. 18 sive quia de latere Domini aqua cum sanguine fluxit: vel quia per vinum Christus, per aquam populus significatur. Istis addiici possunt Theophylactus, in Ioannis Caput 19; Theodoretus, Dialogo I; Gregorius Nyssenus, *Oratione* Catech. Cap. 37; Damascenus, Lib. IV Cap. 14 aliique. Idem definitum fuit in Concilio III Carthaginensi Can. 24 *Ut in Sacramentis Corporis, et Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est panis, et vinum aqua mixtum*. Concilium quoque Aurelianense IV Can. 4, Concilium Antissiodorense Can. 8, Wormatiense Can. 4, Tribunense Can. 19, vinum aqua mixtum offerri decreverunt.

II. Communis Theologorum sententia est inquit Cardinalis Laurentius Cozza in *Commentariis ad Librum S. Augustini de* Haeresibus Part. 2 seu Tomo II Cap. 3 num. 151 vinum in Sacrificio necessarium esse necessitate Sacramenti, mixtionem vero cum aqua necessitate praecepti, adeo ut sola aqua non habeatur Sacramentum, posse tamen haberi solo vino absque aquae mixtione. Praeterea sive miscendo sit aqua vino in Calice, quia sic fecerit Dominus, sive quia de latere ejus in Cruce pendentis exivit sanguis et aqua, sive ad significandam adunationem populi cum Christo, utcumque se habeat causa, id pro certo constantissimum esse, ex perpetua Ecclesiae traditione ab ipsis Apostolis ad haec usque postrema tempora, tum apud Graecos, quam Latinos hanc semper ab Orthodoxis observatam fuisse ac religiose custoditam disciplinam, in Sacrificio Missae offerri in Calice vinum aqua mixtum. Ad rem audiatur Sacrosanctum Concilium Tridentinum Sess. 22 de *Sacrificio Missae*, Cap. 7: *Monet deinde sancta Synodus, praeceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miscerent; tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit: quod Sacramentum hac mixtione recolitur: et cum aquae in Apocalypsi B. Ioannis populi dicantur. ipsius populi fidelis, cum Capite Christo unio repraesentatur.* Hanc doctrinam multis annis ante Concilium Tridentinum ex traditione hauserat, et haustam tradiderat Sanctus Thomas: sic enim loquitur in 4 Dist. 11 q. 2 a 4 in solutione quaest. 1 in Corpore: *Respondeo dicendum* inquit, *ad primam quaestionem quod aqua debet apponi vino propter institutionem, quia Dominus apposuisse probabiliter creditur ex more illius patriae: quia vinum ibi sine aqua nunquam bibitur propter vini fortitudinem; quamvis de aqua in Evangelio mentio non fiat, quia non est principalis materia in hoc Sacramento: sed ejus appositio competit huic Sacramento et quantum ad repraesentationem Passionis Christi, et quantum ad significationem rei hujus Sacramenti, quae est Corpus mysticum per aquam significatum: quia aquae multae populi multi Apoc.* 17 *et sic appositio aquae ad vinum*

significat unionem membrorum ad caput ratione ipsius conjuctionis et amorem capitis patientis pro membris ad ipsa, ex hoc quod ex duobus conjuctim, unum efficitur; et processum Redemptionis a capite ad membra ex ipsa transformatione aquae ad vinum. Graeci bis aquam miscent, semel frigidam, cum in Prothesi sancta dona praeparant, pungente Sacerdote panem sancta lancea et dicente: *unus militum lancea latus ejus aperuit, statimque exivit sanguis, et aqua:* et Diacono infundente vinum, et aquam. Deinde calidam post consecrationem, immediate ante Communionem petente Diacono a Sacerdote, ut aquam fervidam benedicat, illo vero benedicente his verbis: *Benedictus fervor Sanctorum tuorum jugiter, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.* Tum Diaconus infundit in Calicem dicens: *fervor fidei plenus Spiritu Sancto. Amen.* Rationem reddunt hujus secundae mixtionis Scriptores Graeci apud Goar in *notis ad Missam Chrysostomi num.* 167 et apud Arcudium Lib. III *suae Concordiae* Cap. 39. Simeon Thessalonicensis Libro de *Templo* in *Bibliotheca* PP. Tom. XXII.

III. Romano ritu, dum aqua miscetur vino dicitur Oratio *Deus qui humanae substantiae.* Apud nonnullas Ecclesias haec actio cum silentio peragebatur. Haec porro memorata Oratio legitur in Sacramentariis Gelasiano, et Gregoriano, in Missalibus, quae aliquam praeferant antiquitatem, desideratur haec Oratio, pro qua dicebatur in pluribus Ecclesiis: *Exivit de latere Christi* etc. Antiqua Carthusiensium Statuta Parte I Cap. 43 Diacono fundente aquam in Calicem, dicit Sacerdos: *De latere Domini exivit sanguis et aqua in remissionem peccatorum.* Missale Lugdunense anno 1620, quando Sacerdos ponit vinum in Calicem dicat: *De latere D. N. Iesu Christi exivit sanguis;* ponendo aquam in vinum dicat: *Et aqua pro Redemptione Mundi.* Ambrosiani dicunt: *de latere Christi exivit sanguis et aqua pariter in nomine Patris* etc. Ex quibus, aliisque plenissime constat utramque Ecclesiam Latinam et Graecam in mixtione aquae cum vino in Calice Sanguinem, et aquam e Christi latere fluxisse commemorare. In Oratione, quae juxta Romanum ritum dicitur, sunt di-

gna, quae notentur ea verba: *Da nobis per hujus aquae et vini mysterium ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps Iesus Christus Filius tuus Dominus noster.* Mysterii nomine uti observat Le Brun occulta res, aut secretum signum venit; quare cum Ecclesia a primis usque Saeculis aquam in Calicem cum vino mixtam tamquam unionis populi fidelis cum Christo occultam figuram spectare consueverit, orationi proinde, de qua loquimur, haec verba inseruit, quae ex quadam Missalis Ambrosiani Collecta, et ex Sacramentario Gelasiano pro Dominici Natalis Officio deprompta sunt. Rogat ergo, ut hoc mixtionis aquae cum vino mysterium, per unionem quam exhibet, perficiatur. Ejus Divinitatis esse consortes. Excerpta sunt verba haec ex Secunda S. Petri Epistola, in qua dicitur Deus nobis quicquid magni et pretiosi promisit, per Christum conferre, ut Divinae naturae participes nos ipsos efficiat. Praeterea fideles in Divinitatis partem veniunt potiore jure per Sanctissimam Eucharistiam, donum omnium pretiosissimum, maximumque, cujus vi cum sacra Christi carne in communionem venientes, cum Deo ipso communione donantur. Cum aqua apponatur mysterii causa, vel minima gutta sufficiens est. Hinc in Liturgia Iacobi *parum aquae* infundendum dicitur. Concilium tamen Triburiense anno 895 celebratum Canone 19 praescripsit: *ut duae partes sint vini, tertia vero aquae, quia major est majestas Sanguinis Domini, quam fragilitas populi, qui per aquam designatur, juxta illud populi multi aquae multae.* Caeterum in antiquo Ordine Romano apud Mabillonium, ubi de Missa a Summo Pontifice celebrata, habetur: *Post aquae benedictionem ponit cum cochleari tres guttas aquae.* Communis autem ritus celebrandi Missam § 7 num. 4 praecipit Sacerdoti, ut *parum aquae infundat in Calicem*, et num. 9 de Subdiacono in Missa solemni ministrante: *infundit* (inquit) *paululum aquae in Calicem.* Ita et Catechismus Romanus part. 2 Cap. 4 de Sacramento Eucharistiae num. 15 monet *modicam infundendam esse.* Usus autem aquam benedicendi hinc fuit, quod alias in Crucis formam aqua infundebatur in Calicem juxta

antiquum Ordinem Romanum : *Archidiaconus faciens Crucem in Calice infundit.* Ritu Mozarabico Minister aquam offert Celebranti benedicendam dicens : *Iube Domne benedicere:* Respondesque Celebrans: *Ab illo benedicatur, cujus Spiritus super aquas ferebatur, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Signum Crucis, quod fit nunc super aquam, super vinum, et aquam olim fiebat, quum nempe utrumque una infundebantur in Calicem, vel paulo post. Ideoque signum Crucis factum , quia super aquam, et vinum, dicebatur *in nomine Patris,* etc. Quibus verbis sublatis, translatum est Crucis signum ad ea verba : *Per hujus aquae, et vini mysterium.* Ex quo vinum significet Christum, vinum infundendum in Calicem non benedicitur; Christus enim nulla benedictione indiget. Aqua significans populum benedicitur ; populus enim in hac vita , cum non sit purus ab omni peccato , indiget benedictione , ut advertit Durandus. Nulla pariter fit aquae benedictio in Missis Defunctorum, vel quia benedictio denotat solemnitatem, et sicuti in fine hujus Missae non benedicitur populus, ita nec aqua eumdem populum significans; vel quia hoc loco aqua significat populum Purgatorii, qui iam est in gratia , ut advertit Gavantus.

IV. Aqua in Calicem infusa, dictaque Oratione conveniente, Sacerdos dextera manu apprehendit Calicem, eumque sublatum tenens stans in medio Altari elevatis in coelum oculis dicit : *Offerimus tibi Domine,* legitur Oratio in Missali Mozarabico, in Missa Illyrici, in Sacramentario Trevirensi Saeculi X. Sacerdos Calicem Deo offert dicens : *Offerimus tibi Domine Calicem Salutaris etc.* cumque in panis oblatione singulariter dixerit *Suscipe,* hic pluraliter ait *Offerimus*, quia nimirum Romano Ritu eandem Orationem simul cum Sacerdote in Missa solemni recitat Diaconus , qui antea vinum in Calici infundit, et olim Sanguinem populo ministrabat. Neque obstat, quod privatae Missae sine Diacono celebrantur , et nihilominus Sacerdos dicit *Offerimus* , quia formulae pro solemni Missa institutae in privata non mutantur. Et quia Catechumeni in Festis Paschatis, et Pentecostes baptizari solebant, adhuc per Octavam utriusque festivitatis etiam nunc pro illis ad-

dimus haec verba: *quae tibi offerimus pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua, etc.* Orat Sacerdos in ipsa Oblatione ut Calix oblatus *in conspectu Divinae Majestatis cum odore suavitatis ascendat:* Cum illo scilicet mystico odore, qui ex ipso Calice, cum consecratus fuerit, suavissime expirat. In oblatione Hostiae primo elevet ad Coelum oculos Sacerdos, et statim demittat, in oblatione vero Calicis totam dicat Orationem oculis in coelum elevatis, et ratio est uti observat Macri in suo *Hierolexico* verbo *Offertorium: Cum Sacrificium*, inquit, *sit actus latriae soli Divinitati debitae, et oculus sit symbolum rectae intentionis, debet primo oculos levare in coelum, ut indicet se intendere debitum cultum Deo dare. Statim vero demittit, quia nominat seipsum: ipse autem tamquam peccator indignus tenetur imitari publicanum, non oculos levare in coelum. In Calicis vero oblatione semper Crucifixum aspicit, quia tunc mentio fit suavissimi odoris pretiosissimi Christi Sanguinis.* In Oratione uti animadvertit Bellarminus Lib. VI *de Missa* Cap. 17 non dici *Calicem Salutarem, sed Calicem salutaris*, idest Calicem Christi, qui instituit, ut Calix ille offerretur, et consecraretur, potest etiam sine absurdo *Calicem salutarem* appellari, id videlicet referendo ad futuram consecrationem. Post hanc Orationem collocat Sacerdos Calicem in Altari, Hostia ante Calicem constituta. At in hoc Graeci differunt a Latinis, non enim in longum coram se, sed in transversum panem, et vinum ordinant: qui mos etiam a Latinis diu observatus est. Ponebatur olim Calix juxta Hostiam, ut exprimeretur nimirum e Christi latere Sanguinem, et aquam profluxisse.

CAPUT XVIII.

DE THURIS POST OBLATIONEM IN MISSIS SOLEMNIBUS INCENSATIONE.

I. Missalis Rubrica hoc loco Thuris benedictionem extendit, cujus explicationem suscipimus una cum omnibus Caeremoniis, et orationibus quae Thuris ipsius incensationem comitantur. In Graecis omnibus Liturgiis

de Thure oblationibus adolendo sermo est. S. Ioannis Chrysostomi Liturgia in *Euchologio* pag. 73, notat Sacerdotem, caeterosque Altaris Ministros post Evangelium Processionis ordine se ad parvum Altare conferre, quod *Prothesis* dicitur, ubi sunt panes ad consecrationem designati. Iis Diaconus thus adolet, et sumptos in magna ponit Patena, quam capiti impositam defert, et ad Sanctuarium ingreditur, tum Sacerdos oblata sumit, quibus super Altari posita thus adolet, eodemque velo tegit inquiens: *Postquam Ioseph immaculatum Corpus tuum e Cruce deposuit, illud cum aromatibus Sindone involvit, et in sepulchro posuit*. In Ecclesia Latina postquam Celebrans precem *Veni Sanctificator*, absolvit, ei Diaconus naviculam offert, ut incensum in Thuribulo ponat, eidemque dicit: *Benedicite*, *Reverende Pater*. Vox Pater primum quidem Episcopis, Ecclesiaeque Doctoribus tributa fuit; atque hinc Ecclesiae Patres, Conciliorum Patres dici consuevit. Iam Saeculo V titulus hic latius patere coepit et Religiosarum Comunitatum Antesignanis, tum etiam Parochis, Curatisque qui Paroeciae spirituales Patres sunt; quemadmodum etiam qui baptizant, universim vero qui sunt a confessionibus, hoc titulo insigniti fuere; tandem a Saeculo XII Religiosos omnes populus Patres appellat. Nomen *Reverendus*, et *Reverentia* prioribus V Saeculis Episcopis majoribus tribuebatur; adeoque Saeculo IX duplex hic titulus insignem aliquem et singularem gradum significabat, ut ex Ioannis VIII Litteris, et Auctoribus compluribus licet intelligi. Sensim id nominis ad insignium Monasteriorum Antistites transiit; et S. Bernardus Reverendissimum vocat Petrum Abbatem Venerabilem Cluniacensem. Inter Carthusianos magnae Carthusiae Prior qui Ordinis supremus Moderator, seu Generalis est, Reverendus Pater simpliciter nuncupatur, Celebrans quoque spectatus ut Caput, ut Sancta Mysteria celebrantur, Reverendus Pater appellaretur. Dicitur *Benedicite*, multitudinis numero. Notum jam et perspectum est cum ad unum tantum sermo esset, in Latina lingua multitudinis numerum adhibitum non fuisse, ipsique Imperatori dici consuevisse, *tu Caesar*. S. Hieronymus semper dicit *tua Beatitudo, tua San-*

ctitas, Epistola V ad Damasum Papam scribens. At S. Gregorius Magnus multitudinis numero cum iis utitur, quos honore prosequi vult. Hac mente ad majores Episcopus scribit: *Reverentia vestra, Sanctitas vestra*.

II. Sacerdos cum thus ponit in Thuribulo sequentem Orationem dicit: *Per intercessionem Beati Michaelis Archangeli stantis a dextris Altaris incensi, et omnium Electorum suorum incensum istud dignetur Dominus benedicere, et in odorem suavitatis accipere. Per Christum*. Archangelus cujus intercessio invocatur, Michael dicitur; in Illyrici tamen Missa sub anno 900 in Tilletiana quoque, et Sagiensi Saeculi IX Gabriel nominatur. Extra omnem dubitationis aleam positum est Angelum qui Zachariae apparens ad Altaris incensi partem dexteram in Sacris Litteris exhibetur, Angelum Gabrielem esse; ejus enim haec sunt ad Zachariam ipsum verba *Ego sum Gabriel, qui Deo semper adsto* uti legitur apud Divum Lucam Cap. IX. Verum his non obstantibus, cum Divus Michael Archangelorum primus sit, seu Angelicae Militiae Coryphaeus. Praepositus Paradisi, qui et Ecclesiae Princeps; eum quippe, ut olim Synagoga Iudaeorum, sic nunc custodem et patronum Dei veneratur Ecclesia, ut ipsa in Lectionibus de illius Apparitione ad diem VIII Maii expresse fatetur, ac Deus Optimus Maximus eidem Caelestis exercitus Primati totius Ecclesiae curam demandaverit, illique propterea ubi primario supernae Curiae Ministro sua Decreta manifestet, ut aliis exequenda intimet, unde inquit Gregorius Ferrarius in Apocal. Cap. VII Tom. II pag. 138: *de Michaele hoc dicitur: quia in omni Ecclesiae spirituali nocte, indigentia scilicet, aut necessitate, ipse opportune exurgit quasi sol, adhibens erga illam specialem curam, excitans, adjuvansque caeteros Angelos, et Archangelos curae hominum praepositos ad ea, quae facto opus sunt*. Hinc bonus ipse ordo postulat, dignumque, et justum est, ut ad Michaelem prae caeteris principaliter, tamquam praecipuum Curatorem suum in omnibus angustiis et afflictionibus recurrat Ecclesia. Confirmantur haec ex iis, quae apud Danielem habemus Cap. XII ibi enim sic dicitur: *In tem-*

pore autem illo consurget Michael Princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui: quibus verbis clare dignoscitur praenuntiatum praesens potentissimum S. Michaelis Archangeli patrocinium, et adjutorium erga Ecclesiam Dei Catholicam in terris militantem ab ipso praestitum. Accedit, ac pressius urget, quod in Missis Defunctorum eadem Sancta Mater Ecclesia sic pro illis Deum rogat ad Offertorium: *Libera animas omnium Fidelium Defunctorum de poenis inferni . . . . . sed Signifer Sanctus Michael repraesentet eas in lucem sanctam.* Iure ergo, et ipsa pariter poterit Dominus exorare ut per intercessionem ejusdem S. Michaelis dignetur incensum benedicere, et in odorem suavitatis accipere. Per crucis signum super thure Sacerdos petit, ut illud benedicatur, et evadens Deo chara res, eidemque Sacra; quod ut totius, certiusque contingat, Crux efformatur; quod nempe ad beneficia obtinenda consuetum nobis perfugium est. Neque vero id unum petimus, ut a Deo thus accipiatur, sed praeterea ut illud Deus tanquam suavis odoris suffimentum suscipiat, cujus rei causa subsequentibus verbis affertur, quae dum Oblationi thus adolet, Sacerdos recitat: *Incensum istud a te benedictum ascendat ad te, Domine, et descendat super nos misericordia tua.* Sacerdos postquam Oblationi thus adolevit, Altari quoque illud adolet, nobis innuens, cujusmodi preces nostrae esse debeant, dum scilicet thus adolens, Psalmi CXL subsequentes versiculos recitat: *Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo* etc.

CAPUT XIX.

DE PRECE *IN SPIRITU HUMILITATIS*, *VENI SANCTIFICATOR*, DE *ABLUTIONE MANUUM*, ET DE ORATIONE *SUSCIPE SANCTA TRINITAS*.

I. Sacerdos iunctis super Altare manibus, pronus corpore, dicit tam suo quam populi nomine sequentem Orationem e Scripturis petitam: *In spiritu humilitatis, et in animo contrito suscipiamur a te, Domine, et sic fiat Sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut pla-*

ceat tibi, Domine Deus. Precem hanc exhibet Missale Mozarabicum, Sacramentarium Albiense Saeculi XI Missale 1020 scriptum ad usum Dominae Nostrae, et S. Servasti Aquisgrani. Sacerdotibus proinde Ecclesia recitanda proponit trium puerorum Babylone captivonem verba, qui ardentem fornacem spectantes in quam, quod Idolum adorare noluissent, injiciendi erant, summa animi alacritate se Deo quem adorabant, in holocaustum obtulerunt; ita quippe laetitia gestientes Deum exorabant. In *animo contrito* Dan. Cap. 39 40 et spiritu *humilitatis suscipiamur, et sicut in holocausto arietum, et taurorum, et sicut in millibus agnorum pinquium; sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, quoniam non est confusio confidentibus in te, et nunc sequimur te in toto corde, et timemus te, et quaerimus faciem tuam.* Hoc sane spiritu ad humilitatem composito, et contrito corde, quo pueri Deum obsecrabant, ut eorum vitae sacrificium susciperet, quod ei in fornacis igne offerebant, monemur, ut et ipsi eadem spiritus humilitate, et cordis contritione nos offeramus, quod scilicet vere ac proprie dictum sacrificium est, quod a Deo quaeritur, prout loquitur David: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum, et humiliatum, Deus, non despicies.* Sacerdos erectus consistens extendit et extollit manus, et eas deinde jungit ad pectus; oculos erigit, statimque demittit, dicens: *Veni Sanctificator.* Dum dicit *benedic* manu dextera Crucis signum edit super Calice et Hostia, sinistram super Altari tenens. Manus extendit, ad coelum attollit, et iungit, ut ita significet se subsidium ex alto invocare. Oculos erigit qui fere manus motum sequuntur; qua in re Christum Dominum imitatur, qui Patris Omnipotentiam invocans, oculos ad Coelum extulit. Demittit deinde oculos, et manus super Oblationem quae benedicenda est, et manu dextera Crucis signum edit, dicens: *Benedic*, ut ostendat se Crucis vi benedictionem sperare quam petit. Invocatio haec, monente Micrologo, ex veteri Gallicano Missali deprompta est; extat ipsa in VI Romano Ordine; et occurrit in Mozarabico Hispaniarum Ecclesiarum Missali. Haec Oratio dirigitur ad Spiritum San-

ctum, ut veniat, et praeparatum Sacrificium benedicat: Ex multorum Missalium editione dicitur prorsus integrum, *Veni Sancte Spiritus, reple, aut Veni Creator*. Missale Narbonense invocationem hanc retinuit: *Descendat, quaesumus Domine, Spiritus Sanctus tuus super hoc Altare, qui haec munera tuae Majestati oblata benedicendo, et sanctificando sanctificet, et sumentium corda dignanter emundet. Per Dominum*. Et in Missali Mozarabico semper dictum est: *Veni Sancte Spiritus Sanctificator*. Mos invocandi Spiritum Sanctum ad sanctificandam oblationem fuit antiquissimus in Ecclesia Africana, ut constat ex Sancto Fulgentio. Veteres omnes tum Graecae, tum Latinae Ecclesiae Liturgiae, in eumdem modum loquuntur. Spiritus Sanctus invocatur, ut Sacrificium benedicat, scilicet ut oblationes sanctificet, suae omnipotentis gratiae effusione easdem immutans. Colitur ut Omnipotens, cum id non obtineri non aliunde quam ex omnipotentia possit, quae aeque Spiritui Sancto, ac Patri, et Filio convenit.

II. Sacerdos junctis manibus progreditur ad Epistolae latus, ut manus lavet, ad locum scilicet, in quo aqua servatur, et ubi olim lavacrum erat, hoc est exscavatus lapis ad retinendam aquam, et emittendam accomodatus. Romanus Ordo VI pag. 74 notat Episcopum sedere, et Acolythos duos flexis genibus extentum pannum lineum ad ejus gremium tenere, ne aqua Casulam aspergat, mediumque Acolythum alium flexis itidem genibus aquam effundere. Ablutio haec non sine mysterio inducta fuit. *Ablutio haec* inquit Auctor *Ecclesiasticae Hierarchiae* Cap. 73 *non ideo fit, ut corporis sordes tollantur, quae jam sublatae sunt, sed ut palam fiat, animum a levissima quaque macula purgandum esse; adeoque Sacerdos extremam ipsam digitorum partem, non omnino manus lavat*. Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi Mystagogica* hanc rationem affert: *Aquam a Diacono allatam vidistis, qua Sacerdos qui officio fungebatur, et Sacerdotes caeteri qui Altare circum stabant, sibi manus abluerent; idne ad corporis munditiam factum putatis. Minime vero; at haec manuum ablutio nobis innuit oportere, ut nos ab omni peccato puros exhibeamus; cum enim per manus

significantur opera, *unum idemque est*, *manus lavare*, *atque opera nostra purgare*. Rem hanc totam paucis Constitutiones Apostolicae Lib VII Cap. II complectuntur. *Aqua quae hoc tempore in Sacerdotis manus effunditur*, *ut se abluat*, *puritatem designat quae Deo sacrum animum decet*. Ablutio in *extremitatibus* fit, ad significandam emundationem etiam a minimis peccatis, ut observat Sanctus Thomas. In ipsa manuum ablutione recitatur Psalmus *Lavabo*, qui quidem in hanc rem perbelle cadit. In aliquibus Ecclesiis tantum aliquot ejus versiculi dicebantur; at Missale Romanum quod eum totum praescribit, cum Liturgiis consentit, Sanctorum scilicet Chrysostomi, et Basilii, in quibus praecipitur, ut is integer recitetur a primo versiculo *Lavabo* ad finem usque. Psalmo finem imponit versiculo *Gloria Patri* quod in quovis alio Psalmo fit; qui tamen versiculus in Missis pro Defunctis, et de Passione omittitur; cum enim hymnus, cantusque sit ad gloriam exhibendam, laetitiamque significandam institutus, ad luctus argumenta non congruit. Quaerit Le Brun, quomodo Sacerdos dicat *Ego autem in innocentia mea ingressus sum*, siquidem hoc a Christiana humilitate videtur alienum. Verum statim sibi ipsi respondens subjungit. Sacerdotem simul fateri, sibi opus esse Redemptoris manu, et misericordia *redime me*, *et miserere mei*, neque timore peccandi carere, nisi Deus praesto sit: *Ne perdas cum impiis* quibus Christiana continetur humilitas.

III. Lotis manibus, Sacerdos ad medium Altare manibus junctis redit, ubi paullulum inclinatus dicit Orationem *Suscipe Sancta Trinitas*. Porro manus junctae, et Corporis inclinationis Sacerdotis humilitatem juxta S. Thomam exprimunt, et Iesu Christi obedientiam nobis commemorant. Quam vetus sit haec Oratio, definire nou possumus. Micrologus, qui XI saeculo vixerat, scribit eam consuetudinem introductam fuisse. Verum cum sensus, et medulla illius orationis jam in Graecis Liturgiis, et in Missalibus, ac Sacramentariis Micrologo antiquioribus reperiatur, censendum est, eam XI Saeculo fuisse vetustiorem. Apud Fratres Praedicatores contractior paullulum, et apud Carthusianos pe-

nitus extra usum est; quod ultimum indicat, eam Saeculo XI in Ecclesia Gratianopolitana, unde idem Ordo Missale accepit, necdum fuisse adhibitam. Olim Gallicana Ecclesia non offerebat disjunctim panem et vinum, sed utrumque simul ad Orationem. *Suscipe Sancta Trinitas,* quod etiam nunc apud Fratres Praedicatores, et Carmelitas obtinet. Hodiernus tamen ritus antiquissimus est, ut ex Liturgia Ambrosiana patet. Quidam denique existimant, hanc Orationem antiquitus a populo, cum panem consecrandum offerret, recitatam fuisse; et hoc more sublato Sacerdotem eam nomine populi dicere. In eadem Oratione mentio fit de Passione, Resurrectione, et Ascensione Iesu Christi, ut totum ejus exprimatur Sacrificium. Porro in Sacrificiis Iudaicis victima eligebatur; offerebatur; sacrificabatur sanguine circum Altare sparso; incendebatur, ut quidquid vitii ei inesset, absumeretur; ac demum populus partem victimae comedebat. Et in Lege Nova in Incarnatione Victima, idest humana Christi natura, electa: in Nativitate oblata; in Cruce, effuso sanguine, sacrificata; in Resurrectione, omni corruptibilitate sublata, consumpta in Ascensione victima absumpta in Coelum, a Deo suscepta est in odorem suavitatis, et ad dexteram Dei collocata. Demum communicavit populus victimae, aliquatenus ipso Pentecostes die. Tunc enim Iesu Christi Discipuli incorporati sunt Christo, facti participes illius Spiritus, Christoque adhaeserunt velut membra capiti, ut centies docet Apostolus in suis Epistolis. Ut isthaec omnia facilius obversarentur animo, in hunc modum olim concepta erat plerisque in Galliarum Ecclesiis quam nunc explicamus orationem: *Suscipe, Sancta, Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis Iesu Christi Domini nostri, et adventus Spiritus Sancti* etc. Etiam Ecclesia Graeca in hac Oratione Incarnationem, Nativitatem, Passionem, Resurrectionem, Ascensionem, et Spiritus Sancti adventum memorat; Romana vero Ecclesia solum Passionem, Resurrectionem, et Ascentionem; quod in tribus hisce Mysteriis, tam immolatio, quam consumptio Victimae optime repraesentetur.

CAPUT XX.

DE MONITIONE : *ORATE FRATRES*, *ET DE SECRETIS ORATIONIBUS.*

I. Oratione, *Suscipe Sancta Trinitas*, ad finem perducta, Sacerdos osculatur Altare, se ad populum vertit, manus extendit, et iterum jungit, et dicit: *Orate Fratres*, ut adstantes gestu, ac voce ad meditationem excitet, suosque *Fratres* adstantes nuncupat. Hoc eos nomine S. Cyprianus *de Oratione Dominica* post Apostolum appellabat. Atque ita ab Ecclesiae exordio fideles se mutuo vocabant: *universi vos et singuli fratres estis*, inquit Arnobius *ex eodem patre Christo, eademque matre Ecclesia nati.* Prosequitur secreto: *ut meum, ac vestrum Sacrificium acceptabile sit apud Deum Patrem Omnipotentem.* Olim Sacerdos id unum dicebat: *Orate,* vel, *Orate pro me peccatore.* In Usibus Cisterciensibus tantum legitur: *Orate, fratres, pro me peccatore ad Dominum Deum nostrum.* In Codice Tiliano haec postulatio sic exprimitur: *Orate pro me peccatore fratres, et sorores, ut meum, et vestrum Sacrificium acceptum fiat Domino Deo omnipotenti ante conspectum suum.* Graeci quoque Sacerdotes pro se in sua Liturgia Populi Orationes poscunt, ut notat Goar ad Missam Chrysostomi. Sacerdos dicit *meum ac vestrum Sacrificium* quia iuxta veterem Ecclesiae morem omnes offerrent, ad Altare Dei panem et vinum, quae Sacrificio inserviebant. Propter oblationem hujusmodi Sacrificium ad adstantes aliquo modo pertinet. Nec est, quod nunc dicta oblatio materiae cessarit; nam si nunc non fit immediate panis et vini oblatio, fit mediate cum fideles vel stipem, seu eleemosynam conferant. Dictam Orationem *Orate Fratres* a Radulpho asseritur fuisse institutam a S. Leone I. Gavantus putat de ea ante Leonem mentionem fecisse Soterum. At hujus invitationis praecipua causa quae adhuc obtinet, ea est, quo propius tamen Sacrificii tempus est, eo magis oratio, et attentio requiritur. Se quidem Sacerdos comparat, ut in *Sancta Sanctorum* pedem inferat, et ut ita dicam,

fidelibus vale dicit, quos non ante visurus est, quam Sacrificium consummaverit. Per hoc omne tempus haud se vertit ad populum, ne Dominus quidem vobiscum dicens, tametsi salutatio fit, in qua peragenda spectantur ii, ad quos refertur. Non paucis in Libris Ritualibus in more positum legitur, ut ad hanc cohortationem adstantes non unum, sed varia responsa darent. Amalarius *de Ecclesiasticis Officiis* Lib. III Cap. 39 refert in aliquibus Ecclesiis dici consuevisse: *mittat ad te Deus auxilium et ex alto, et e caelesti Sion tueatur te; memor sit Sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat*. In aliis Ecclesiis dicebatur: *Spiritus Sanctus in vos descendet, virtus Altissimi vos obumbrabit:* vel alia longior oratio, quam Remigius Antissiodorensis in *Expositione Missae* commemorat; alii vero satius duxerunt tacite orare. Dominicani, et Carthusiani nihil omnino respondent.

II. Sacerdos igitur postquam populum orare monuit, orat et ipse secreto, quam Orationem Liturgici Scriptores, ac Libri *Secretam* appellant. *Secreta* Oratio ejusdem est antiquitatis, ac Orationes in exordio Missae post Introitum, ac in fine post communionem. Has autem continet Sacramentarium Gelasianum, et Gregorianum. Sunt qui putant Orationes *Secretas* dici a verbo *secernere;* vel quia ex oblationibus populi aliae ponerentur extra Altare, aliae secernerentur in Sacrificium, et super illas sic *secretas* et super Altare positas funderentur orationes, quae ideo *Secretae*, seu orationes super Oblata *Secreta* dictae sunt, et appellabantur olim idcirco Orationes super oblata; et hoc nomen habent in editis S. Gelasii et S. Gregorii Magni Sacramentorum Libris, pluribusque in Missalibus antiquis; vel quia orationes illae primae erant ex iis quae recitabantur post secretos et segregatos Catechumenos et poenitentes, adeo ut illae *Secretae* dicerentur a secretis Catechumenis, quemadmodum Collectae dicuntur a collectis in unum fidelibus. Sunt qui putent id nomen hinc esse iis Orationibus inditum, quia submissa voce recitantur ex veteri ritu: unde *in antiquo Libro Sacramentorum* MS. *Ecclesiae Turonensis*, ut observat Edmundus Martene; *orationes illae non secretae sed arcanae nuncu-*

pantur. Et omnes antiqui sacrorum Rituum expositores secretas a secreto et silentio derivant. Amalarius Lib. I *de Ecclesiasticis Officiis* Cap. 10: *Secreta ideo nominatur, quia secreto dicitur.* Idem in *Eclogis de Officio Missae* editis a viro clarissimo Stephano Baluzio in appendice Capitularium Tom. II col. 1364 *Secreta dicitur, eo quod secretam orationem dat Episcopus super oblationem.* Sed vel hoc ritu vult exprimere, et exhibere cum debito honore silentium, quo Christus Dominus dignatus est ferre pro nobis immanissima supplicia, seipsum tacitus offerens Deo Patri hostiam propitiationis pro peccatis nostris, ut firmat Innocentius Papa III Lib. II *de Mysteriis Missae* Cap. 54 et seqq. vel putat eadem hoc silentio reverentiam, et majorem attentionem excitari circumstantium animis, dum solus Sacerdos seorsum orat pro populo, quemadmodum in Sacrificiis veteris Legis Sacerdos oraturus pro gente Israelitica solus intrabat in Sanctuarium. Putat autem Rupertus Lib. II *de Divinis Officiis* Cap. 4 ideo has Collectas secreto dici ex eo, quod Christus ante passionem paullulum secesserit, nec palam apud Iudaeos ambularet, licet salutare nobis suae passionis meditaretur Sacramentum. Causam vero S. Thomas 3. parte quaest. 83 art. 4 ad 6 eum esse arbitratur, quod circa passionis tempus Discipuli nonnisi occulte Christum confiterentur. In Ecclesia Romana ritu Gelasiano una tantum fere semper oratio *secreta* est, licet duae ut plurimum in prima Missae oratione statuantur. In Expositione Missae Saeculi IX *brevis oratiuncula* appellatur, ex quo coniicitur, unam tantum fuisse. Sensim usus obtinuit, ut plures dicerentur, quocirca hodie quot ante Epistolam clara voce a Celebrante orationes dictae sunt, totidem secreto eodem ordine ad *Secreta* sunt repetendae. Sacerdos vocem extollit dicens in Orationis fine: *Per omnia saecula saeculorum.* Dum oraret secum ipse, in eo Divini amoris ignis non accendi non potuit; *obmutui, et in meditatione mea exardescit* ignis Psalmus XXXVIII, itaque e raptu veluti quodam egressus, et adstantes omnes in orationis quam edidit, partem vocare studens silentium rumpit, et orationi finem imponit exclamatione hac ipsa, qua universum caetum invitat, ut ei se addat, respondeatque *Amen.*

CAPUT XXI.

DE PRAEFATIONE.

I. Lectis secreto Orationibus super Oblata, incipit Sacerdos Praefationem praemissa populi salutatione. Est autem Praefatio, veluti proloquium astantes excitans, et disponens ad praecipuam actionem, in qua proprie Sacrificium consistit. In Sacramentario Gallicano vocatur *Contestatio*, uti et in Gothico a clarissimis viris Thomasio, et Mabillonio vulgatis. In Gothico dicitur etiam aliquando *Immolatio.* Durandus eam vocat Praeparationem quamdam ad Sacrificium. Hugo Menardus eam dicit *Orationem*, *seu Gratiarum actionem,* quae Canoni praemittitur, quia disponitur Sacerdos, et populus ad tremendorum Mysteriorum confectionem. Haec autem Oratio ideo in Missali Romano *Praefatio* dicta est, quod sacro praeerat Canoni, ac praeparatio quaedam sit ad Sacrificium. *Inlatio* apud Mozarabes, in Missali Gallicano, et Gothico *Contestatio* dicitur, eo quod inferat Sacerdos et fidelium verbis, et contestetur vere dignum, et justum esse, Deo gratias agere, ut recte advertit Cardinalis Bona, et quia Deo Patri gratias agens Christus Dominus Sacrificium sui ipsius instituere coepit, ejusque exemplo Sacerdos a gratiarum item actione admirabile istud idem Eucharisticum Sacrificium exordiatur, ideo haec ejusdem Praefatio quandoque in antiquis Sacramentariis *Immolatio* dicta est. De primo Praefationum auctore haec scribit Valfridus Strabo Cap. 22: *Praefationem actionis, qua populi affectus ad gratiarum actiones incitatur, ac deinde humanae vocis supplicatio celestium virtutem laudibus admitti* deposcitur, *quis primus ordinaverit ignotum est.* Alii earum institutionem Gelasio I tribuunt, ea ducti ratione quod in Libro Pontificali Sacramentorum Praefationes, et Orationes cauto sermone composuisse dicatur. Sed quamvis concedamus plures a Gelasio, plures item ab Ambrosio, et a Gregorio Magno, aliisque Patribus editas fuisse, certum nihilominus est in ipsis Ecclesiae primordiis jam usum Praefationum extitisse, earumque institutio-

ı uti observat Cardinalis Bona vel Apostolis, vel A-
licis viris tribuendam, Praefationes autem ubique
ıs, atque usitatas fuisse, ex Liturgiis omnium
rum palam fit. Diversae quidem in diversis Ec-
ırum formulae fuerunt, omnes tamen idem
n prosequuntur. Nam primo Sacerdos corda
li jubet, quae verba ex Alcuino hunc sen-
Jam Apostolicis et Evangelicis praeceptis
ructi, et confirmati, corda vestra a ter-
m ad Dominum dirigite, ut sacrificium,
lum obtulistis, digne offerre valeam.
ı illa est, quae tribuitur Clementi
onum Apostolicarum Cap. 16. In ea
ənes, et attributa, ac aeterna Verbi
oductio omnium creaturarum, earum-
ıuo, atque in eis regendis admirabilis Dei
ıuentia, et sapientia, et erga homines benignitas eleganti sermone recensentur. Demum concluditur more usitato Angelorum commemoratione canentium, et dicentium, Sanctus, Sanctus etc. Ex hac Praefatione arguit Grancolas in opere cui titulus: Les Anciennes Liturgies T. I Praefationes nostras, quae non continent nisi Spirituum caelestium nomina (nulla facta Creationis, Lapsus, Redemptionis et Eucharistiae mentione) earum esse compendia, quae antiquitus recitabantur, saltem respective ad Graecas, vel fortassis etiam ad Latinas, in quibus Isidoro teste Lib. I *de Officiis Ecclesiasticis* Cap. 13 Creaturae omnes corporeae, et spirituales, caelestes, et terrestres ad laudandum Deum vocabantur. Caeterum praecipue Martyrum actiones inter ipsas etiam Missae preces inserebantur, ut ex antiquissimis Liturgiis, Gallicana, Mozarabica, et ipsa etiam Gregoriana probari potest; ibi enim Missae *Contestationes*, quas vulgo nunc Praefationes appellamus, nihil aliud sunt, quam Martyrum, de quibus Missa celebratur, praeclare gestorum expositio.

II. Graeci, et aliae in Oriente nationes unicam habent Praefationem. Una quidem singulis propria est, ita ut Iacobi Liturgia suam habeat, suam Basilii, suamque Chrysostomi Liturgia. In Libris antiquis Sacramentorum, qui Romanae Ecclesiae titulum praeseferunt, plures re-

periri Praefationes, vixque ulla Missa est, cui propria, et peculiaris non assignetur. Quo vero tempore tot Praefationes desierint, non liquet. Praefationes novem sunt iuxta ea, quae Pelagius II scripsit ad Episcopos Germaniae, et Galliae. Prima de *Nativitate Domini*, secunda de *Epiphania*, tertia de *Quadragesima*, quarta de *Cruce*, quinta de *Paschate*, sexta de *Ascensione*, septima de *Pentecoste*, octava de *SS. Trinitate*, nona de *Apostolis*, ut habetur in Canone Invenimus. Urbanus II addit aliam in Concilio Placentino: quae est de Beatissima Virgine. Hanc nonnulli a Sancto Brunone Carthusiensium Patre editam fuisse volunt; at eam ab ipso Urbano factam fuisse diserte tradit Pandulphus in ejus vita. De Pelagii II Epistola, genuina illa sit an spuria, vehementer dubitat Pagius in Vita Pelagii II, num. 17, et ante eum dubitaverat etiam Cardinalis Bona, Lib. II *Rerum Leturgicarum* Cap. 10, n. 3. Causas dubitandi si quis scire cupiat, adeat illos auctores, et Meratum T. I, p. I, pag. 230, num. 6. Illud certissimum est, in Missalibus post annum 1200 editis novem illas duntaxat Praefationes reperiri, quas recenset decretum Pelagii II quibus deinde addita est Praefatio communis, quae vetustissima est, et Gelasio, vel Gregorio Magno tribuitur, et Praefatio de Beatissima Virgine supra relata, ita ut undecim sint Praefationes omnes, quibus utitur Romana Ecclesia. Ambrosiani unam communem Romanae similem habent: at in Missis propriis sive de Festo, sive de Dominica, aut de Feria, propriam item canunt Praefationem. Simili modo Mozarabes propriis semper utuntur, in quibus vel mysteria ejus festivitatis, quae tunc celebratur, vel Sancti, de quo est Missa laudes, et encomia stylo sublimi, variisque sententiis exornato decantatur. Habent proprias Praefationes quidam Ordines Regulares, eisque praevia approbatione S. R. C. utuntur in Festis suorum Fundatorum, iamque in eorumdem Missalibus insertae sunt. Plerique Praefationes initium ab illis verbis: *Per omnia saecula saeculorum*, deducti arbitrati sunt, sed perperam; illa etenim verba ad praecedentes Orationes secretas pertinent, utpote earum conclusio, ipsaque alta voce recitat Sacerdos; ut populus respondeat *Amen*, sicque confirmet,

quae in illis a Deo impetranda postulata sunt. Idem autem Sacerdos dicit *Dominus Vobiscum*, salutans quidem populum, sed non ad ipsum conversus; vel quia cum dixit *Orate Fratres*, quodammodo populum dimiserit, vel quia ante Praefationem juxta Liturgias Sanctorum Iacobi, Basilii, et Chrysostomi Sanctuarium claudebatur, et circum Altare velum appendebatur, adeoque in illa salutatione non opus erat, ut se Sacerdos ad populum converteret, quem videre non poterat. Praefationes omnes incipiunt per haec verba: *Sursum corda*, quibus respondet minister: *Habemus ad Dominum*. Vetustissimum est ejusmodi initium. Ea enim verba habentur in Liturgiis Sanctorum Iacobi, et Chrysostomi. S. Cyprianus de *Dominica Oratione*, pulchre eorum verborum significationem explicat: *Sacerdos ante orationem prefatione praemissa parat fratrum mentes dicendo: Sursum corda; ut, dum respondet plebs: Habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud se quam Dominum cogitare debere.* Manus extollit dicens: *Sursum corda*, ut scilicet uno eodemqne tempore elevandi cordis cohortatio cum ejusdem elevationis externo signo jungatur. Cum dicit: *Gratias agamus* manus jungit, et oculos quantum potest ad coelum erigit, hoc gestu cupiditatem exprimens, qua ad agendas Deo gratias incenditur. Ab omnibus percipi Praefatio debet, quippe quae Sacerdotis, et populi mutua cohortatio est ad gratias Deo persolvendas, a quo scilicet conjuctim petunt, ut sibi liceat Angelorum voci suam addere, junctisque votis ac precibus una dicere *Sanctus*.

III. Sequitur hymnus *Sanctus Sanctus* etc. quem Επινικιον, sive triumphalem vocant Graeci. Hymnus hic in antiquissimis Liturgiis legitur. Extat apud S. Cyrillum Hierosolymitanum, *Catechesi V*; in Constitutionibus Apostolicis Cap. 16; et in *Hierarchia* quae S. Dionysio tribuitur. Ajebat S. Gregorius Nissenus ad Catechumenos: *Quid ni properatis Baptisma suscipere, ut vobis liceat id cum fidelibus* canere, *quod Seraphim canunt*. S. Ioannes Chrysostomus jam inductum morem hunc in Sermonum suorum plurimis ponit, dum quaerit, undenam fiat, ut Christifideles audeant obscaena verba, turpesque cantiones ea ipsa lingua proferre quae

sanctum Canticum *Sanctus* edidit. Sacerdos vocem remittit, quae Praefationem dixit, tum quia variatio recitantem juvat, ut spiritum recipiat, tum quia attentionem excitat, qui praecipuus Ecclesiae finis est. Quamvis autem *Sanctus* Sacerdos demissius recitet, voce tamen quae percipi possit, recitare debet, cum ad hoc Canticum recitandum semper populus accitus fuerit; illud enim olim unus Sacerdos nunquam dicebat. Et re quidem vera ex Romanorum Pontificum Vitis percipitur Sixtum I mandasse, ut Hymnus hic ab universo populo aeque atque a Sacerdote concineretur. Hac de causa in solemnibus Missis Hymnus hic ab universo Choro etiamnum canitur. Sacerdos manus jungit, inclinatusque consistit, quo majorem in sancti hujus Cantici recitatione observantiam significet. Canticum hoc Ecclesia deprompsit e Caelo ipso. Vidit Isaias Cap. VI Dominum sedentem super solium excelsum, et audivit Seraphicos Spiritus alterna modulatione psallentes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum. Plena est omnis terra gloria ejus.* Et Ioannes Cap. IV quatuor mystica animalia plena oculis describit, requiem non habentia die ac nocte dicentia: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est, et qui venturus est.* Sanctus Ambrosius Lib. III *de Spiritu Sancto* Cap. 18 ex his verbis Personarum Unitatem, et Trinitatem in Deo perspici vult; laudantur enim SS. Trinitatis Divinae Personae tres, Pater Sanctus, Filius Sanctus, Divinus quoque Spiritus Sanctus; et quoniam tres hae Divinae Personae Deus unus sunt, eodem tempore Deus Dominus Sabaoth nominatur. Sabaoth vox Hebraica est. *Saba, exercitum,* et *Sabaoth* numero multitudinis *exercitus* significat. Exercituum autem Deus dicitur, quia scilicet ei tamquam Domino, ac Principi, subsunt, dictoque audientes sunt omnes Angelorum myriades, ex quibus caelestis militia constat. Supremo huic Domino subest, quicquid magni ac validi in caelis, terrisque est; eidemque Arbitro Summo subditur, quicquid in hac rerum universitate contigit, ubi nulla non in re ipsius sapientia, potestas, et gloria elucescit: *pleni sunt Caeli, et Terra gloria tua.* Adoratio quaedam est *Sanctus*, quam humilis demissusque corporis habitus

comitari debet, cum Benedictus laetitiae argumentum et acclamatio sit, quae erectis pedibus fit. *Benedictus* qui venit etc. Ad haec verba Sacerdos signat se signo Crucis, ut innuat eam actionem, qua Christus nobis sese praesentem exhibiturus est in tremendo Sacrificio, esse commemorationem, et continuationem Sacrificii in Cruce pro nobis oblati; *Canon enim*, qui mox sequitur, Christi passionem proxime designat, ut inquit Honorius in *Gemma animae* Lib. II Cap. 42. Ter hodierno ritu, cum aliqua iterum distinctione, pulsatur campanula, tum in laudem Dei ter Sancti, tum ad excitandos adstantium animos ad proxima mysteria, tum etiam exemplo veterum Mosaicae Legis Sacrificiorum, super quibus Sacerdotes filii Aaron clangebant tubis, uti habetur Num. Cap. X v. 10. Triumphali huic Hymno adjunguntur ex Ecclesiae praescripto verba turbarum Salvatorem nostrum laudantium in solemni Hierosolymae ingressu, ac dicentium: *Osanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini: Osanna in excelsis.* Recte quidem ex Scriptura Prophetica, et Evangelica completur plena laudatio, ut inquit Natalis Alexander *Theologia Dogmatica et Moralis* Lib. II Cap. 7 Art. 4 cum post laudem, ac gloriam Sanctissimae Trinitatis annectitur etiam gratiarum actio de Adventu Salvatoris, qui unus in ipsa et ex ipsa Trinitate pro salute nostra Homo factus, eamdem salutem moriendo, et resurgendo confirmavit, unde recte illi gratias agentes dicimus *Osanna*, idest salva in Excelsis. Hoc est nimirum, quod in Psalmo canitur: *O Domine salvum me fac, o Domine bene prosperare, Benedictus qui venit in nomine Domini*.

CAPUT XXII.

DE CANONE, DE PRECE TE IGITUR, QUOD CANONIS INITIUM EST, ET DE *MEMENTO*.

I. Oratio quae incipit, *Te igitur* dicitur *Canon*, quippe quae tamquam regula in Sacrificio offerendo servanda, et quae numquam mutanda praescripta fuerit. Eam Summus Pontifex Vigilius *Canonicam*, S. Cypria-

nus, Innocentius I, et Sanctus Augustinus per excellentiam *Precem* nuncupant; cum ea sit, in qua donum omnium maximum petitur, Christus scilicet; in qua renovatur gratiarum actio, quas Christus ipse Patri persolvit. Canon ipse tum *actio*, tum *sanctissimae actionis mysterium*, tum sacri mysterii actio dictus fuit. Canonis initium ab Oratione *Te igitur* sumitur, et usque ad Orationem Dominicalem submissa voce recitatur. Magna vero inter Doctores disceptatione quaeritur, quo ejus origo referri debeat? nonnulli Gelasium I alii Musaeum Massiliensem Presbyterum, alii Voconium Episcopum Castellanensem in Mauritania, alii Clementem Alexandrinum, ejus Auctorem existimant. S. Gregorius autem illum a Scholastico quodam fuisse compositum asserit. Scolasticus cujus meminit Gregorius, non est nomen proprium alicuius hominis, sed est nomen appellativum indicans virum doctum et eruditum. Ab hoc Scholastico quidem dicunt iuxta Gregorium totum Canonem fuisse compositum, quidam censent ab eo aliquam tantum Orationem actioni Missae fuisse insertam. Merito Tridentina Synodus Sess. 22 Cap. 4 *de Sacrificio Missae Sacrum Canonem* inquit, *multis ante Saeculis ab Ecclesia Catholica institutum, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem et pietatem quamdam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat. Is enim constat tum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac Sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.* Ex Tridentini doctrina evidens est, Canonem esse vetustissimum, et tempus antecedere eorum, qui auctores ejus dicuntur. Si enim ex Domini verbis, et Traditionibus Apostolorum coalescit, et in eo fit Commemoratio Apostolorum dumtaxat, et Martyrum, non vero Confessorum, quibus ante Saeculum IV nondum cultus tribuebatur, certum est *Canonem* saeculo IV priorem esse, et ex Apostolica Traditione profectum. Post S. Gregorium nullus Romanorum Pontificum quidpiam addidit aut immutavit in Canone, uti observat Cardinalis Bona in Lib. II Cap. II. Sacerdos manus erigit, itemque ad Caelum extollit oculos; quoniam se ad caelestem Patrem convertit dicens: *Te igitur*, eos statim demittit,

manus conjungit, et inclinatus consistit, ut se ad supplicationem compositum exhibeat, ratione habita vocis *supplices*. Osculatur Altare, Sacerdos ostendat, oportet sibi maxime cordi esse, ut nova erga Altare observantiae, et amoris argumenta praebeat, jamjam momentum adesse videns, quo Corporis et Sanguinis Christi Domini Sedes ipsum Altare sit. Sacerdos ter ducit signum Crucis super panem et vinum ad haec verba *haec dona, haec munera, haec sancta Sacrificia* ut intelligamus non posse panis et vini oblationem benedici, sanctificari, et accepta haberi Deo nisi virtute Crucis Christi, ac tria quidem conficit Crucis signa, ut Oblationes tamquam dona, tamquam munera, et tamquam Sacrificia benedicat.

II. Sacerdos se ad Patrem vertit, quod Christus ipse Dominus praestitit, eumque Patrem Clementissimum nuncupat, quia scilicet ob infinitam bonitatem et miserationem eo nos amore complexus est, ut suum nobis Filium daret, quem Ei in Sacrificium offerre debemus, ut conciliatio nostra sit, omniumque beneficiorum fons. Per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, nihil petere nisi per Christum Dei Filium Mediatorem nostrum debemus. Ac per Eum potissimum id auxilii obtinere possumus, quo opus habemus, ut Eum ipsum in Sacrificium offeramus. Sacerdotum est dona offerre, Dei autem ea benedicere. Veteres Ecclesiastici Auctores *dona* inter *et munera* discrimen notant. Quod Creator creaturis, Superior inferioribus, Rex subditis donant, id donum dicitur; quod autem subditi Principi, inferiores Superioribus, iisque exhibent, quibus debent, munus appellatur. Panis et vinum quae super Altari sunt, dicuntur dona quoad Deum, a quo omne bonum in nos derivatur, sunt autem munera quoad homines, qui Deo eadem exhibent. Quatuor praecipue petimus a Deo pro sancta Ecclesia in Missis singulis, eaque maximi momenti: 1.° ut Ecclesiam dignetur Deus *pacificare*, idest, persequutiones adversus eam exterius insurgentes compescere. 2.° *Custodire*, nimirum ab hostibus ejus Fidem impugnantibus, quales sunt Ethnici, Haeretici. 3.° *Adunare*, adeo ut nullis scindatur schismatibus, nullis dissidiis internis affligatur, nullis inte-

stinis dissensionibus turbetur. 4.° *Regere*, vel dando per totum orbem Pastores secundum cor suum, quorum ipse mentes et studia dirigat; vel sua omnipotenti virtute, faciendo ne pravi et perversi Pastores noceant Dominico gregi, simulque ne quidquam Ecclesia detrimenti patiatur a malorum Christianorum perditis moribus et exemplis.

III. In singulis Missis oramus specialiter pro Summo Pontifice, pro Antistite, pro Rege, seu supremo Principe loci illius in quo Missae celebrantur. S. Paulus nobis commendat ut pro Pastoribus preces fundamus. Peculiariter vero, et primo loco Summum Pontificem nominamus, qui unus prae caeteris omnibus Sanctus Pater, Papa noster, Pater scilicet nuncupatur. Et sane rationi consonum apprime est, ut, dum pro Ecclesiae unitate oretur, qui Communionis centrum est, qui Ecclesiae praeest. Praeest ipse ut Christi Vicarius, ut S. Petri Successor, super quem Ecclesia statuta fuit. Eam Deus in eo uno constituit, inquit S. Cyprianus Libro de *Unitate Ecclesiae*, ut in ipsa Ecclesiae origine unitatem ostenderet. Teste Irenaeo Lib. III Cap. 3 *ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam*, quia nimirum, ut scribit Augustinus Epistola 162 *semper in ea viguit Apostolicae Cathedrae principatus* a Christo Domino nonnulli viri docti hunc ritum derivant, qui in Coena rogavit pro Petro, ut non deficiat fides illius. Ita Thomas Waldensis, et ex ipso Gavantus. In Liturgia, quae Marci nomine inscripta est, Papae mentionem ter fieri legimus. Nec sane quisquam iure negaverit, in Ecclesia Orientali de Summo Pontifice olim mentionem fieri consuevisse. Refert Nicephorus Lib. XVI Cap. 17 Acacium Constantinopolitanum primum omnium Papae nomen (erat tunc Felix II) e sacris tabulis erasisse, quod nemo ante eum tentaverat, quamvis in eo throno plures Episcopi haeretica labe infecti sedissent. Idem ausus est in Ecclesia Alexandrina impius Dioscorus, adversus Leonem Magnum. Post Acacium nomen Pontificis in Liturgiis repositum est; ast intermissa iterum est haec consuetudo propter Photii schisma. Post Papam nominatur Episcopus qui eam Dioe-

cesim administrat. S. Paulus ad Hebraeos Cap. XIII v. 17 Hebraeis commendat, ut pro ipso, et pro Pastoribus orent; cum magnopere congruat pro iis orari, qui *invigilant* inquit, *quasi rationem pro animabus vestris reddituri*. Omnia ferme vetustissima exemplaria sacri Canonis Missae post Romanum Pontificem nomen *Antistitis* designant, quod quidem nomen Florus, et antiquiores Expositiones Missae commemorant. Si vero Episcopus vel Archiepiscopus celebret, orat pro seipso, dicens *et me indigno servo tuo*. Idem faciunt etiam Cardinales, licet non sint Episcopi, propter excellentiam dignitatis. Romae Sacerdotes omittunt *et Antistite nostro*; nam summus Pontifex, cujus meminerunt, est Urbis Ordinarius. Regulares non possunt loco Episcopi mentionem facere Superioris Generalis. Presbyter celebrans in aliena Dioecesi non potest substituere nomen sui Episcopi in locum Episcopi Dioecesis, in qua celebrat. Amor ipse quo Ecclesiam prosequi debemus, nos pro Regibus orare cogit, ut in dies magis, ad ejus pacem, et rectum ordinem conferant. S. Paulus disertis verbis id urget, mandatque, ut oretur pro Regibus, seu Principibus, discipulum suum Timotheum curare vult, ut oretur pro Regibus, iisque omnibus qui aliqua dignitate insigniti sunt. Hic ritus primis etiam Ecclesiae Saeculis servatus est, ut constat ex Iustino *Apologia II*, ex Melitone Sardensi, et ex Athenagora. Denique fusis pro Ecclesiae unitate precibus; par est etiam pro iis omnibus universim orari, qui in Fidei puritate persistunt. Iam Orthodoxi sunt ii quorum pura Fides est, et vita Fidei respondet; quod tamen non ita accipiendum est, ut qui peccat, ex Orthodoxorum albo expunctus sit, cum Fidei unitatem peccatum non adimat.

IV. Sacerdos extollit, jungitque manus parumper ad pectus cum dicit: *Memento, Domine famulorum famularumque tuarum*, novum quod a Deo petit beneficium ad novam manuum elevationem ipsum impellit, per quam se optare significat, ut Deus faciles aures praebeat. Per aliquod tempus capite non nihil inclinato silentium servat; ut ad eos attentius cogitationem referat, quos a se Deo commendatos vult. Haec precandi formula per verbum *Memento* consonat cum Sacra Scriptura; in

Psalmo enim 106 legitur: *Memento nostri Domine in beneplacito populi tui.* Post editam pro Fidelibus universim precem, Ecclesia liberum Sacerdoti relinquit, ut pro aliquibus peculiariter oret. De viventibus solum hic mentio fit; nam specialis fit infra commemoratio mortuorum post consecrationem. Hic autem Sacerdotes privatam mentionem faciunt, 1.° eorum quorum gratia celebratur specialius Sacrificium; verbi gratia, Parochianorum in Missis parochialibus, Fundatorum cum celebratur Missa ex aliqua fundatione, eorum qui ad Sacrificium faciendum eleemosynas obtulerunt. 2.° Eorum qui se Sacerdotis orationibus commendatos voluerunt. 3.° Eorum pro quibus vult Sacerdos orare nominatim; verbi gratia, parentum, consaguineorum, amicorum; eorum quorum curam gerit. Orat insuper Sacerdos pro iis omnibus qui Sacrificio adsistunt, in quibus Deus veram fidem, et solidam pietatem perspicit. Ex verbis, *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt* deducitur ex Innocentio III in Libro III *de Mysteriis Missae* Cap. 6, quod non modo Sacerdotes, sed reliqui etiam fideles dici possunt Sacrificium offerre, quo sensu in Oratione: *Orate Fratres*, Sacerdos dicit: *ut meum, ac vestrum Sacrificium*. Sacerdos quippe actione sua, offerens autem per ejus actionem, cui eleemosynam contulit, ad Sacrificium concurrit. Veteres Patres animadvertunt bifariam dici posse Fideles Sacrificium offerre. 1.° Sacrificium offerri censetur, inquit Hilarius Diaconus saeculo IV cum oblationes praestantur, quas cum iis omnibus quae ad Sacrificium requiruntur, ad altare Sacerdos offert, quemadmodum in S. Gregorii Sacramentario, et in secundo Matisconensi Concilio anno 585 habito scriptum legitur. Et hac quidem significatione tum de adstantibus, tum de beneficis absentibus dicitur, qui *tibi* offerunt. Idem tradit S. Gregorius Dialogorum Lib. IV Cap. 57 de quodam homine in captivitate detento, qui se solatio affectum sentiebat, quibus diebus uxor Sacrificium pro ipso offerebat. Secundo loco Fideles offerunt Sacrificium laudis, Sacerdoti se addentes, ut spiritu una cum ipso Iesu Christi Sacrificium offerunt. Plura de hac Oratione scribit Innocentius III explicans etiam, cur Missae Sa-

crificium hic dicatur *Sacrificium laudis*; quia nulla alia actione laudem et gloriam majorem dare possumus Deo summe laudabili, sed quidpiam amplius in se continet, observabimus ex Concilio Tridentino Sess. 22 *De Sacrificio Missae* Cap. 3 illud esse *ex opere operato*, non modo *Latreuticum et Eucharisticum*, sed etiam *Propitiatorium*, ac *Impetratorium*.

V. Oratio quae *Memento* incipit in quibusdam Missalibus manuscriptis *Oratio super Diptycha* inscribitur, explicare hic breviter oportet, quid ea sint, et quis eorum in sacris usus fuerit Diptychorum nomen. Diptycha itaque ecclesiastica nihil aliud erant, quam chartacei, seu membranacei Codices, in quibus Episcoporum, et aliorum Catholicae Ecclesiae fidelium nomina erant inscripta, et in hoc distinguebantur a profanis Diptychis, quibus novi Consulis nomen aureis characteribus singulis annis scribebatur. Sic vero appellabantur a δὶς bis et πτυξ plica, ob geminas tabulas, quarum una comprehendebant fidelium viventium nomina, altera defunctorum. Tria erant genera Diptychorum sive tabularum, quibus nomina in singulis Ecclesiis inscribebantur. Primum erat peculiare Episcoporum, eorum praesertim qui illam Ecclesiam rexerant, dummodo probitate ac sanctis moribus claruissent. Secundum vivorum, in quibus eorum nomina descripta erant, qui adhuc viventes dignitate aliqua, vel beneficiis illi Ecclesiae collatis conspicui, vel Sacerdoti consaguinitate, vel amicitia juncti, aut alio titulo benemeriti erant. In his primo loco Romanus Pontifex, tum alii Patriarchae, et proprius Antistes, ac reliqui Clero adscripti recensebantur: postea Imperator, Principes, Magistratus, et populus fidelis. Tertium erat mortuorum, qui in Catholica Communione decesserant. Quod autem spectat ad primum genus pro solis Episcopis cum opinione sanctitatis vita functis, eam inscriptionem speciem quamdam habuisse Canonizationis, seu Beatificationis. Ideo Ecclesia sollicite semper cavit, ne Sanctorum Episcoporum nomina ob quorundam pravorum hominum calumnias, vel ob errores proborum e sacris Diptychis expungerentur. Haec enim expunctio poena erat illis solis irrogata, qui vel a fide defecerunt, vel ob aliquod crimen

a communione Fidelium abstenti erant. Notae sunt diuturnae altercationes de Chrysostomi nomine in Diptycha referendo. Nec solum Episcopi, sed etiam Oecumenica Concilia Dipthycis inscripta sunt. In Synodo Constantinopolitana sub Menna Act. V saepius a fidelibus conclamatum est, ut Diptycha portarentur ad Ambonem. *Quatuor Synodos Diptychis, Leonem Romanum Pontificem Diptychis, Diptycha ad Ambonem;* nempe, ut publice legerentur, et populus audiret nomina quatuor Synodorum, et Leonis Papae, et Macedonii, atque Euphemii restituta. In summa veneratione apud fideles erant Ecclesiastica Diptycha, quippe quae inter sacra Mysteria exponebantur, uti ex Liturgiis SS. Basilii, et Ioannis Chrysostomi constat, non tamen omnia fidelium, tam vivorum, quam defunctorum nomina in Diptychis scripta legebantur, sed delectius habebatur, atque eorum dumtaxat nomina publice e Diptychis Diaconis recensebat, qui inter caeteros aliqua speciali nota praeeminebant, facta de reliquis generali tantum commemoratione. Cur autem in sacris Liturgiis vivorum celebraretur memoria, docet Theodorus Antidorum Episcopus in *Expositione Missae:* ut Subditorum scilicet erga Superiores obedientia, et viventium in eadem fide, ac mysteriis unio, ac commemoratio indicaretur; ita etiam propter unionem et concordiam. Hic usus quo tempore omitti coeperit, incertum est. Remigius Antisiodorensis, qui vivebat anno 900 Libro *de celebratione Missae* inquit: *etiam hodie Romana Ecclesia recitat nomina ex Diptychis.* Micrologus Saeculo XI monet, recitanda nomina post *Memento, sed non die Dominico.* De iisdem nominibus agit Honorius Scriptor XII Saeculi, ea tamen ratione, ut clare indicet, iam tunc illam recitationem abire coepisse in desuetudinem. Hinc verisimiliter dici potest, hanc consuetudinem Saeculo XII obsolevisse, introductamque eam disciplinam, ut Sacerdos nec alta nec submissa voce recitet nomina, sed offerentes, aliosque mentali oratione Deo commendet.

CAPUT XXIII.

DE ORATIONE, QUA RECITANTUR NOMINA SANCTORUM ANTE CONSECRATIONEM, QUAE IN MISSALI LIBRO INSCRIBITUR: *INFRA ACTIONEM*, INCIPITQUE HIS VERBIS: *COMMUNICANTES*.

I. Sacerdos postquam oravit pro Ecclesia militante, iam iungit se Ecclesiae triumphanti; Sanctorum cum Christo regnantium nomina recitat, eorum memoriam veneratur, eorumque precibus divinum implorat auxilium. Usus commemorandi Beatissimam Virginem, et Sanctos in Missa, omnium Ecclesiarum immemorabili consuetudine comprobatur, ut patet ex earum Liturgiis. Cyrillus Hierosolymitanus sacram Synaxim describens *Catechesi* V *Mystagogica* asserit Sacerdotem memoriam in ea facere SS. Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum, et deprecationibus suscipiat preces nostras. De hoc usu verba facit Divus Augustinus Libro *de Virginitate* Cap. 45, et Sermone 17 de Verbis Apostoli. Vox enim *Communicantes* procul dubio significat in communione esse, aut in partem venire cum omnibus omnino fidelibus. Sane congruentior esse videretur, si sic inciperet: *Communicantes*, quia oratio haec est continuatio praecedentis, et cum illa iungi eam oportet, ut habeatur sensus integer, hoc modo: *Memento, Domine famulorum famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium; communicantes et memoriam venerantes in primis gloriosae Virginis Mariae.* Itaque postquam generatim diximus, *Communicantes*, ut nos in omnium membrorum ex quibus Christi corpus constat, partem venire significamus, Ecclesia nos jubet rationem addere, qua cum Sanctis communione gaudemus: *et memoriam venerantes*, ut iidem pro nobis orent, et Deus eorum precibus et patrocinio subsidia concedat, quibus ipsi indigemus. Atque hoc quidem est admiratione dignum Ecclesiae consilium, quae probe novit id Deum Sanctorum rogatu facere, quod eum in nostri gratiam facturum sperare non auderemus.

Nec nos latet Sanctos Israelitas saepe Deum ad ferendum auxilium extimulasse, obsecrantes, ut Patriarcharum Abraham, Isaac, et Iacob recordaretur. Idem prorsus hoc loco facit Ecclesia, Sanctissimae Virginis, et Sanctorum memoriam renovans, ut Deum precibus nostris propitium reddat.

II. Ex nonnullorum Missalium Rubricis Sacerdos extollebat ad caelum manus, ac deinde capitis inclinationem, aut genuum submissionem edebat dicens: *Memoriam celebrantes*, ut honorem significaret, quem Sanctis in Coelo regnantibus exhibebat. Deum in hac Oratione Sacerdos alloquitur, in eoque proinde corporis habitu in quo jam erat, persistere debet, quemadmodum ex Romano Missali compertum fit. Sacerdos manus jungit dicens: *per eumdem Iesum Christum.* Qui sollicite subsidium petit, extendit, elevatque manus facile admodum ac prompte, quasi ducturus ad suum ipsius auxilium eos quos invocat; Eos itaque sibi socians efflagitationes ingeminat. Sacerdos per hanc omnem precem elatis manibus perstat, ut Dei auxilium sibi comparet, easque in ejusdem fine jungit, ut se supplicantis in modum componat, et Iesu Christi Mediatoris nomen enuntians multo vehementius obsecrat, quippe qui per eum sperat fore, ut exaudiatur; ut cum beneficium aliquod petitur, dici solet id manibus junctis peti. Hic autem observatione dignus est titulus *infra actionem* in Missalibus ante Communicantes praescribi solitus: quod quidem idem est ac *intra Canonem*, posito *infra* pro *intra.* Quod usurpatum ab medii Aevi Scriptoribus saepe fuit. Namque *Actio* etiam Canon olim dictus fuit. Cur autem titulus ille in Canonem irrepserit, docet Petrus Le Brun Tom. I part. IV art. IV eum nempe primo praefixum fuisse sex illius specialibus *Communicantes* Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Natalis, Epiphaniae, quintaeque Feriae majoris hebdomadae, uti videre est in Sacramentario Gelasiano, atque Gregoriano; mox eumdem titulum librariorum inscitia velut jure suo communi etiam Communicantes praenotatum.

III. In Canone Romano post Sanctissimam Virginem, et Apostolos, Martyres duodecim nominantur. Confessorum nulla fit mentio, vel quia Martyres passionem,

et mortem Domini, quae in hoc Sacrificio repraesentatur, effuso sanguine imitati sunt: vel quia Canon editus est, antequam Confessorum memoria celebraretur, de quibus silent tribus prioribus Saeculis Ecclesiastica monumenta. Ambrosiani post Apostolos addunt Xystum, Laurentium, Hyppolitum, Vincentium, Cornelium, Cyprianum, Clementem, Chrysogonum, Ioannem, et Paulum, Cosmam, et Damianum, Apollinarem, Vitalem, Nazarium, et Celsum, Prothasium, et Gervasium, Victorem, Felicem, et Calimerum. Quorum novem ultimi Mediolani martyrium subiere. In Libro Sacramentorum Petaviano post nomina Cosmae, et Damiani haec addita sunt, Dionysii, Rustici, et Eleutherii, Hilarii, Martini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti. Fuit autem vetus mos in Ecclesia Graeca, et etiam Latina, Menardo teste *Notae in Sacramentarium* pag. 15 ut hoc loco recitaretur nomen Sancti illius, cujus ea die memoria, seu festum celebraretur. Quare in nonnullis Ecclesiis nomina quaedam recitari, praeter nomina Apostolorum, et Martyrum coeperunt, quae adhuc in vetustis Codicibus Sacramentorum supersunt. Paschalis Papa I in Bulla ad Beggonem Abbatem Conchensem indulget Conchensibus Monachis, ut memoriam Sanctae Fidis faciant in Canone. Subdit Edmundus Martene *de Antiquis Ecclesiae Ritibus* Lib. I Cap. 4 art. 8 num. 16, haec dicens: In quibusdam Libris post Sanctorum nomina additur: *Necnon et illorum, quorum hodie in conspectu gloriae tuae gloriosus celebratur triumphus.* Hinc factum est, ut in nonnullis solemnioribus diebus, etiam nunc peculiaria quaedam ad *Communicantes* intermixta legamus, ad illius celebritatis memoriam recolendam, ut in nocte ac die Natalis Domini, in Epiphania, in Paschate, Ascensione, et Pentecoste. De S. Mathia Apostolo nulla hoc in loco habetur commemoratio, bene tamen de S. Paulo, quamvis de eodem fere tempore similem cum hoc sortitus sit gradum. Rationem esse volunt, quod Sanctus Matthias non sit de eorum numero, quos Salvator per seipsum elegit, et Apostolos nominavit; non ita S. Paulus, qui per ipsum Dominum, Apostolico gradui adiunctus fuit; cui rationi altera accedit, quod S. Paulum a S. Petro nunquam sejungat Ecclesia. In antiquis Mis-

salibus additum est nomen S. Martini, quia primus inter Confessores festive coli atque proprio officio honorari coepit.

IV. Orientalium Ecclesiarum Liturgiae omnes semper Sanctissimae Virginis memoriam celebrarunt, ac nos quidem sine animadversione praetergredi non debemus ipsa Liturgiae nostrae verba, quae Eam supra creatas res omnes extollunt. 1.° *Gloriosae,* ob singularem gloriam quam in Ea Deus emicare vult. 2.° *Semper Virginis,* quae nempe una semper Virgo fuit etsi vere Mater, quae concepit, et peperit; quod unum et unicum privilegium alia nunquam obtinuit, nunquamque obtinebit. 3.° *Genitricis Dei, et Domini nostri,* quia nempe Mater est Christi qui Deus est. Sed *et Beatorum Apostolorum*, etc. Post Sanctissimam Virginem fit Apostolorum duodecim commemoratio, quippe qui Ecclesiae columnae sint, iis additur S. Paulus quem Roma nunquam a S. Petro separat. Apostolos duodecim excipiunt Martyres alii qui sanguinem suum fundentes se Sacrificii Crucis vivas imagines exhibuerunt; et omnes quidem Martyres Romae celebres, quorum recentissimi Sancti Ioannes et Paulus sunt, qui medio Saeculo quarto sub Iuliano Apostata martyrii palmam obtinuerunt. Lini, Cleti, Clementis, qui Romae S. Petro coaevi, coadjutores, et successores fuerunt. Xysti, Cornelii, qui duo et ipsi Sancti Pontifices Martyres extiterunt. Cypriani, qui Carthaginis Episcopus Martyr fuit, adeo Romae, ac per universum terrarum orbem ob eximiam doctrinam, et singulare subeundae inter enuntiandam Christi Fidem mortis desiderio celebratus, Laurentii, Romanae Ecclesiae Archidiaconi, cujus erga pauperes charitas, et martyrium semper in maximam admirationem fideles pertrahent, Chrysogoni, illustris romani civis, qui prope Aquilejam sub Diocletiano martyr occubuit, statimque Basilicis ejus nomine erectis. Ioannis et Pauli, hi fratres duo Romae nati, sub Iuliano Apostata occisi, et clam sepulti fuere, quod Idolis thus adolere constanter recusarent. Cum eorum Corpora Ioviano qui Iuliano successit, imperante detecta essent, in ipsorum honorem celebris Ecclesia aedificata, eorumdemque propria Missa in S. Gelasii Sacramentario posita fuit. Cosmae

et Damiani. Hi sancti viri duo, Cosma, et Damianus medicinam profitebantur charitate permoti, non ut pecuniam scilicet, sed ut hac ratione animas Christo Domino lucrarentur. Ex Theodoreti litteris compertum fit Chalcedone Sanctorum Cosmae et Damiani nomine splendidam Basilicam extitisse; et Procopio referente, Iustinianus Imperator eorumdem Sanctorum Ecclesias quae Constantinopoli haud procul erant, reparandas curavit.

CAPUT XXIV.

DE PRECE HANC IGITUR OBLATIONEM.

I. In hac Oratione *Hanc igitur Oblationem* quatuor a Deo postulat Sacerdos primo ut oblationem nostram ipse placatus accipiat; secundo ut dies nostros in sua pace disponat, deinde ut ab aeterna damnatione nos eruat, ac denique ut in Electorum grege nos numeret. Quae omnia Innocentius Papa III Lib. III *Mysteriorum Missae* Cap. II devote ac luculenter illustrat. Iuxta Micrologum debeat Sacerdos in hac Oratione profunde se inclinare, ita ait: *de Ecclesiasticis Observationibus* Cap. 14: *Quum dicimus: Hanc igitur oblationem ad Altare inclinamur ad exemplar Christi, qui se humiliavit pro nobis usque ad mortem Crucis.* Durandus in Rationali Lib. IV Cap. 39 *Hanc . . . . . Sacerdos in quibusdam Ecclesiis profunde se inclinat.* Idem asserunt Radulphus Tungrensis Prop. 23 et Gabriel Biel Lect. 33. Porro de hac Oratione ita scribunt Stephanus Aeduensis in Libro de *Sacramento Altaris* Cap. 13: *Haec oblatio non tantum est Sacerdotis, sed cunctae familiae,* idest *Cleri, et populi, et non tantum assistentis familiae, sed totius familiae.* In Vigiliis Paschae et Pentecostes, et per totam Octavam harum Sollemnitatum, hic specialis additur mentio recens baptizatorum ; quia antiquitus id moris fuit, ut in Vigiliis Paschae et Pentecostes solemniter baptizarentur Catechumeni, et vestibus albis amicti aderant Sacrificio Missae. Variabatur etiam teste eruditissimo Cardinale Bona, in Missa Feriae Quintae in Coena Domini, in die anniversarii Baptismi, in Anniversario Ordinationis Sacerdotis, in Dedicatione novae

Basilicae, in Consecratione sacrae Virginis variisque aliis occasionibus: formulas singulas ipse recenset depromptas ex vetustissimo Libro Sacramentorum Reginae Sueciae. Dum Sacerdos hanc Orationem dicit, tenet manus extensas super Hostiam et Calicem, donec ad illa verba pervenerit *per Christum Dominum nostrum*, ubi manus jungit. Rupertus Lib. II dicit, manus expandi, ut intelligamus, haec Mysteria non solum hominibus sed etiam Angelis tegi. Ioannes Serranus ait, per illam manuum expansionem indicari Divinam protectionem, seu efficaciam gratiae, quae in Oratione postulatur. Pouget observat moris fuisse in Lege Veteri, ut super victimam imponeretur manus, et hoc indicium erat Sacerdotem conjungi cum victima, et cum ea Deo consecrari. Hujus ad ritus imitationem in Nova Lege Sacerdos facturus jamjam mysticam immolationem Corporis Christi tam suo, quam populi simul offerentes nomine, ponit manus super oblata in Corpus et Sanguinem Christi mox convertenda. Eoque ritu offert Deo se, populumque Christianum cum Christo iamiam mystice immolando; ut ejus virtute Sacrificii impetret a Deo remissionem peccatorum, vitae praesentis pacem, et aeternae gloriam. Quae quidem omnia ea oratione quam positis super Oblata manibus recitat, exprimuntur, ut patet ex singulis hujus orationis verbis.

II. Scio plura a Protestantibus objici adversus hanc, aliasque ejusmodi piissimas Sacri Missae Canonis precationum formulas; at futilia, stramineaque illorum argumenta viriliter diluunt doctissimi Theologi, adeout dictorum Protestantium nonnulli ex ipsa rei evidentia, ac Fidei Catholicae veritate hac in parte convicti ultro fateri compulsi fuerint Lutherum, et Calvinum in abrogando Eucharistiae Sacrificio nedum immaniter et impie delirasse, verum etiam sanctissimas formulas Liturgicas, quibus dictum Sacrificium Deo offertur, ab illis pessime e suis coetibus proscriptas, in usum revocandas esse, et hunc summum divinae majestati honorem debite reddendum fore, affirmare non dubitaverint. Hi sunt Ernestus Grabbe, in Irenaei *Lib. IV adversus haereses* Cap. 17; Thomas Brett, et Samuel Jebb, aliique similes Anglicanae heterodoxae commu-

nionis Scriptores. Calumniae itaque sunt, dicteria, non argumenta, quae caeteri Misoliturgi intemperantiores objiciunt, non enim Sacerdos in hac Oratione Deum precatur, ut per oblationem panis et vini liberemur ab aeterna damnatione, sed orat Deum ut ipsam Oblationem accipiat tamquam materiam Sacrificii futuri, eamque benedicat, et sanctificet, uti docet Cardinalis Bellarminus de Missa Lib. VI Cap. 22. Idem etiam clare exprimit doctissimus Suarez in tertiam partem Divi Thomae Tom. III quaest. 83 Art. 4 Disp. 83 Sect. 2: *Solum est*, inquit, *advertendum propter haereticorum calumnias cum in his Orationibus, quae Consecrationem antecedunt, fit mentio Oblationis, sermonem esse, non de oblatione, quae jam facta sit, sed quae jam proxime paratur, et instat, ita ut signum illud demonstrativum:* Hanc oblationem: *Non designet ad sensum praesentem materiam, quae tunc prae oculis habetur, sed ad mentem designet oblationem proxime faciendam, quae in intentione praesens habetur.*

CAPUT XXV.

DE ORATIONE *QUAM OBLATIONEM.*

I. Post superiorem orationem, Sacerdos panem et vinum rursus benedicit, signans et quinquies signo Crucis, ut annuntiet in antecessum Iesu Christi mortem, quae Missae Sacrificio exhibetur et veluti ponitur ob oculos. Oblata autem benedicens, sic precatur: *Quam oblationem, tu Deus, in omnibus quaesumus* benedictam †, adscriptam †, *ratam* rationabilem †, *acceptabilemque facere digneris, ut nobis Corpus † et Sanguis †, fiat dilectissimi Filii tui, Domini nostri Iesu Christi.* Nullum ex his vocabulis temere adiunctum est. Singula suum habent sensum ad rem apprime accommodatum. Hic Sacerdos exprimit quinque praecipuas Sacrificii partes, nimirum victimae electionem et sanctificationem, oblationem, immolationem, consumptionem, communionem. 1.° Eligebatur victima Deo mactanda: hac electione fiebat e profana sacra, ac veluti benedicebatur et sanctificabatur. 2.° Offerebatur Deo

ante immolationem, eaque oblatione *adscribebatur* inter res Deo sacras. 3.° Immolatur; eaque immolatio erat veluti *ratihabitio* et perfectio oblationis, qua Deo consecrata fuerat. 4.° Tradebatur flammis, quibus consumpta eximebatur ab omni sorde et corruptione, factaque veluti spiritualis et *rationalis, accepta* erat Deo, cujus ad thronum ferebatur fumus victimarum incensarum, suscipiebaturque in odorem suavitatis. 5.° Denique communicabat populus sacrificio, vel spiritu iungendo se cum victimis, simulque petendo ut earum virtute placaretur Deus. Haec victima Christus est, is, quantum ad naturam humanam *sanctificatus est Incarnatione, oblatus* est Deo iam ipsa *Nativitate, immolatus est* Passione, *immortalis factus est* Resurrectione: *exhibuit se praesentem* Deo *Ascensione;* Huic denique communicamus, spiritualiter quidem per Baptismum, quo membra ejus efficimur, corporaliter autem per Eucharistiam. Haec Oratio *Quam oblationem* etc. a Pascasio in Libro de *Corpore et Sanguine Christi* Cap. 12 sic explicatur: *Rogamus hanc oblationem benedictam, per quam nos benedicamur: adscriptam, per quam nos omnes in Coelo adscribamur: ratam, per quam in visceribus Christi censeamur: rationabilem, per quam a bestiali sensu exuamur: acceptabilemque facere dignetur: quatenus, et nos per hoc quia in nobis displicuimus, acceptabiles in ejus unico Filio simus.* Haec Paschasius sub Augustini nomine citatus a Gratiano *de Consecratione* Distinct. 2 Cap. 72 et a Sancto Thoma 3. Part. quaest. 83 art. 4. Reperitur haec ipsa Oratio apud Ambrosium *Libro IV de Sacramentis* Cap. 5.

II. Petit Ecclesia insigne et prorsus singulare prodigium mutationis in Corpus et Sanguinem Christi Domini, idque ea ipsa simplicitate petit, qua Sacrae Litterae creationem exprimunt, *fiat lux*, quemadmodum etiam Divini Salvatoris Incarnationem in Maria Virgine: *fiat mihi secundum verbum tuum.* Nec solum petimus, ut oblatio evadat Christi Corpus et Sanguis, sed ut id pro nobis evadat: *ut nobis fiat;* De quinque Crucis signis, quae in hac Oratione fiunt, loquitur S. Bonaventura *in Expositione Missae*, et ait: *per quinque*

dicta signa indicari Christum, qui secundum carnem in quinque sensibus passus est, in visu cum illi velata est facies, in auditu, cum est irrisus, in gustu cum fel, et acetum ei propinatum est, in odoratu ex tetro odore corporum, cum Calvario Monte Cruci affixus est, in tactu cum ejus transfixi sunt pedes et manus. Durandus censet, illis tribus signis, quae fiunt supra Hostiam, et Calicem significari nefariam illam proditionem Iudae, qui Magistrum suum vendidit Sacerdotibus, Scribis, *et* Pharisaeis: censet autem semel Crucis signum duci super Hostiam, et semel super Calicem, vel ad significandas duas naturas, quas Iesus Christus unione hypostatica in se copulavit, vel ut intelligamus, Christum esse passum Anima et Corpore. In hac Oratione Ecclesia petit, ut fiat panis et vini transubstantiatio in Corpus et Sanguinem Christi. Haec petitio absurda videtur haereticis; absurdum est enim petere a Deo, quod certe novimus futurum esse. At futilis oppositio. Etiam Iesus Christus scribat se glorificandum a Patre; nihilominus Ioannes Cap. XVIII Deum Patrem deprecatus est, ut se glorificaret. Etiam Veteres Patres sciebant certo venturum Messiam, nihilominus adventum Christi in carne magnis precibus sollicitabant.

CAPUT XXVI.

DE FORMA CONSECRATIONIS, ET DE ORIGINE ELEVATIONIS.

I. Plures in Canone sunt actiones, quae tamquam a Christo factae commemorantur: Christum nempe in manus accepisse panem, oculos ad coelum sustulisse, gratias egisse, benedixisse, fregisse panem, ac praebuisse Discipulis. Christus Dominus Sacramentum Eucharistiae instituere volens, quo fidèles spiritualiter aleret, eosque mutuo consociatos rursus cum Deo conjungeret, panem et vinum sumpsit, quibus nullum aliud alimentum est usitatius, nullumque aliud magis naturae consentaneum, et plurium corporum simul conjunctorum et cohaerentium symbolum; quippe cum panis ex tritici granis multis, itemque vinum ex pluribus uvae granis, quae unam eamdemque massam, unum

eumdemque liquorem conficiunt, coalescant et constent. Haec verba *in sanctas ac venerabiles manus* summi proinde momenti sunt, ut significent, evincantque panis et vini mutationem in iis sanctis manibus fieri, in iis inquam, manibus quae tot prodigia perpetrarunt, visum caecis praebuerunt, infirmos sanarunt, panem in deserto multiplicarunt. Forma Consecrationis panis inde profertur, eaque consistit in illis verbis *Hoc est Corpus meum.* In Liturgiis Graecorum forma haec est: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur.* In Missali Mozarabico legitur: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Graeci, et alii Orientales verba consecrationis elata voce pronunciant, et populus respondet *Amen.* Servabat olim hunc morem etiam Ecclesia Occidentalis, omnesque audiebant sanctissima, et efficacissima verba, quibus Christi Corpus conficitur. Utraque Ecclesia Orientalis, et Occidentalis in hoc consentiunt, Bossueto teste, quod virtus illa, qua panis, et vinum in Christi Corpus, et Sanguinem convertentur, essentialiter in verbis Christi consistat; adeoque ab ipsis Consecrationis forma sit desumenda. Quod vero ad hanc vocem, *Forma*, attinet, ostendit Morinus, res, et verba, quibus Sacramenta constant, his vocibus, *materia et forma*, quas e Peripateticorum Schola Theologia adscivit, jam a pluribus Saeculis in utraque Ecclesia significari coepisse, easque tamquam utiles esse retinendas, ut fecit Concilium Tridentinum. Insuper cum enim Sacerdos ex persona Christi loquatur, et agat: profecto Consecrationem *significative* ut Theologi loquuntur, et formaliter profert.

II, Animadversione dignum est, post Coenam, nempe post Paschalis Agni comestionem, Iesum Christum Dominum Calicem, quem benediceret, accepisse. S. Lucas Cap. XXII duos nobis Calices distincte commemorat, unum quidem in ipso legalis cibi initio, qui Calix consecratus non fuit, alterum autem in fine, qui scyphus gratiarum actionis nuncupabatur; et hic sane verus Calix Eucharisticus evasit. Sumit ergo Christus in manus hunc praeclarum Calicem jam a Propheta praedictum *Calix meus inebrians quam praeclarus est* Psalmus XXII v. 7 insignem hunc Calicem, qui non am-

plius umbras et figuras Legales, sed in iis significatum pretiosum sanguinem continet. Eum discipulis praebuit, dixitque: Accipite, omnesque ex eo bibite *Hic est enim Calix* etc. Est hic Novi Testamenti, seu Novi Foederis Sanguis, quod aeternum futurum est. Praeterea primi Foederis sanguis super Iudaeos quibuscum Deus illud inibat, exterius tantum effusus fuit; alterius autem Sanguinis bibendus est, ut interius suscipiatur. Hac nimirum de causa Christus Dominus prodigio caeterorum maximo Sanguinem suum Apostolis, antequam mortem subiret, praebere voluit. Itaque Christus Discipulis dixit: *Bibite ex eo omnes;* meus enim hic Novi Foederis Sanguis est; quod quidem Foedus tum demum iniit, cum figuras, peracta Paschalis Agni comestione, consumasset. Illud iniit suo mortis Testamento, quandoquidem nonnisi per ejus mortem electus populus aeternam haereditatem consecuturus erat, quae per hoc foedus eidem promittitur. Duo haec verba *Mysterium Fidei* in Evangelio non adsunt id ergo credendum est, verba haec, *elevatis oculis in coelum, aeterni, et mysterium Fidei,* Ecclesiam ea omnia ex Traditione accepisse. Singula tamen haec in antiquioribus Sanctae Romanae Ecclesiae Sacramentariis existunt. Item in Canone Sacramentarii Gallicani Bobiensis a Mabillonio editi *Musei Italici* Tom. I pag. 280, quod utique antiquitatem supra annos 1000 praesefert. Praeterea illa verba in consecratione Calicis ab Ecclesia adhibita in Liturgiis Graecorum non extant. Major Theologorum sententia formam consecrationis concludit verbis: *Hic est Calix Sanguini mei*, quamquam Divus Thomas videatur eam producere usque ad ea verba: *Haec quotiescumque* etc. et ita cum Divo Thoma sentiendum esse nonnulli Thomistae apud Cardinalem Capisuccum, et Salmaticenses affirmant. At Soto, Cardinalis Gotti, et alii volunt, eum non de essentia, sed de integritate formae locutum esse; magnum vero interesse discrimen inter essentiam, et integritatem. Sed inter caeteros audiendus Cardinalis Bellarminus *Controversiarum* Tomus III *de Sacramento Eucharistiae* Lib. IV Cap. 12 ubi haec ait: *Etsi enim Theologi disputent, nec inter se omnino conveniant, utrum singulae voces, quae haben-*

tur in forma consecrationis Calicis in Latinis Missalibus, sint de essentia formae, tamen omnes conveniunt, omnes illas voces esse de integritate formae, ita ut sine peccato nulla earum omitti possit, et consensus in hac re sufficit, ut habeamus aliquid certi in consecratione, et confectione tanti Sacramenti.

III. Latini peracta Consecrationo, Graeci paulo ante Communionem, ut ex Liturgiis Iacobi, Basilii, et Chrysostomi manifestum est, Corpus Dominicum, et Calicem elevant, ut a populo adoretur. Idque ab antiquo tempore fieri solitum indicant Scriptores Graeci. Neque alius usus fuit Syris, et Coptis, uti observat Eusebius Renaudotius in Commentariis ad eorum Liturgias. Maronitae post Orationem Dominicam, et alias preces eamdem hoc ritu peragunt elevationem. Habet exemplum in Veteri Testamento haec Hostiae elevatio: nam passim legimus partem victimae a Sacerdotibus elevatam coram Domino Exodi Caput XXIX, Levitici Caput VII, et XXIII, Numerorum Caput V VI et VIII. Elevatio haec tum Hostiae, tum Calicis post Consecrationem coepit fortasse Saeculo XI, quum realem in Eucharistia Iesu Christi praesentiam negare ausus est Berengarius, post cujus haeresim solemne fuit pluribus Sanctis expressam, et peculiarem realis praesentiae professionem emittere, sic Sanctus Bruno paulo antequam moreretur, anno 1101; *Credo* dixit *quod panis et vinum, quae in Altari consecrantur, sunt verum Christi Domini Corpus, et verus ejusdem Sanguis.* Hincque fieri potuit, quod fidelibus post consecrationem ostendi sacra dona Ecclesia praescripserit, ut ii nimirum illa adorando, hanc eamdem professionem taciti emitterent. Primum hujusce ritus institutorem fuisse Hildebertum ex Episcopo Coenomanensi Turonensem Archiepiscopum conjicit Le Brun Tom. I p. 4 art. 8 cui subscribit Clar. Cajetanus Meratus *Commentaria in Gavantum* Tom. I part. I. Neque tamen quispiam hinc sibi persuadeat, hoc fuisse primum adorationis Eucharistiae initium: quae quidem adoratio tum interna, tum externa, a dogmate de reali Christi in Sacramento praesentia nunquam fuit, sejuncta; ut contra haereticos eruditissime probat Bossuetus. Constat insuper, primum tempore

Berengarii post Consecrationem elevari coepisse Hostiam, et Calicem, et utrumque quidem in quibusdam Ecclesiis, in quibusdam vero, inter quas Romana, tantummodo Hostiam; donec disciplina utrumque post Consecrationem elevandi in omnes Ecclesias transiverit. Quamquam apud Carthusianos etiam nunc sola elevetur Hostia, et in quibusdam Ordinibus Regularibus nullum elevandi Calicis praeceptum extet. Profecto Sancti Bonaventurae tempore in more positum erat, ut sola Hostia elevaretur; ut ex eodem Sancto Doctore apparet. Bellotte ad hanc rem ritum quorumdam commemorat, qui tria Crucis signa cum Hostia in sublime sublata ducebant. Solent quaedam Galliarnm Ecclesiae, dum tollitur in altum Hostia, eos versiculos canere: *O salutaris Hostia*, etc. idque rogante Ludovico XII ab Episcopis illius Regni ingruentibus undique bellis statutum fuit. Synodus vero Augustana Cap. XVIII quamvis permittat Antiphonas ad Sacrificium pertinentes sub elevatione decantari, recte tamen subdit melius fore, ex veteri Ecclesiae convenientius praesentiam Dominici Corporis in altissimo silentio prostratos venerari. Missale Carmelitarum post elevationem Calicis recitari praecipit diebus ferialibus Quadragesimae in Missa Conventuali psalmum *Deus venerunt gentes*, cum hac oratione: *Pientissime Deus* etc. Diebus vero Dominicis, et Festis eodem loco dicunt Psalmum *Laetatus sum, cum Orationibus Ecclesiae tuae, Hostium nostrorum, Deus a quo sancta desideria*. Hac Hostiam, et Calicem elevandi disciplina inducta, mos quoque invectus est; ut minister campanulam pulset: *ut sic mentes fidelium ad Orationem excitentur*, quemadmodum legitur in quodam Decreto Guillelmi Parisiensis Episcopi apud Cardinalem Bonam, et in alio Cardinalis Guidonis, in Germania Legati. De Ritu elevationis Hostiae, quo tempore is primum coeperit, erudite scripsit Ioannes Baptista Thiersius Lib. *de Expositione Eucharistiae* Cap. V, et VI.

IV. De elevatione ejusque causis verba facit S. Bonaventura agens de Mysteriis Missae, ubi hujus Caeremoniae plures morales, et mysticas rationes adducit. Cursim hic nonnullas, quas Auctores recensent, indi-

cabimus. Hugo Victorinus sustolli dicit panem vitae. Ex S. Germano elevatio Hostiae et Calicis, significat Crucis, et Christi in ea crucifixi elevationem, Durandus id fieri dicit, ut sciat populus consecrationem secreto factam, et Christum adoret. Palla cooperit Calicem post ejus elevationem, nunquam vero tegit Hostiam. Ob Mysterium id fieri dicit Durandus. In Calice repraesentatur Christus ut in Sepulchro: Christus in Sepulchro opertus fuit Syndone, Sudario, Lapide clauso, et signato. In Hostia repraesentatur Christus, ut in Passione extra Sepulchrum; ob id ille tegi debet, non ista. Peracta Consecratione Calicis in omnibus Liturgiis commemoratur mandatum Christi praecipientis, ut ipsum Sacrificium in ejus memoriam peragatur: *haec quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis.* Christus Dominus id faciendi quod Ipse fecit, potestatem Sacerdotibus contulit: *Hoc facite;* et quidem absque limitibus contulit. Sacerdotes sunt, inquit S. Hieronymus *Epistola ad Heliodorum, qui Christi Corpus suo sacro ore conficiunt, seu potius Christus ipse est, qui in iis, pro verbis quae proferunt, magnum hoc prodigium edit. Reputate,* inquit S. Ioannes Chrysostomus *Homilia de proditione Iudae in Sacerdote Christi manum, quae occulta vi quadam agit.* Hinc illud Patrum solemne monitum, ubi ad momentum temporis ventum est, quo Sacramentum per Consecrationem perficiatur, Sacerdotem non amplius ipsum, sed ut Christi personam agentem loqui, cujus ipsius scilicet verbis utitur. *In mei memoriam facietis.* Adeo excellens eximiumque opus hoc Sacerdotes edere debent in Divini Salvatoris memoriam, nempe ut ejus immensi amoris memoriam renovent. Postquam Sacerdos Calicem deposuit, dixitque: *Haec quotiescumque* etc. Variae rationes in hoc negotio extitere. Alicubi haec, ut et Consecrationis verba super Calice dicebantur. Alibi passim ea dicta fuere in ipsa Calicis elevatione, quod in Senonensi Ecclesia, penes Carmelitas, et Mediolani etiamnum obtinet. Ex XIV Romano Ordine verba haec post elevationem dicebantur, et ita quidem in Germaniae Ecclesiis compluribus, Treviris, et Tulli fieri consuevit; idemque Dominicanorum mos est, quem a Romana Ecclesia mutuati vi-

dentur. Verum ineunte Saeculo XVI Romana ipsa Ecclesia consecrationem inter et elevationem Calicis verba haec dicta voluit.

CAPUT XXVII.

DE PRECE UNDE ET MEMORES, SUPRA QUAE PROPITIO, ET SUPPLICES TE ROGAMUS.

I. In hac oratione, in qua etiam nomine populi Sacerdos commemoratis Passione, Resurrectione, et Ascensione Domini Nostri Iesu Christi, Aeterno Patri Corpus Filii ejus, et Sanguinem sub speciebus panis, et vini ante se positis offert; merito autem hic commemorat Sacerdos Passionem, Resurrectionem, et Ascensionem, ut per Passionem charitate, per Resurrectionem fide, et per Ascensionem spe omnes munire possimus, ac confortari. Quid enim magis charitatem in nobis accendit, quam memoria, quod ita Deus dilexit Mundum, ut Filium ejus Unigenitum daret? Quid in nobis Fidem firmat magis, quam memorari, quod Iesus resurrexit a mortuis, et mors illi ultra non dominabitur, sed mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit, ut sicut omnes in Adam moriuntur, ita in Christo omnes vivificentur? Quid magis tandem spem in nobis amplificat, quam memorari quid Redemptor ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus, et ivit parare nobis locum in caelis, juxta illud Ioannis Caput XIV *Vado parare vobis locum*. Haec Commemoratio Passionis, Resurrectionis, et Ascensionis Christi habetur etiam in Liturgiis S. Clementis, Basilii, et Ioannis Chrysostomi, ac in caeteris omnibus, uti testatur Menardus in notis *ad Sacramentarium* pag. 19. Ea, quae praecipue hic se nobis exhibent explananda, in primis illa sunt verba: *Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, panem sanctum vitae aeternae, et Calicem salutis perpetuae.* Ad quae verba Rubrica adnotat quinque crucesignationes esse faciendas. Hinc cum haec omnia egregie, et satis congrue, luculenterque jam explanaverit Soto in IV *Sententiarum Dist. 13 quaest. 2*

art. 5 non erit abs re hic ejusdem verba per extensum afferre. *Ut ante*, inquit, *Consecrationem petitur ut materia fiat benedicta, adscripta, et rata, sic. et consecrata Hostia, nempe Christus, offertur tamquam Hostia pura ad differentiam Sacrificiorum gentium, quae impura erant, et corrupta. Sancta ad differentiam oblationum veteris Legis, quae non erant eatenus sancta, ut animam sanctificarent, sicuti haec nostra, quae tollit peccata mundi; et ideo subditur, immaculatam, ob id enim quod Christus agnus fuit, innocens, qui peccatum non fecit, tollit peccata mundi, quod est homines sanctificare. Est ergo Hostia pura, et purificans, sancta, et sanctificans, immaculata, et maculus tergens. Quod vero demum adjungitur Panem vitae aeternae, et Calicem salutis perpetuae, definitio, et explicatio ejusdem est Hostiae; ut enim Sacerdotes veteris Legis de Sacrificiis edebant, quibus vitam temporalem sustentabant. sic Christiani esu, et potu Sacrosancti Sacrificii spiritualem, atque adeo aeternam salutem sibi comparant.* Hostiam puram etc. nimirum uti observat Pouget Corpus ipsum et sanguinem Christi. Hic Sacerdos notat Prophetiam Malachiae, in qua praedictum erat offerendam esse in omni loco puram et mundam oblationem. Ad quinque Crucesignationes, quod attinet, advertendum esse censeo. quod tradit Divus Thomas 3 part. quaest. 83 art. 5 ad 4 praedictas quinque Cruces hic fieri non ad benedicendam materiam consecrandam, sed solum ad commemorandum virtutem Crucis, et modum Passionis Iesu Christi. Fere eadem expositio habetur etiam apud Stephanum Eduensem de Sacramento Altaris Cap. 17. Esto Crucis signum per se, et immediate institutum sit, ad significandam Christi passionem, qua Cruci affixus, totum pro nobis suum profundit pretiosissimum Sanguinem. Hinc animadvertit Micrologus, Cap. 14 quod in hoc Sacrificio aut una tantum, aut tres, aut quinque fiunt Crucesignationes, ut per unam essentiae Divinae unitas detur intelligi, per trinam Divinarum Trinitas Personarum designetur, et per quintuplicem quinque Christi vulnera exprimantur. Non desunt, qui mysticas alias varias ponderationes super Crucis signum exhibent ad excitandum eo magis fervorem, venerationem,

ac devotionem, quae huic Sacrificio satis nunquam, et ut par est producuntur. Et Bossuetus Tractatu de Missa Cap. 41 Benedictiones inquit quae fiunt super Corpus et Sanguinem Christi ad eos diriguntur, qui Corpus et Christi sanguinem sunt sumpturi, ut digne, ac fructuoso, et non in cassum suscipiant; nec alia ratione super Christi Corpus, et super ejus Sanguinem relaxantur Benedictiones, nisi ad significandas, et exprimendas Benedictiones, et gratias, quibus Sacramentum hoc abundat, et large, ut ita dicam, sine mensura, in nos per ejus sumptionem effunderentur, si crimina non obstarent nostra.

II. Per hanc precem *Supra quae propitio ac sereno vultu* a Deo petit Ecclesia, ut ne renuat donum quod ei super Altari Sacerdotes offerunt, aequo perinde animo accipere, atque Abel munera, Abrahae Sacrificium, et Melchisedech oblationem accepit. Hi sancti Homines Deo gratissimi fuere, suasque oblationes Deo gratas exhibuere ob animi praeparationem qua eas exhibebant. Felices Sacerdotes, ac Fideles, siquidem ita sint animo comparati, ut Deo placeant, dum ei Sacrificium offerunt, quemadmodum eidem Victima, quam offerunt, placet ipsa per se. Hoc loco danda est opera, magnum ut mysterium quod oblationum veterum Patriarcharum cum Ecclesiae Sacrificio quo Christus offertur, comparatio continet explicetur. Ecclesiae doctrina est Christum Dominum semper in terris oblatum fuisse; unam tantum Religionem, Servatorem unum esse, in quo homines in gratiam cum Deo redire potuerint; vetera Sacrificia eo tantum ex capite Deo grata esse potuisse, quod Divinum hunc Salvatorem repraesentarent, Sanctos antiquae Legis Patriarchas Divini Numinis splendore illustratos nunquam sibi Messiam ex oculis elabi passos esse; Iudaeos in deserto, tametsi rudes essent, omnes tamen *eumdem spiritalem potum bibisse;* quandoquidem, ut Apostolus loquitur, *ex spiritalis petrae quas eos consequebatur; aqua biberunt; haec autem petra Christus erat*. Totum ergo discrimen quod veterem inter novamque Legem interest, illud est, quod in ea Christus Dominus in imagine tantum ac figura offerebatur, quem nos quidem Ipsum reapse offerimus. Sane

complures exhiberi possent ejusmodi figurae Sacrificii Christi Domini, quae satis illud ad vivum exprimerent. Earum profecto bene multas Apostolicarum Constitutionum Liturgia in medium adducit, at Ecclesia in Canone selegit Abel, Abrahae, et Melchisedech Sacrificia, quae Divinum Salvatorem supra cetera mirandum in modum exhibent. Abel innocens primitias armentorum suorum cum fervore et fide offerens Deo, et a fratre invido occisus, Christum ipsum expressit innocentem, Iudaeorum invidia mori traditum, et offerentem se Deo in Sacrificium iam ab ipso vitae exordio. Unde Augustinus Lib. XV de *Civitate Dei* Cap. 17: *Occiso Abel*, inquit, *atque in ejus interfectione commendato mirabili Sacramento*. Altaria quidem erexit Abraham, ubicumque versatus est Gen. Cap. XII et XIII itemque Sacrificia complura obtulit, at Ecclesia magnum ac mirabile illud unum Sacrificium ob oculos habet, quo Sanctus Patriarcha unicum filium Isaac obtulit, dum eum vinxit, et Altari imposuit, dum denique ferrum extulit, ut Deo pareret. Hoc Sacrificium Christum expressit, qui est auctor Fidei nostrae, et factus obediens Patri, semetipsum Sacerdos simul et victima morti tradidit et a mortuis suscitavit. Iam vero Patriarcha dicitur Abraham, propterea quod ob eam quam Deo praestitit, obedientiam complurium Nationum, innumeraeque posteritatis Pater statutus fuit, ac peculiariter Patriarcha noster est. Melchisedech Sacerdos, et secundum significationem nominis Rex pacis et iustitiae, Sacerdos, inquam, iu aeternum, Sacerdos triumphato hoste sacrificans, Sacerdos Aarone major, Sacerdos panem et vinum offerens, quam expresse Iesum Christum his omnibus adumbraverit nemo non videt. Patriarcha hic, nempe Melchisedech a caeteris omnibus, quicumque ante Moysen et Aaron Sacrificia obtulerunt, peculiari hac *Summi Sacerdotis* nota distinguitur. Tum Sacerdos hic in Sacra Scriptura sine genealogia memoratur, praeterea Rex justitiae, Rex pacis, Sacerdos Altissimi qui panem et vinum offert, Deique filio similis dicitur, ut loquitur S. Paulus ad Hebraeos Caput III. Itaque Abel, Abraham, et Melchisedech triplici illo Sacrificio quod suo quisqne modo obtulit, magnum illud expresserunt

Sacrificium quod Iesus Christus nascens inchoavit, moriens in Cruce immolavit, coelo receptus consummavit, et in Altari Eucharistico quotidie exhibet et continuat. Est ergo plena mysterii et mirabilis prorsus quam hic facit Ecclesia mentio triplicis illius Sacrificii, expresso Abelis, Abrahae, et Melchisedeci nomine. Addatur et illud Abel, Abraham, et Melchisedech nos docuisse, cujusmodi Sacrificia nostra esse debeant. Nimirum Abel quidem id obtulit, quod optimum erat; Abraham vero id quo nihil in terris charius habebat; denique Melchisedech dum communia tulit, cujusmodi panis, vinumque sunt, omnem a se ostentationem, ad unam et unicam Dei gloriam offerens abdicavit. Anastasius in Vita Leonis Magni refert eum constituisse, ut intra actionem Sacrificii diceretur *Sanctum Sacrificium, immaculatam hostiam*, quae sunt postrema verba hujus orationis.

III. Ante medium Altaris manibus iunctis super eo positis prosequitur Orationem *Supplices te rogamus* etc. externo gestu summam indicans animi demissionem supplex Deum rogat. Hanc orationem mysteriis plenam, a Sacerdote inclinato dicendam esse prisci Scriptores tradunt, uti Amalarius, Lib. III Cap. 26; Hugo Victorinus, Lib. II Cap. 34; Innocentius III, *Mysteriorum Missae* Lib. V Cap. 5; Durandus et alii. Saeerdos Orationem hanc recitans olim non innitebatur Altari, sed brachia in Crucis formam componebat, ut faciunt etiamnum Carthusiani; Carmelitae, et PP. Praedicatores. Et Missale Aquisgranense annorum circiter 300 *superpositis brachiis in modum Crucis*. Extenduntur etiam hic manus, ut gestu corporis repraesentetur Iesu Christi passio, ut tradit Micrologus Cap. XXVI. Consonat Innocentius III Lib. V Cap. 3. Exhibet Ecclesia precem hanc eorum omnium nomine, qui Communionis participes futuri sunt. Dum petit, ut Deus jubeat perferri per manus Angeli sui oblata, non petit, ut Angelorum ministerio Corporis, et Sanguinis Christi mysteria deserantur in coelum, vel species sacramentales, sed petit, ut vota; fides, et preces tam propriae, quam aliorum fidelium deserantur in sublime Altare Dei, quemadmodum Raphael Tobiae dixit, se Deo ejus preces,

et lacrymas in sublimi Altari coram Divina Majestate exhibere. Ita Innocentius III Lib. V Cap. 6 et S. Thomas. Sed ad rem audiatur Pouget *Institutiones* Catholicae T. II Caput septimum: *Cum indignos,* inquit *nos esse sentiamus, quorum e manibus hostiam hanc immaculatam Deus suscipere dignetur, petimus ut Deus mittat aliquem ex sibi adstantibus Angelis, qui hostiam hanc pro nobis et nostro nomine ad Altare Dei, idest, ad Christum ipsum in caelo Patri assidentem perferat, ut prosit nobis ad salutem oblatio hic a nobis facta.* Ex quo poscat Sacerdos, *ut omni benedictione coelesti, et gratia repleantur quotquot Christi Corpus, et Sanguinem sumpserint ex ea Altaris participatione*, ejusmodi locutiones evincunt precem hanc ad eos singillatim spectare qui Eucharisticae Communionis Sacramentum percipiunt. Hi quidem Sacramenti quod super Altari Templorum nostrorum est, participes sunt, eosdemque optat Ecclesia bonorum quae ad Coeli Altare spectant, participes fieri. Sacerdos dum nominat Christi Corpus facit super Hostiam signum Crucis, ducit super Calicem, cum nominat sanguinem, ducit super seipsum, cum nominat *benedictionem coelestem et gratiam.* Innocentius III Lib. V Cap. 5 dicit, signum Crucis fieri super Corpus *propter sudorem Corporis,* quo Christus in sua Passione maduit, super Calicem propter *guttas sanguinis* quem in Passione fudit, signare vero seipsum Sacerdotem quia Christus *procidit in faciem suam.* Addit insuper duo prima signa Crucis significare vincula et flagella Christi, tertium vero innuere satellites, qui Christi faciem conspuebant. S. Thomas per trinam crucesignationem ait, repraesentari extensionem Corporis, effusionem Sanguinis, et fructum passionis.

CAPUT XXVIII.

DE COMMEMORATIONE PRO MORTUIS.

I. Sacerdos orat pro mortuis in hunc modum *Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum NN. et qui nos praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis.* Verbum illud *etiam* non sup-

ponit praecessisse aliud peculiare *Memento*, aut esse superfluum sed cum ante consecrationem pro vivis dictum fuerit *Memento*, merito interiicitur vox illa *etiam* ad indicandam Orationem, quae hactenus facta fuit pro vivis, deinceps continuari pro Defunctis. Nulla prorsus est Liturgia, quae non habeat Orationem pro Defunctis. Hoc ab Apostolis traditum universa per totum Orbem observat, et observavit Ecclesia, ut pro Defunctis inter Missae Sacrificium oretur. Ad rem audiatur Chrysostomus *Homilia 69 ad Populum Antiochenum: Non temere*, inquit, *ab Apostolis haec sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis Defunctorum agatur commemoratio.* Pro iis tantum orat Ecclesia qui Fidei notis insigniti obierunt, cum ea quae Religionis sunt, perfecissent, cum denique extremum spiritum agentes Christianae Fidei charitate animatae specimina praebuissent. Ejusmodi hominum mors somnus dicitur, qui enim ita moriuntur, a suavi quasi somno excitati procul dubio ad aeternam vitam resurgent. Praeterea pacis somnus dicitur eorum mors, quippe qui in Ecclesiae Communione moriantur, quae semper pax dicta fuit. Ex veteri loquendi ratione in pace mori nihil aliud erat quam mori cum Ecclesiasticae Communionis significatione, in unitate ac societate cum Christo, et eius Ecclesia. Etsi pro aliquibus singillatim oretur, Ecclesia tamen pro omnibus universim fidelibus orari vult; ut enim S. Augustinus monet in Tract. de *Cura pro mortuis* Cap. 4 *Supplicationes*, inquit, *pro omnibus in christiana et catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus eorum, sub generali commemoratione suscipit Ecclesia, ut quibus ad ista desunt parentes, aut filii, aut quicumque cognati, vel amici, ab una eis exhibeantur pia matre communi.* Pro Defunctis petit Ecclesia *locum refrigerii, lucis et pacis: refrigerii*, propter ignem, *lucis*, propter tenebras, *pacis*, propter mentis anxietates: quo triplici supplicii genere purgantur.

II. Oratio *Memento etiam Domine*, in pluribus Monumentis ecclesiasticis sic inscribitur: *Oratio super Diptycha.* Nomina enim fidelium Defunctorum tabulis inscribere, et intra Missarum solemnia recitare antiquissima consuetudo est, et Apostolicum institutum. Haec

autem Defunctorum memoria eodem pariter modo, ac ritu fiebat, quo vivorum paulo ante facta fuit commemoratio, ita ut primum omnes propriae Sedis commemorarentur Episcopi, unde in Codice Colbertino, quem citat Martene de *antiquis Ecclesiae Ritibus* Tom. I Cap. 4 art. 8 num. 23 post haec verba: *Memento etiam, Domine, famulorum* etc. additur *Episcoporum praesentis Ecclesiae*. Deinde subdebantur aliorum Sedium Antistites, qui in Fide Catholica, et Ecclesiae sinu defuncti erant; nam haeretici, aut schismatici, si forte Diptychis inscriberentur, eorum nomina statim ab iis expungebantur, uti recte observat Cardinalis Bona, *et merito quidem; neque enim apud Altare Dei* inquit S. Cyprianus Epistola 66 ad Clerum et Populum Furnensem *meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes, et Ministros voluerit avocare.* Post Episcopos ceterorum quoque demortuorum memoria recolebatur eo ferme ordine, ut primo Sacerdotes, reliquusque ordo ecclesiasticus, tum Imperatores, postremo etiam laici sive mares, sive faeminae publice edicerentur. Adhaec peculiariter inter laicos recitati, qui Ecclesia alienam fundarant, vel quodpiam aliud beneficium in eam contulerant. Lectis autem Episcopis demortuis, clamabat populus: *Gloria tibi Domine;* quod factum fuit in Concilio Oecumenico V. Erat sane illa Episcopalium nominum recitatio quaedam quasi virtutum eorumdem depraedicatio. Martene usque ad XII Saeculum nomina Defunctorum palam recitata esse ostendit. At desiit usus Diptychorum, et tunc in Monasteriis praesertim mos invaluit, ut describerentur nomina Defunctorum in Libro, quem *Necrologium* vocabant. Quotidie ex hoc libro legebantur nomina eorum, qui ipsa die obierant, et pro ipsis cum Oratione competenti cantari solebat Psalmus *De Profundis,* sicut hodie fit in Coenobiis bene institutis post generalem Defunctorum commemorationem, ut notat Cardinalis Bona *Rerum Liturgicarum* Lib. II Cap. XIV. Plura ejusdem consuetudinis testimonia exhibent Epistolae S. Bonifacii Martyris; nam *Epistola* 24 Fratrum defunctorum nomina se mittere scribit Aldherio Abbati. Ritu Mozarabum nomina eodem contextu leguntur paulo post Of-

fertorium, primo quidem vivorum, deinde defunctorum. In hac Oratione Sacerdos debet agere specialem memoriam Defunctorum, quorum habere maluerit, ut ait Innocentius III Sacerdos pro ipsis orans mentaliter oret, et non verbaliter, oculosque fixos habeat semper ad Hostiam a se consecratam.

CAPUT XXIX.

DE ORATIONE *NOBIS QUOQUE PECCATORIBUS.*

I. Orationi pro defunctis alia subnectitur incipiens: *Nobis quoque peccatoribus*, qua seipsum, et adstantes Deo Sacerdos commendat, ut sibi, et aliis Sanctorum societatem, et partem aliquam beatitudinis donare dignetur. Innocentius III Lib. V *Mysteriorum Missae* rationem affert, cur Sacerdos ad verba: *Nobis quoque* vocem elevet, pectusque percutiat: *Quum ventum est ad id Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, Sacerdos paululum expressa voce percusso pectore silentium interrumpit, repraesentans contritionem, et confessionem Latronis in Cruce.* Vocis mutationem in Oratione hac notant Beda, Amalarius, et Micrologus. In Missali Mozarabum Sacerdos percutiens pectus, ait: *Pone Domine finem peccatis nostris.* Aliquot Sancti hic recensentur, quorum in priore parte Canonis mentio facta non est. Et primo quidem loco nominatur Ioannes, non Evangelista, ut putat Alexander Alensis in *Expositione Missae*, sed Ioannes Baptista Praecursor Domini, quem etiam commemorant post consecrationem Basilii, et Chrysostomi Liturgiae atque hoc loco ex Prophetis recensetur, quia paulo ante Domini passionem capite truncatus occubuit. Caeteri ex diversis Ordinibus selecti sunt, ex Diaconis Stephanus, ex Apostolis Matthias, ex discipulis Barnabas, ex Episcopis Ignatius, ex summis Pontificibus Alexander, ex Presbyteris Marcellinus, ex Clericis minorum Ordinum Petrus, ex conjugatis Felicitas, et Perpetua, ex Virginibus, quas a Gregorio Magno Canoni adjunctas scribit Aldemus Episcopus Libro *de Virginitate* Cap. 25 Agatha, Lucia, Agnes, Coecilia, Anastasia. Nono saeculo in aliquibus Galliae Eccle-

siis intrusa fuerunt in hanc orationem nomina Confessorum, qui specialiter in illis colebantur, ac restitutus postmodum fuit vetus mos nominandi in Canone solos Martyres. Ritu tamen Ambrosiano plures adjiciuntur, eorumque nomina recitantur ordine a Romano Missali diverso. In Missali Plenario Vaticano, post Sanctam Anastasiam, additur Euphemia, Victoria, Anatholia, quae martyrium passae sunt sub Decio. De his vide Agiographos Bollandianos ad diem IX Iulii. In Codice Tiliano ex fide Menardi *Notae in Sacramentarium* pag. 21 additur Euphemia. Alias additiones ex Codicibus Vaticanis, indicat Cardinalis Bona. Nonnullas item additiones post Anastasiam ex vetustissimis Codicibus exhibet Martenius Lib. I *de antiquis Ecclesiae Ritibus* Cap. IV art. VIII. Cur autem Matthias Apostolus hoc loco recitetur, non vero cum aliis Apostolis ad *Communicantes*, videlicet quia Passionis tempore S. Matthias ad apostolatus dignitatem nondum evectus erat, uti ex Actis Apostolorum constat Cap. I v. 26. Cur item Stephanus hoc loco ante Matthiam nominetur ratio est, quia ante ipsum post passionem Domini ille primus omnium Martyrum triumphavit; Ecclesia quippe in hac Oratione non ad dignitatem, sed ad martyrii ordinem respicit. Cur autem tum ante, tum post Consecrationem ideo fit, ut eorum obtineamus suffragia, ipsorum communionem consequamur, virtutes denique adipiscamur, et gratias, quas nobis ex Sancto Sacrificio possumus polliceri; fit vero etiam post Consecrationem, quia Deum oramus, ut in dictorum Sanctorum caetum nos adscribere dignetur. Ac propterea prima commemoratio dicitur *ad suffragium*, secundo *ad consortium*. Caeterum observat Merati ad Gavanti Rubricas Pars II Tit. IX etiam optime institutam fuisse hanc deprecationem: quia cum Sacerdos paullo ante oraverit pro aliis, tum vivis, tum defunctis; modo progreditur ad orandum etiam pro se ipso, quia et ipse circumdatus est infirmitate, et debet quemadmodum pro aliis, ita etiam pro se ipso Sacrificium offerre; non autem se ipsum indicat singulari numero, sed plurali dicendo: *Nobis quoque peccatoribus:* quatenus Sacrificium quod offertur, non est singularis personae, sed militantis Ec-

clesiae, cujus loco, et vice Sacerdos, ut Minister ejus sacrificat, et orat, seipsum, et alios peccatores pronuntians, memor scilicet dilecti illius Christi Discipuli; qui licet ob vitae suae puritatem, et innocentiam supra pectus Domini recumbere meruisset; sui ipsius tamen, et condiscipulorum suorum, totiusque conditionis humanae fragilitatem non dubitavit agnoscere dicendo: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.*

II. 'Peracta Sanctorum, et Sanctarum enunciatione, subdit Sacerdos, *intra quorum nos consortium non aestimator meriti* etc. non debent sumi in hoc sensu, scilicet, quod Deus bonorum meritorum non sit aestimator; est enim non tantum aestimator, sed ultra mensuram quoque generosus remunerator: usurpatur itaque ibi meritum relate ad id, quod peccata nostra merentur; habent enim et peccata meritum suum, sed malum, quod poenis retribuitur, et adversitatibus, juxta illud *propter peccata veniunt adversa.* Hinc Divus Augustinus Libro *de cura pro mortuis* Cap. I sic habet: *Quorum tam mala sunt merita*; ut itaque per Iesu Christi bona, ac infinita merita, venia tribuatur meritis malis nostris, et cum adstantibus praecipue admittatur in Coelo, Sacerdos prosequitur: *Per quem haec omnia Domine semper bona creas.* Intermiscitur orationi huic solita clausula: *Per Christum Dominum nostrum*, quam Sacerdos profert immediate ante illa verba, *Per quem haec omnia* etc. quia Christus ipse dixit, *nemo vadit ad Patrem nisi per me;* ipse enim, ut habetur Ioannis Cap. X *est Pastor ovium, et ovilis ostium.* Post clausulam *Per Christum Dominum nostrum* ex Rubrica non praecipitur dici *Amen*, ut detur intelligi, quod clausula haec connectitur seu connexionem servat cum his *Per quem* etc. ut advertit Biel Cap. 60 et Gavantus hic; et consequenter orationem omnino adhuc continuari, et ad eandem Canonis partem spectare. Mos erat olim fruges ad Altare benedicere, uti ex veteribus Missalibus et Liturgiis comprobat Cardinalis Bona Lib. II Cap. 14 num. 5: *Finita, inquit, hac oratione, post illa verba, largitor admitte, si novae fruges, aut quaelibet alia, humanis usibus inservientia,*

benedicenda erant, ante Altare olim collocari solebant, et hic a Sacerdote benedici, et terminata benedictione solita clausula, Per Christum Dominum nostrum, sequentem addebant orationem. Per quem haec omnia Domine semper bona creas; *quae, ut* notat Lucas Dacherius non solum referuntur *ad oblata, sed etiam ad res tunc benedictas, quas Deus creat, sive producit, easque petimus, ejus benedictione sanctificari nostris usibus profuturas.* Hujus autem antiquae consuetudinis benedicendi novas fruges, ac terrae fructuum primitias, aliaque comestibilia, ad Altare in Missa dicitur auctor S. Eutychianus in detestationem haeresis Manichaeorum, qui fructus omnes a malo principio, ob lapsum primorum, productos esse affirmabant, ac propterea dictus Summus Pontifex quoscumque fructus terrae propria oratione benedici, per Verbum Dei sanctificari, Deoque gratias pro illis datis, et conservatis agi tamquam vero rerum omnium Creatori, ac Domino decrevit, ad Missam hoc loco post illa verba: *Largitor admitte.* Martene refert monumenta benedictionis novarum frugum in Festo Ascensionis Domini, novorum pomorum in festo S. Iacobi Apostoli, et novarum uvarum in festivitate S. Xysti Martyris. Ex quibus infertur quod preces illae *per quem haec omnia Domine semper bona creas*, non solum ad Christi Corpus, et Sanguinem referebantur, sed etiam ad novas fruges benedictas: modo autem cum in hac Missae parte non amplius frugum benedictio fiat, seu fieri soleat, et eadem verba retineantur in qualibet Missa super Christi Corpus et Sanguinem cum Cruce signationibus; congruentibus optimas, et altissima Mysteria, quae sub ipsis verbis continentur, modo exponemus. Accurate verba haec omnia saeculo IX Amalarius, Florus, et Remigius Antissiodorensis explicuerunt. Creatio panis et vini, tamquam hujus Sacrificii materia per *Creas*. Per Iesum Christum scilicet dona haec ad Altare oblata evadunt sacra dona, a communi usu secreta per *Sanctificas*. Transubstantio in Corpus et Sanguinem Christi supradictae materiae per *Vivificas*. Caelestis in nos benedictio per *Benedicis*, tandem actualis caelestium Benedictionum, atque gratiarum consecutio per *Prae-*

stas nobis. Item ex Divo Thoma Opusculo 66 per verba illa commendatur Persona Filii per multiplicem potestatem, ostendendo eum esse primo Deum naturae, secundo Deum veniae, tertio fontem vitae, quarto Regem gloriae.

III. Sacerdos dum dicit *Sanctificas, vivificas, benedicis, et praestas nobis*, tria Crucis signa ducit super Hostiam et Calicem. Haec tria Crucis signa juxta Sanctum Thomam designant tres illas Orationes Iesu Christi in Cruce, quarum prima est cum oravit pro persequutoribus: *Pater ignosce illis:* altera cum dixit: *Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me?* tertia cum ait: *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum*. Tria Crucis signa ducta ab una ad alteram oram Calicis ad verba *per ipsum, cum ipso, et in ipso* putat Angelicus significare tres horas, quibus Iesus pependit in Cruce: duobus autem signis, quae fiunt extra Calicem, ait, innui separationem Animae a Corpore: Ita in 2 p. quaest. 83 art. 5 ad 3, ubi etiam scribit, breviter dici posse tot Crucis signa ostendere, e virtute Crucis Christi manare consecrationem hujus Sacramenti, acceptationem hujus Sacrificii, et ejus fructum. Insuper *Per ipsum, et cum ipso* etc. scilicet per Christum, in Christo, et cum Christo omnis honor, omnisque gloria Deo Patri Omnipotenti exhibetur. *Per ipsum*, inquit Florus, *tamquam verum Mediatorem Deum inter, et homines, Iesum Christum Deum simul et Hominem; cum ipso, tamquam Deo aequali Deo; in ipso tamquam Patri consubstantialis*. De tribus Crucis signis, cum dicitur *per ipsum, et cum ipso, et in ipso* agit Meratus ad Gavantum Part. I Tit. XI et ait, ea duci supra Calicem, quia tunc Sacerdos nominat Christum, qui solus mortem subiit, et Calicem Passionis potavit. Tres Cruces vero efformantur, quia Iesus Christus passus est in Corpore, in Anima, et in honore juxta S. Thomae doctrinam. Quod vero ad alia duo Crucis signa, quae Sacerdos facit inter se et Calicem, advertit, quod licet in Catholico sensu possit affirmari propter unionem hypostaticam in Christo Deum esse passum; tamen minime dici potest, passum esse Patrem, aut Spiritum Sanctum, idcirco duo illa signa extra Ca-

licem fieri debent ad verba *est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus Sancti*. Denique posset etiam dici praedictas duas Cruces extra Calicem significare duas naturas Christi Domini, Humanam et Divinam: In quarum prima passionis dolores persensit; in secunda vero, quamvis passionis dolores non senserit propter suam essentialem beatitudinem; Passionis tamen injurias, ut ait Vigilius Tapsensis Lib. II contra Eutychetem, etiam ejus Divinitas pertulit; Passionem vero sola ejus caro persensit. Dum dicuntur ea verba *omnis honor et gloria* Calix et Hostia tolli debent, et elevari ad altitudinem quatuor digitorum, ut monent Sacrorum rituum Scriptores. In quibusdam Ecclesiis ad hanc elevationem pulsatur campanula. Haec elevatio vetustior est illa, quae fit separatim post consecrationem. Ante Saeculum XII ad haec sola verba *omnis honor et gloria* fiebat elevatio. De ista mentio fit in Liturgiis Basilii, et Chrysostomi. Perspicimus insuper ex Romanis Ordinibus I II et III, cum Pontifex diceret: *Per quem et cum ipso;* per Archidiaconum fuisse elevatum Calicem, ac juxta Pontificem exaltatum. Idem refert Micrologus Cap. 15, qui nullam de prima elevatione (idest statim post consecrationem) mentionem facit. Ritus hanc elevationem faciendi bene concordat cum verbis *omnis honor et gloria;* haec enim in exaltatione Calicis et Hostiae manifestantur. Sensim vero haec elevatio, quae major olim, et solemnis erat, minor, ac minima esse coepit, postquam, ut animadvertit Benedictus XIV elevatio maxima post consecrationem in more posita fuit.

CAPUT XXX.

DE ORATIONE DOMINICA.

I. Dominica oratio omnibus aliis orationibus antecellit, quia a Christo Domino nobis tradita paucis verbis ordinate dispositis, omnia continet, quae sancte a Deo petenda sunt, et quo petenda sunt ordine. A quibusdam Patribus haec Oratio dicitur *Legitima* veluti a Tertulliano Libro *De Fuga: Sed in legitima Oratione*

cum dicimus ad Patrem: Et ne nos inducas in tentationem. Item Augustinus *Sermone 126 de Tempore: Moneo vos charissimi, ut precem legitimam Patri, et Deo offerendam ante discatis.* Ab eodem etiam haec Oratio *caelestis* appellatur. Brevitate sua commendatur, propter quam ab omni aetate, et sexu, a rudibus et imperitis, non minus quam ingenio et doctrina praestantibus viris memoriae commendari facile potest. Divinam istam Orationem caelestis doctrinae compendium S. Cyprianus vocat. Itaque et plenitudine sua caeteris orationibus antecellit Dominica Oratio, quia nihil in illa praetermittitur eorum quae a Deo postulare fideles possunt ac debent. Septenarius ille petitionum numerus Beatitudinibus Evangelicis et septem Donis Spiritus Sancti respondet. S. Cyprianus in Tractatu de Oratione Dominica docet hanc orationem ad Christianos solos pertinere: *Homo novus,* inquit, *renatus, et Deo suo per ejus gratiam restitutus, primo in loco dicit Pater noster quis es in coelis.* Oratio Dominica quotidiana est fidelium medicina, ut docent SS. Patres, et inter alios S. Augustinus. Haec Oratio Catechumenis tradebatur post Symbolum ex Ecclesiae Disciplina, et post octo dies a Competentibus reddebatur, idest, recitabatur, ut ante Baptismi susceptionem nossent non solum quid credere, sed quem, et quomodo invocare deberent, ut constat ex Augustini Sermonibus LVI, LVII, LVIII et LIX. Hanc Orationem *ignorare nulli Christiano* licet, inquit Concilium Remense II anno 813 celebratum, Canone II. Quamplurimae sunt, ut vix eas facile numeres, veterum, recentiumque hujus sacratissimae Orationis expositiones. Bene multas inter caeteros nostri temporis Scriptores collegit ex SS. Patribus Franciscus Amatus Pouget Tom. II *Catecheseos* Part. 3 Sect. 2 Cap. 4 § 1 et seq. a pag. 604 usque ad 669, ubi post singulas petitiones, earum proprias explicationes mysticas etiam atque symbolicas, appositis ipsorum veterum Doctorum testibus aptissime profert. Suam pariter singularem tandem meretur brevis ejusdem Orationis Dominicae expositio, quam ex nonnullis item antiquis Scriptoribus, aliisque medii, ac recentis aevi Theologis, nec non clarissimis Sacrae Scripturae Interpreti-

bus exegetice illustrat insignis Scriptor Augustiani alumnus, P. Ioannes Laurentius Berti de *Theologicis Disciplinis* T. IV Lib. XXIII Cap. 13. Sunt et alii ejusdem sublimissimae orandi formulae nobis divinitus a Iesu Christo traditae praeclari Explanatores, et Paraphrastae, sed recensitos indicasse sufficiat.

II. Dignum, et conveniens fuit post actionem sanctissimam Sacrificii, Orationem recitari quam Salvator docuit, ut ejus acerbissima Passionis praemissa commemoratione Fidelium petitiones facilius a Deo Patre exaudiri mereantur. Errant autem qui putant hoc a Gregorio Magno statutum fuisse, veterem quippe, et Apostolicam consuetudinem esse ipsemet Gregorius testatur Lib. VII Epistola 64. Hieronymus etiam ait Lib. III adversus Pelagianos Apostolos quotidie Orationem Dominicam solitos dicere in Sacrificio. De prisco autem ipsius usu in Missae celebratione testimonium perhibent tum omnes Liturgiae, tum Sancti Patres Gregorio antiquiores. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi Mystagogica* 5: *Post haec*, inquit, nempe post commemorationem Fidelium Defunctorum, dicimus *Orationem illam quam Salvator suis Discipulis tradidit*. Caesarius Arelatensis *Homilia* 221 quae est de Sacrificio Missae ait: *Quando Oratio Dominica dicitur*, *quis est* qui humiliter, *aut veraciter clament*: *Dimitte nobis debita nostra*. Eidem Ecclesia praefationem veluti quamdam praemittit, ut Fidelium animis ea observantiae sensa imprimat, quibus eos imbutos esse necesse est, ut hanc precem ad Deum conferant; eum enim Patrem dicere non auderent, nisi id ipsius Christus mandasset. Praefatio haec vetustissima est. Ad eam adludit S. Hieronymus Lib. IX contra Pelagianos dum *Christum* ait, *Apostolos docuisse, ut auderent quotidie dicere in ejus Corporis et Sanguinis Sacrificio: Pater noster, qui es in Coelis*. In Liturgia S. Basilii Sacerdos hanc dicit Praefationem: *Dignare Domine nos te Patrem Coelestem invocare, et dicere Pater noster*. De hac Praefatione loquuntur Florus Magister, in *Expositione Missae*; Alcuinus, *de Divinis Officiis*, Amalarius, *de Officiis Ecclesiasticis*. Brevis haec praefatio praemittitur, ut Sacerdos agnoscens se indignum, et degenerem pro-

testetur coram omnibus, se nunquam, ausum fuisse compellere Deum Patrem, nisi Christus monitis et praeceptis dignatus esset fiduciam praebere. Nedum apud Graecos, sed et apud Latinos olim in aliquibus locis, non a solo Sacerdote, sed etiam ab adstante populo Oratio Dominica recitabatur. Id docet Gregorius Turonensis Lib. II de *Miraculis* S. *Martini* Cap. 30. Apud Mozarabes populus ad singulas fere Dominicae Orationis partes respondebat *Amen tantum*. Contra in Africa, S. Augustino referente, *Sermone* 42 eam populus tantum audiebat, quemadmodum Romae S. Gregorii tempore servabatur *apud Graecos* inquit, Lib. 7 *Epistola* 64 *Oratio Dominica ab universo populo*, *apud nos autem a Sacerdote tantum dicitur*.

III. Haec Oratio in Missae Sacrificio non tacita aut submissa voce, sed clara et elata etiam ab antiquo dicenda praescribitur nimirum ut audiant illam fideles, quemadmodum innuit Augustinus *Homilia* 42, et ante ipsum Cyprianus *de Oratione Dominica* post multas rationes ex ipsa Dominica Oratione petitas: *Publica*, inquit, *est nobis et communis Oratio*, *et quando oramus non pro uno*, *sed pro populo toto oramus*, *quia totus populus unum sumus*. Eandem etiam rationem affert Amalarius Lib. III *de Ecclesiasticis officiis* Cap. 29. Aliam vero affert Belethus pariter de eadem re Cap. 120 ideo nempe alta voce hanc Orationem in Missa recitari, *ut vel eo pacto adhortemur*, *qui in fraterno sunt odio, et ad concordiam discordes excitentur antequam communicent*. Recentiores tamen nonnulli insignes Scriptores putarent hoc factum esse ex veteri ritu, sed ex Arcani disciplina propter Catechumenos, et infideles, quibus olim, nefas erat Mysteria nostra propulare, qui ceteroquin a sola Missa fidelium, non autem a reliquis Ecclesiae conventibus arcebantur. Ex his facile intelligitur, cur submissa voce in officio, elata in Missa recitaretur Reliquis Officiis adesse poterant Catechumeni et infideles huic vero parti Missae adesse non poterant, egrediebantur enim ab Ecclesia post Evangelii explanationem, unde in illis *voce submissa,* in ista *elata* voce recitari consuevit. In fine *Orationis Dominicae* Sacerdos submissa voce dicit *Amen*. In vetu-

stissimis aliquibus Sacramentariis hoc loco non adest *Amen;* ac reapse quidem Oratio subsequens *Libera nos* est prope Orationis Dominicae prosecutio; usque ad ejus finem respondetur *Amen.* Cum tamen *Pater* in hunc modum apud Evangelistas desinat, sane congruit, ut idem quoque ejus finis in Missa sit; ac Horo, et Remigio Antissiodorensi referentibus, saeculo IX fere ubique locorum per *Amen* absolvi consuevisse videtur. Ad populi petiones firmandas hoc *Amen* a Sacerdote dicitur. Inferiori aevo post Orationem Dominicam Psalmus aliquis pro rei necessitate tunc cantandus, addebatur. Hujusmodi institutio Clementi III Romano Pontifici tribuitur ab Angelo Ratisponensi Presbytero in Chronico ad A. D. 1188. Iohannes XXII A. D. 1327 ad pacem Ecclesiae a Deo impetrandam, et ad sedandos motus ac pertubationes ab haereticis et schismaticis conflatos, edita Sanctione edixit *Etravagant. Comm.* Lib. III *de Celebratione Missarum*, ut in singulis Missis: *Post dictum a celebrante, Pater noster responsioneque secuta,* Psalmus: *Laetatus sum*, cum nonnullis versiculis, et collectis diceretur.

IV. Deprecatio *Libera nos* reperitur in Ordinibus Romanis I II et III, qui continent ritus ante Saeculum decimum in Ecclesia Romana adhibitos. Edidit Edmundus Martene Lib. I *de antiquis Ecclesiae Ritibus* Cap. 4 art. II Expositionem Missae Romanae ante annos nongentos conscriptam, in qua pagina 448, illa Oratio legitur, et explicatur. Non eadem tamen semper est haec Oratio in Missali Mozarabico, et veteri Gallicano, sed variatur pro diversitate Missarum. Porro hanc Orationem *Libera nos* ab antiquis *Embolismum* vocatam fuisse recte observat Cardinalis Bona, quia ut ait S. Cyprianus *Sermone* 9 et ex ipso Amalarius Lib. III *de Ecclesiasticis Officiis* Cap. 29: *In consummatione Orationis venit clausula universas petitiones, et preces nostras collecta brevitate concludens.* Quis vero Pontificum Romanorum hanc Embolismalem Orationem Dominicali addiderit inquirendum est; volunt aliqui, ait Gavantus additam esse a S. Gregorio Magno, et innuit Radulphus Tungrensis *de Ecclesiasticis Officiis* Propositione 23, et expresse docet Honorius Augustodunensis in

Gemma Animae Lib. I Cap. 90. Verum non levi anachronismo hallucinantur Scriptores isti; nam in Sacramentario Gelasii I Papae, qui multo ante Gregorium praecessit, apud Muratorium *de Liturgia Romana veteri* Lib. I pag. 555. Praefatio ad Dominicam Orationem, ac subsequens Oratio *Libera nos* perspicue indicantur recitandae. Utcumque sit, constat certe dictas preces antiquissimas esse, et apostolicis temporibus, aut saltem vicinis referri posse. In hac Oratione Sacerdos Deum precatur ut liberet nos *ab omnibus malis praeteritis*, quae sunt peccata, quibus obstringimur; *praesentibus* quae sunt variae tentationes, quibus interius et exterius ad peccatum provocamur; *futuris*, sunt poenae omnes debitae peccatis, sive temporales illae sint, sive aeternae. Firmissima quaeque ac praetentissima suffragia Sacerdos implorat; videlicet Sanctissimae Virginis Dei Matris, quod Ecclesiae solemne solatium est; Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli qui Romanam Ecclesiam suo ipsorum sanguine constituerunt, atque sacrarunt. Speciatim nominatur in hac Oratione S. Andreas, quia eum et S. Petri fratrem speciali semper veneratione coluit Sacrosancta Romana Ecclesia, ut constat ex antiquis ejusdemque Ordinibus, in quibus praescribitur, ut S. Andreae Festum eadem, qua Sancti Petri solemnitate celebratur. Non solum autem quia primus ad Apostolatum vocatus f[illegible] S. Andreas, aut quia uti germanum Petri specia[illegible] [illegible]emper honore ipsum coluerit Romana Ecclesia, sed et quia eidem, in Passione socius in Cruce cum Petro, et Christo obiit, uti recte ad hunc locum observat Gavantus, ipse solus cum Petro, et Paulo in Oratione nominatur. Haec vero Andreae nominis adjectio, non item a Gregorio Magno, uti perperam plerique cum Gavanto arbitrantur, facta fuit; nam in dicto Sacramentario Gelasiano S. Andreae nomen post dictos Apostolos expressum habetur. Usus erat antiquus hic addere plures Sanctos ad arbitrium Sacerdotis. Ita Micrologus asserit Cap. 13: *Aliorum Sanctorum nomina annumerare non debemus, nisi quos in Canone invenimus antiquitus descriptos, excepto post Pater noster in illa Oratione* Libera nos, *ubi juxta Ordinem quorumlibet Sanctorum nomina in-*

ternumerare possumus. Honorius in *Gemma* Lib. I Cap. 109 idem testatur. Vetus Missale manuscriptum Bibliothecae Vaticanae Palatinae num. 483 post haec verba, *atque Andrea,* ait: Hic nominat quotquot Sanctos voluerit. In aliis plerisque manuscriptis additos legimus Patronos illius Ecclesiae ad quam Codex ille pertinebat. In quodam Missali manuscripto de Urbe antiquissimo testatur laudatus Gavantus se legisse additum tribus Apostolis, et quartum videlicet Bartholomeum. In Codice Tiliano post S. Andream SS. Gervasius et Protasius Martyres nominantur. Ambrosiani addunt Ambrosium. Dum autem Sacerdos ad hanc Orationem *Libera nos* pervenit Patenam in manus accipit, eamque tenet usque ad illa verba, quibus haec Oratio definit, ac consueta clausula: *Per Dominum* terminatur, ipsa Patena se in modum Crucis signat, quod per Crucem Christus ea omnia disjecit, quibus pax nostra pertubatur, tum eam osculatur, quia vas est, ubi sacra ponitur Eucharistia, quae vera est pax Fidelium Christianorum. Natalis Alexander in sua Theologia Dogmatica Moralis Lib. II art. 6 n. 10 post Innocentium III et alios, hunc ritum refert ad pium officium Sanctarum Mulierum, quae emptis aromatibus valde mane venerunt ad monumentum, et dixerunt ad invicem: *quis revolvet lapidem ab ostio monumenti* Patena est hujus lapidis Symbolum. Se signat Sacerdos cum Patena, ut annunciet per Crucem, et per hoc Sacrificium pacata esse omnia iu Coelo et in terris. Eam osculatur, ut ostendat, Christum statim satisfecisse desiderio Sanctarum Mulierum, quibus obviam occurrit, et quas salutavit. Illae in genua provolutae amplexae sunt Christi pedes. Amovetur Palla a Calice statim, sicut lapis ab Angelo ab ostio monumenti remotus fuit. In aliquibus Ecclesiis Diaconus Patenam velo nudatam ostendebat populo, ut eum ad Communionem invitaret.

CAPUT XXXI.

DE FRACTIONE HOSTIAE.

I. Orationi *Libera nos* clausula apponitur *per Dominum nostrum Iesum Christum*, quam dum profert Sacerdos, Hostiam frangit ritu antiquissimo, et cum ipsa hujus Sacramenti institutione exorto. Iesus Christus enim in mystica Coena accepit panem, benedixit et fregit, deditque Discipulis suis dicens: *Hoc est Corpus meum*. Praecepit Apostolis, ut idem facerent in ejus commemorationem; unde et ipsi hunc morem sequuti sunt, et Ecclesiae tradiderunt. Ideo in Actis Apostolorum Cap. XX v. 7 legimus, eos die Dominico convenisse cum fidelibus *ad frangendum panem* non utique communem, sed Eucharisticum, de quo in prima ad Corinthios Cap. X ait Apostolus: *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est.* Hunc igitur ritum ex Domini traditione accepimus, qui Passionem suam mox futuram ea fractione designavit. Hujus fractionis tamquam in Ecclesia semper, et ubique a temporibus Apostolorum usitatae mentionem faciunt Sancti Patres, et alii Ecclesiastici Scriptores. Clemens Alexandrinus, Lib. I *Stromatum;* Gregorius Nazianzenus, *Epistola 240 ad Amphilochium;* Augustinus, *Epistola 59 ad Paulinum.* Liturgiae quoque quaecumque extant, hanc fractionem praescribunt ejusque mysteria edisserunt Sacrorum Rituum expositores. Latini dividunt Hostiam in tres partes, Graeci et reliqui Orientales in quatuor, Mozarabes in novem; quod autem in plures, aut pauciores partes Hostia dividatur, id non pertinet ad integritatem Sacrificii. Praeterea si Christus Dominus hoc Sacramentum instituens Apostolis mandavit, et per Apostolos nobis dicens: *Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis,* quomodo aptius, convenientius, ac melius ejus memoriam repraesentare potuit Ecclesia Romana, nisi per triplicem Hostiae partitionem, quae Sanctissimam Trinitatem in hoc Augustissimo Mysterio operantem denotaret, ut Stephanus Eduensis ait de *Sacramento Altaris* Cap. 18 qua tres

in Christo substantias, Divinitatem, Animam, et Corpus, qua triplicem ejusdem statum, cum aliquando fuerit mortalis, aliquando mortuus, et nunc sit immortalis, demonstraret, qua divisionem Christi Corporis in passione exprimeret; Christus enim vulneratus fuit in manibus, pedibus, et latere, ut ex Divo Thoma Opusculo 59 Cap. 7. Et Innocentius III in Libro V *Mysteriorum Missae* Cap. 3 scribit: *quod una pars est ipsum Caput, videlicet Christus, qui et Caput est et pars Corporis: altera pars sunt illi, quorum corpora requiescunt in tumulis, et Animae regnant cum Christo: tertia pars in Calicem ponitur, significans eos, qui adhuc in passione consistunt, donec ab hac vita migrantes, transeant ad Caput suum, ubi nec moriantur amplius, nec ullatenus patiantur.* Iuxta Gulielmum Antisiodorensem, pars quae in sanguine mittitur significat vivos, una illarum eos qui sunt in Purgatorio, alia vero illos qui sunt in Paradiso. Orat enim Ecclesia pro vivis, ut in bono conserventur; pro eis qui sunt in Purgatorio, ut citius liberentur, et purgentur; pro eis qui in Coelo sunt, ut orent pro nobis. Pars in Calice posita teste Durando in *Rationali* Lib. IV Caput 51 significat Corpus Christi, quod de Virgine traxit, pars comesta significat omnes fideles; pars reservata usque in finem Missae, secundum antiquum Ecclesiae Romanae morem, pro ministris vel infirmis, significat omnes mortuos. Circa varias insuper trium Divinae Hostiae partium significationes vide Albertum Magnum, *de Officio Missae* Lib. II; Durandum, *Rationalis Divinorum Officiorum* Lib. IV Cap. 51; aliosque nuperos Liturgicos Scriptores.

II. Sacerdos tenens manu dextera particulam praecisam ab inferiori parte Hostiae, dicit *Pax Domini sit semper vobiscum,* licet salutet populum, tamen ad eum se non convertit, quia circa Sacramentum occupatus est; sed ei per meritum Hostiae, quam fregit, benedicit, et pacem annuntiat, populo respondente *Et cum spiritu tuo.* Ducit tria Crucis signa super Calicem, vel ad indicandum Christum tertia die resurrexisse ad vitam, ut docet Sanctus Thomas, vel ad significandas tres Sanctas Mulieres, quae Christum quaerebant ad ostium monumenti, quod ostium in hoc loco per os Ca-

licis designatur, ut in Libro VI *Mysteriorum Missae* Cap. 11 docet Innocentius III. Dicto *Pax Domini* etc. Sacerdos fragmentum Hostiae immittit in Calicem dicens: *Haec commixtio, et consecratio Corporis et Sanguinis Domini fiat accipientibus nobis in vitam aeternam.* In Codice Ratoldi apud Menardum: *Haec sacrosancta commixtio Corporis, et Sanguinis Domini nostri Iesu Christi fiat omnibus sumentibus salus mentis, et corporis et ad vitam capiendam aeternam praeparatio salutaris.* Praeterea quemadmodum facta separatim utriusque speciei consecratione mortem Domini annunciamus, ita facta deinde dictae speciei utriusque commixtione, ejusdem Christi Domini Resurrectionem exhibemus, innuimusque sacrosancta Communione sumi Christum a mortuis suscitatum, uti indicat Micrologus de *Ecclesiasticis Observationibus* Cap. 17: *Unam portionem*, inquit, *in Calicem faciendo Crucem mittere debet* (Sacerdos) cum dicit, Pax Domini sit semper vobiscum, *ad designandam Corporis, et Animae conjuctionem in Resurrectione Christi.* Hinc et scite refert Ioannes Baptista Scortia *de Sacrosancto Missae Sacrificio* Lib. IV Cap. 24 in fine: *Recte igitur*, inquit, *cum seorsim Corpus et Sanguis per se consecrata fuerint ad recolendam Christi Domini mortem, per quam Sanguis sejunctus est a Corpore, ad exprimendum mysterium Dominicae Resurrectionis, qua reunita sunt Sanguis, et Anima Corpori, species panis miscentur speciebus vini*, ut explicat Divus Thomas 3 par. quaest. 83 art. 5. Deinde usum hunc referunt Liturgia Iacobi, Graecos, inter antiquissima, ubi haec habet: *Unio Sanctissimi Corporis, et pretiosi Sanguinis Domini, ac Salvatoris nostri Iesu Christi*, etc. Vetusti item duo priores Romani Ordines, Concilium Arausicanum I ann. 441 Canone 17: *Quum Capsa et Calix offerendus est, et admixtione Eucharistiae consecrandus.* In manuscriptis legitur *inferendus* loco *offerendus.* Capsa autem vas erat, in quo asservabatur Eucharistia. Illa initio Missae ad Altare deferebatur, et ante Communionem tradebatur Sacerdoti, cui ex illa reservatam particulam in Calicem immittendam extraheret. Vide inter caeteros post Mabillonium *Commentaria in Ordinem Romanum* I art. 6 num. 1, Franciscum Anto-

nium Pouget *Institutiones Catholicae* T. I p. 879. Ut autem melius intelligatur hic ritus, observandum occurrit praeter particulam, quae nunc post Hostiae fractionem immittitur in Calicem, immissam alias fuisse aliam particulam, quae tunc, vel missa erat ab Episcopis, vel ex antecedenti Sacrificio in hunc usum fuerat reservata. Ex Romanorum Pontificum Melchiadis, et Siricii Constitutionibus relatis in veteribus Pontificum Catalogis, et ex Epistola 29 Innocentii Papae I ad Decentium Episcopum eruimus, quod Pontifex, caeterique Italiae Episcopi mittebant singulis Dominicis diebus ad Presbyteros Ecclesiarum Titularium particulam Eucharistiae, quam in Missa consecraverant; Presbyteri autem particulam hanc ad verba: *Pax Domini* mittebant in Calicem ad signum communionis. Episcopi item die, quo consecrabantur, accipiebant ab Episcopo consecrante magnam Hostiam, quam per plures hebdomadas servabant, et ex ea particula singulis diebus immittebant in Calicem dicendo: *Pax Domini* etc. Ex antiquissimis insuper manuscriptis, et Mabillonio in *Museo Italico* T. II pag. 38 eruitur servatam fuisse partem Hostiae a Pontifice consecratae in solemnitatibus Paschatis, Pentecostes, et Nativitatis Domini, eamque delatam fuisse ad Stationes, quae anni cursu habebantur, quum Pontifex Stationibus illis non intererat, immittebant in Calicem ad verba: *Pax Domini*. Idem Pontifex, et Episcopi ante quartum Saeculum Eucharistiam accipiebant ab Ecclesiis remotioribus, ut constat ex Epistola S. Irenaei ad Victorem Pontificem de Ecclesiis Asiae. Hae porro particulae ad Ecclesias missae vocabantur *Fermentum*. Anastasius Bibliothecarius, et ex ipso Bollandiani Continuatores in Propylaeo ad Acta SS. Maii pag. 51 de Melchiade, et pag. 53 de Siricio RP. *Hic fecit, ut oblationes consecratae per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur Fermentum* habebantur enim, ut fermentum Communionis, et Charitatis, quo significabatur idem Sacrificium oblatum a Pontifice, ab Episcopis, et Presbyteris, ex quo tum ipsi, tum fideles omnes participabant juxta illud Apostoli ad Corinthios Cap. X v. 17: *Unus panis, unum Corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participa-*

mus. Hinc juxta duos primos Ordines Romanos, et ex Amalario haec reservatae Eucharistiae particula in Capsa, seu Vase ferebatur ante Papam ad Altare procedentem, ita Ordo Romanus I n. 8: *Subdiaconus tenens manum suam in ore capsae ostendit Sancta Pontifici* Ord. II n. 4. *Ad Altare primum adorat Sancta.* Mabillonius in Ordine Romano pag. 36: *Episcopus veniens ad Altare adorat primo Sancta.* Sancta autem; quae adorabatur a Pontifice ante Missae exordium, eadem est particula, quam in Calice ponebat ad verba: *Pax Domini.* Mittebatur autem in Calicem particula reservata. Primo in signum Communionis cum iis, qui illam miserant. Secundo, ut praecedentis diei consecratio cum consecratione praesentis uniretur, sicque unitas, et continuatio Sacrificii ostenderetur, ac propterea id fieri consuevisse observat Mabillonius ex secundo Ordine Romano Num. 12 et 13: *Ut hoc ritu Sacrificii unitas, atque unio Pontificis cum Sacerdotibus, et Episcopi cum Pontifice commendaretur.* Potior autem, ac mystica ratio immittendi Eucharistiam in Sanguinem ea est, ut designetur, nempe renovata unio Corporis, et Sanguinis Christi, ejusque gloriosa resurrectio.Hinc Innocentius III ait: *Commixtio panis et vini designat unionem carnis et Animae, quae in Resurrectione Christi denuo sunt unitae.* Quid nempe Consecrationis nomine sit in hac Oratione intelligendum. Respondetur, quod Consecratio Corporis et Sanguinis nihil aliud sonat, quam Corpus ipsum, et Sanguinem consecratum, S. Laurentius Martyr ad S. Papam Xystum ex Ambrosio Libro I *de Officiis* Cap. 41: *Experire* inquit, *utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis consecrationem,* idest *Sanguinem* consecratum, cujus dispensatio in communione populi ad Diaconum pertinebat, non enim petimus inquit Cardinalis Bellarminus Lib. II de Missa Cap. 17 ut tunc fiat consecratio, sed ut haec ante facta sit nobis ad vitam aeternam salutaris.

III. Olim antequam Sacerdos diceret, *Pax Domini sit semper vobiscum*, interponi solebat benedictio, quam Scriptores Liturgici Episcopalem vocant, quia ad solum Episcopum pertinebat. Extant hujusmodi benedictiones in vetustis Libris Sacramentorum, et in Romano Pon-

tificali edito sub Leone X. Earum meminit Ordo Romanus in prima Missae descriptione. De his porro benedictionibus Episcopalibus haec habet Hugo Menardus in Notis ad *Sacramentarium Gregorii Magni* pag. 27: *Antiqua olim* inquit, *fuit consuetudo, ut Episcopus antequam Eucharistiam perciperet, populum benediceret quibusdam conceptis precationibus ut in toto hoc Sacramentorum Libro videre est, nec non in Codicibus Rodradi, Remigii, Ratoldi, et Tiliani, atque etiam in Ordine Romano, sicut et in veteri Pontificali Romano dedicato* Leoni X Pontifici Maximo. Hujusmodi Pontificales Benedictiones per totum anni circulum ab Episcopo recitandas exhibuit Pamelius *Liturgicorum* T. II. Nicolaus III ad impetrandam pacem inter Principes Christianos statuit in Missa solemni, postquam Sacerdos dixit: *Pax Domini sit semper vobiscum*, ante *Agnus Dei* cantari Psalmum *Laetatus sum*, cum aliquot versiculis et Collecta pro pace. Idemque constituit Ioannes XXII pro tollendo schismate, ut testatur Angelus Rocca in *Paralipomenis Commentarii de Campanis*. Idem psalmus cum precibus extat in Missali Cisterciensi dicendus post *Pater noster* pro pace Ecclesiastica et temporali. Mos erat etiam in hac Missae parte indicendi jejunia, quae pro hoc vel illo fieri debebant, festa quae erant celebranda, scrutinia quae erant facienda, ut probat Cardinalis Bona.

CAPUT XXXII.

DE RITU DICENDI *AGNUS DEI* QUANDO, ET QUO INSTITUTUS.

I. Confracta Hostia et immissa in Calicem particula, sequitur deprecatio ad Iesum Christum Agnum Dei tollentem peccata mundi, incruente a Sacerdote immolatum, de quo ad se veniente testimonium perhibuit Ioannes Baptista dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Ex quo Praecursoris elogio mos emanavit pingendi Christum in forma Agni. Sergius I Summus Pontifex, teste Anastasio, *statuit ut tempore confractionis Dominici Corporis* Agnus Dei qui tollis peccata mundi

miserere nobis, a Clero, et populo decantaretur. Quoties autem repetendum esset, non statuit; ter deinde repetitum fuit, ut impleretur tempus usque ad Communionem, sive tempus ipsum Communionis, ut habet Ivo Carnotensis *de Convenientia Veteris et Novi Sacrificii: Dum Sacramenta sumuntur, ter Agnus Dei a Choro cantatur.* Caeterum in Missalibus Lugdunensi anno 1510, et Arelatensi an. 1100 unicum Agnus Dei legitur; in aliis autem omnibus, trinum, uti observat Petrus Le Brun. Agnus Dei olim in Missa solemni et publica non dicebatur a Sacerdote, sed a Clero, uti testantur Ivo Carnotensis, Ioannes Abrincensis, Micrologus, et antiquum Sacramentale Trevirensis Ecclesiae Saeculi X. Ad XI usque Saeculum, etiam tertium *Agnus Dei in miserere nobis* desinebat; et Ecclesia S. Ioannis in Laterano id etiamnum servat; at anno circiter 1100 in Ecclesiarum plerisque tertium *Agnus Dei per dona nobis pacem* absolutum fuit. Apud Graecos antiquior est Agnus Dei mentio in sacris solemniis, sed non per modum precationis. Iacobus in Liturgia: *Ecce Agnus Dei, Filius Patris.* Hac autem Agni in Graeca Synaxi commemoratione quidam decepti, et eam ad Latinorum precationem trahentes, scripserunt ante Sergium coepisse, et Concilio Nicaeno antiquiorem vel certe coaevum existimarunt. Et Sergius quidem instituit ter dici *Miserere nobis*, sed multis postea ingruentibus Ecclesiae adversitatibus, ut ait Innocentius III Lib. VI de Mysteriis Missae Cap. 6 sive ad tollendum schisma alii scribunt, statutum fuit ut in tertio diceretur, *dona nobis pacem;* qui ritus ubique receptus est, excepta Basilica Lateranensi, in qua adhuc servatur antiqua forma dicendi ter *miserere nobis.* In quadam Missae expositione, quae extat in Tomo VI *Bibliothecae Patrum* sic legitur: *Qui resurrexistis Agnus Dei consecratus, et vivificatus, qui tollis peccata, moriens et resurgens in corpore tuo miserere nobis.* In Missali Gothico Feria V in Coena Domini post celebrationem dicitur: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi respice in nos et miserere nobis.* Sacerdos porro dum ter dicit *Agnus Dei* etc. ter item percutit sibi pectus, ut ostendat se valde peccatorum suorum poenitere, quod etiam facit, cum dicit: *dona no-*

bis pacem, quia olim tertio iisdem dicebatur: *Miserere nobis*. Hugo Victorinus Lib. II *de Officiis Ecclesiasticis* Cap. XVIII ter dici *Agnus Dei* affirmat; ac ad tertiam vicem, *Dona nobis pacem* pronunciari: *Agnus Dei*, inquit, *ter cantatur, ut verus agnus, cujus carnem, et sanguinem sumimus, nobis propietur. Primo rogamus, ut nobis misereatur, peccata relaxando: Secundo ut nobis misereatur, devotos sibi faciendo: Tertio, ut nobis pacem donare dignetur; quae hic initium habet in Sanctis, et in beata vita perficietur*. In Defunctorum Missis loco *Miserere nobis*, dicitur *dona eis requiem*. Locutionis hujus origo non invenitur; Belethus tamen Saeculo XII, et post eum Durandus de ea tamquam consuetudine universim recepta firmataque loquuntur. Idem occurrit in Missali Ambrosiano, in quo caeteroquin non adest Agnus Dei nisi in Defunctorum Missis. Celebrans non percutit sibi pectus, dum dicit: *Dona eis requiem*, ut significet se in hac Missa pro defunctis specialiter celebrata, se ipsorum magis, quam sui memorem esse. Petitur bis in earum gratiam requies, idest paenarum finis; tertio autem loco felicitatis complementum, aeterna quies, qua Sancti in Coelis aeternum fruuntur.

II. Ante Communionem tres Orationes Romano ritu praemitti solent, non ex antiqua Summorum Pontificum institutione, sed ex Religiosorum traditione, ut ait Micrologus Cap. 18. Prima est, qua Sacerdos pacem precatur Ecclesiae, post quam sequitur osculum pacis, quo ipse Ministros, tum illi, omnesque fideles se invicem salutant in signum unionis et mutuae charitatis. Apostolicum institutum hoc est, ut per solemnia pacis Sacrificii consummatio fiat. Et Romani quidem hoc loco Greci veri, et alii Orientales, itemque Mozarabes ante Praefationem dant osculum pacis, diverso ritu, sed eadem Fide, et Religione, ut ostendant se omnes in Christo unum esse; eosque dumtaxat divinorum munerum participatione dignos censeri, qui pacem fratribus verbo, et opere impendunt. Sacerdos osculatur Altare, ut a Christo pacem obtineat. Missa Illyrici, et Sacramentarium Trevirense, ubi legitur Oratio: *Domine Iesu Christe*, notant Sacerdotem in ea inchoanda Altare o-

sculari. Nonnulli Saeculo XII ut propius a Christo pacem perciperent, Hostiam osculabantur, quemadmodum Belethus *de Divinis Officiis* Cap. 46 memoriae prodit Durandus idem dicit in *Rationali* Lib. III Cap. 54; atque Hostiam osculandi morem in plerisque Galliarum Ecclesiis obtinuisse colligitur ex magno Missalium numero. In nonnullis Ecclesiis Sacerdos osculabatur Calicem, quod adhuc Dominicani faciunt. In aliis Corporale, seu lintea scilicet, quae Corpus Christi Domini contigerunt. Tandem fere ubique receptus mos, qui Romae semper viguit; Altare scilicet osculandi, quod Corporis Christi Domini Sedes est: Pax osculo nuntiata semper fuit, quicumque ex eodem sexu erant, sibi mutuo pacis osculum conferebant, hinc viri, illinc faeminae. Sanctum osculum hoc Apostoli commendaverant; *Salutate invicem in osculo sancto* Ioannes Cap. XVI v. 16, id autem quomodo fiat, et cur explicat S. Augustinus *Sermone 83: Post ipsam* (Orationem Dominicam), inquit, *dicitur: Pax vobiscum; et osculantur se Christiani. Pacis signum est; sicut ostendunt labia, fiat in conscientia; idest, quomodo labia tua ad labia fratris tui accedunt, sic cor tuum a corde ejus non recedat.* Commendant ejus sanctitatem Clemens Alexandrinus Lib. III *Pedag.* Cap. II, et Athenagoras circa finem Apologiae. Aptissime autem, et eleganter Chrysostomus *Homilia 30 in Epistolam* II *ad Corinthios* agens de osculo, quod Communioni praemittitur: *De hoc,* inquit, *sancto osculo aliud quoque afferri potest. Templum Christi sumus. Itaque templi vestibula, et aditum osculamur, cum alii alios osculemur. Neque enim vulgari quodam honore os nostrum afficitur, cum Corpus Dominicum excipit: eaque praesertim de causa tum mutua oscula jungimus.* Plura de hujusmodi osculo sancto ante Eucharisticam Communionem apud Christi fideles in usu habito erudite congessit Aloisius Novarinus *Sacr. Elect.* Lib. V Cap. 61. Postque ipsum Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium Gregorianum pag. 377. Veteri tandem simplicitate in malitiam degenerante subtractum paulatim est osculum, et ejus vice mos introductus porrigendi tabellam cum Crucis, vel Christi imagine. Haec autem tabella vulgari vocabulo *Pax* appellatur: sed va-

riis nominibus donata est. Nam in Synodo Exoniensi A. D. 1287 *Conciliorum* T. XI pag. 1278 *Asser ad pacem*, in Concilio Mertonensi A. D. 1300 Can. IV *Tabula pacis*; in Statutis Walterii Archiepiscopi Eboracensis A. D. 1259 *Osculatorium*, dicitur, ut et *lapis pacis*. Vide Cangii Glossarium in his vocibus.

III. Apud Maronitas Sacerdos ante Praefationem dat pacem Altari, et Mysteriis dicens: *Pax tecum Altare Dei, et pax mysteriis sanctis positis super te.* Mozarabes in singulis Missis proprias habent orationes pro osculo pacis, quibus breviter a Deo petunt, ut oscula fidelia sint, et pax sincera, ut per exterioris hominis osculum indisrupta maneat interioris hominis pax: ut pacem, quam ore annuntiant, opere impleant. Similes habentur precationes in Missali Gallicano, orat enim Sacerdos in *Missa Epiphaniae*, ut osculum, quod in labiis datur, non negetur in cordibus. In quibusdam Missalibus manuscriptis Diaconus ait: *Habete vinculum pacis, et charitatis, ut apti sitis sacrosanctis Mysteriis.* In aliis sunt orationes peculiares, quibus Sacerdos, dum se populus invicem osculatur, Deum rogat, ut omnes pacificare dignetur. Prima Oratio *Domine Iesu Christe* etc. ex Missalis Rubrica omittitur in Missis Defunctorum, nec datur in istis Pax. Orationem omitti, dicit Durandus Lib. IV Cap. 53, quia ea est de pace, Pax autem in Defunctorum Missa non datur; pax enim est indicium laetitiae, quae Missae Defunctorum non convenit, ut docent Alcuinus, et post ipsum Amalarius. Durandus vero addit, non dari pacem, *quia iam Defuncti quiescunt in Domino, neque amplius sunt in turbatione hominum.* Albaspinaeus Lib. I *Observatione* 17 existimat, non dari pacem, quia *sacra mortuorum erant privata, et non solemnia* ex Canone IV Concilii Vasensis. Subtrahitur similiter osculum Feria VI in Parasceve in signum moestitiae: quare Procopius in *Historia arcana* Iustinianum, et Theodorum infausto omine imperium suscepisse refert ea die, qua nulli pacem, et salutem dicere fas erat. Altera porro oratio, quae a Celebrante recitatur post orationem ad pacem, est: *Domine Iesu Christe Fili Dei vivi,* etc. legitur haec oratio in Missa Illyrici versus annum 900. In Missa Ra-

toldi Saeculi X, et in Sacramentario Trevirensi ejusdem saeculi. Hujus meminit Micrologus, et Carthusiani Micrologo coevi hanc orationem semper, et solam recitarunt; sicuti et Dominicani, qui a Cisterciensibus hunc etiam usum mutuaverunt. Tertia est *Perceptio*. Olim etiam ante sumptionem Eucharistiae, post quam dixit Sacerdos: *Domine non sum dignus*, etc. submissa voce, vel potius mente dicebat hanc Orationem: *Domine Iesu Christe da mihi, et omnibus fidelibus tuis gratiam, ut sicut te velatum videmus te revelatum videre, et in aeternum cum omnibus Electis tuis laudare mereamur.*

CAPUT XXXIII.

DE SACERDOTIS COMMUNIONE.

I. Momentum tandem adest, quo Sacrificii consummatio peragitur, adestque proinde tempus, quo ejus participandi cupiditas augeatur. Si Christus, quo nos amore complectebatur, postremo Paschate vesci vehementer cupiit; nos sane ipsi multo vehementius ferventiusque aspiremus, oportet, ut vescamur hoc pretioso Paschate, quod animi nostri vita est; atque hoc certe loco ita comparati esse debemus, ut dicere vere possimus: *cor meum. et caro mea exultant in Deum vivum*. Sacerdos igitur genuflectit, surgit, et submissa voce dicit: *Panem coelestem accipiam et nomen Domini invocabo.* Pro *panem caelestem*, in Illyrici Missa, in Trecensibus Missalibus duobus manuscriptis uno saeculi IX altero X legitur: *Ecce Iesu benignissime, quod concupivi, jam video, quod speravi, jam teneo; hinc tibi quaeso, jungar in caelis, quod tuum Corpus, et Sanguinem quamvis indignus cum gaudio suscipio in terris. Ave in aevum Sanctissima caro, mea in perpetuum summa dulcedo.* Verba *Panem coelestem* etc. deprompta sunt ex Psalmo 115. Quibus verbis suam fidem, suum erga Iesum Christum amorem excitat. Deinde voce paullulum elatiore ter dicit, percutiens pectus suum: *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo et sanabitur anima mea.* In hunc modum precatus est Centurio pro famulo aegrotante; *Do-*

mine inquit, Matth. Cap. VIII v. 8: *non sum dignus ut sub tectum meum intres, sed tantum dic verbo et sanabitur puer meus*. Cujus fidem admirans Christus, ait illi: *Vade et sicut petisti fiat tibi*. Proinde verba haec ipsa vult Ecclesia recitari ab iis omnibus qui iam iam percepturi sunt Corpus Christi, ut illis ipsis verbis intelligant qua fide, qua humilitate accedere oporteat ad tremendam Corporis Christi Communionem. Ritus Centurionis verba recitandi in Communione vetustissimus est. Hujus consuetudinis mentionem facit Origenes, Homilia V; et Chrysostomus, *Homilia de S. Thoma Apostolo*. Percussio pectoris humilitatem simul et compunctionem cordis designat. Tria genera indignitatis nos ad haec verba *Domine non sum dignus* ter dicenda impellere debent; indignitas quoad animalem terrenumque hominem ob sensuum peccata; indignitas quoad rationis compotem hominem, qui in civili vita, spectatisque quibuscum vivit hominibus, tam saepe charitatem, et justitiam laedit, quam alter alteri debet; indignitas denique quoad spiritualem internumque hominem, qui identidem in mentem, et cor innumeras cujusque vitii, criminisque cogitatione recepit. Ter dictis Centurionis verbis pollice et indice manus dexterae accipit Hostiam a sinistra manu, et eadem se Crucis signo signat dicens: *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam amen*, edit Crucis signum Hostia, non solum quia fideles olim, aliquo sumendo cibo, Crucis signum edere consueverant, sed potissimum ut innuat Sanctum Corpus quod sumit, illud ipsum esse, quod in Cruce immolatum fuit. Verba *Corpus Domini nostri* habentur in Libro VIII *Constitutionum Apostolicarum* Cap. 13, et in Libro I Sacramentarii Sancti Gregorii. Post sumptionem praescribitur, ut *quiescat aliquantulum in meditatione Sacramenti*. Ex hac praescriptione putant Rubricistae, nullos actus privatae devotionis esse permittendos cum publicis Religionis actibus immediate ante sumptionem, cum isti, *non ante, sed post* sumptionem tantum permittantur. Excipiatur casus, in quo Sacerdos tunc recordaretur de aliqua culpa mortali: tunc enim et posset, et deberet de eo perfecte conteri, cum proposito illud quamprimum Ecclesiae clavibus submittendi.

II. Detecto prius Calice, et facta genuflexione, fragmenta Patena colligit, si qua forte super Corporali fuerint, ut ea in Calicem immittat. Sollicite semper Ecclesia cavendum monuit, ne qua Sanctae Eucharistiae particula disperderetur. Eucharistiae fragmenta Graeci vulgo *margaritas* nuncuparunt. S. Ioannis Chrysostomi Liturgia notat, praescribitque, ut ad Missae finem *Sacerdos*, seu *Diaconus attente ac devote absumat fragmenta omnia*, *caveatque*, *ne qua particula margarita dicta remaneat*, uti legitur in *Euchologio Graecorum* pag. 86. Ea Latini colligunt absumenda in Calice, dicuntque: *Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam*, *et nomen Domini invocabo? Laudans invocabo Dominum*, *et ab inimicis meis salvus ero*. Verba prima sunt deprompta ex Psalmo 115, secunda ex Psalmo 17. *Quid retribuam Domino?* Sacerdos ob tam eximium praestansque donum sua grati animi sensa cohibere non potest. *Pro omnibus quae retribuit mihi*. De singularibus beneficiis loquitur, quae Deus eidem contulit. Episcopi et Presbyteri stantes communicant dum sacrum agunt. Sed summus Pontifex cum solemniter celebrat, in throno communicat: qui ritus antiquissimus est. Nonnulli olim Romani Pontifices in solemni Missa in Solio sedentes, facie ad populum conversa, Eucharistiam sumere consueverunt, ut Iesu Christi Passionem, et mortem exprimerent, qui palam passus, et mortuus est. Nunc vero summus Pontifex, facie ad populum conversa, sed in Solio stans, se, aliosque communicat. Olim Episcopi particulam Hostiae in Calice positam; Diacono, et Subdiacono cum Sanguine, qui superesset, relinquebant sumendum; hic tamen mos ab hodierno usu recessit, et solum a Romano Pontifice in Missa solemni retinetur. Peracta sic Communione, Sacerdos dicit Orationem: *Quod ore sumpsimus* etc. et accepto a ministro in Calicem vino, se purificat. De hac purificatione loquitur Innocentius III in Caput *ex parte de celebratione Missarum*, quem textum memorans S. Thomas, *Vinum*, inquit, *ratione humiditatis suae est ablutivum, et ideo sumitur post susceptionem hujus Sacramenti ad abluendum os*, *ne aliquae reliquiae remaneant*; *quod perti-*

net ad reverentiam Sacramenti. Antiquissima est precatio *Quod ore sumpsimus Domine*, occurrit in Gothorum Missali ad finem Missae Noctis Natalis Domini ante Caroli Magni tempora. In Trevirorum, et Coloniae Sacramentariis erat loco precis *Post Communio* feria quinta Hebdomadae Passionis; notaturque in antiquioribus Romanis Ordinibus, et apud Amalarium, tamquam a Sacerdote post Communionem dicenda. Nullibi tamen, ad laudata monumenta quod attinet, legitur, elatane, an submissa voce recitanda sit; tametsì Saeculo XI Micrologus notet Cap. 19 eam a Sacerdote ex Romano quidem Ordine, secreto dici. Fere tamen ubique obtinent ablutiones duae in Romani Missalis Rubricis praescriptae, una quidem ex vino mero, altera ex vino et aqua, ad purgandos digitos. Postrema haec ablutio ita in Rubrica praescribitur: *Sacerdos aliquantulum intra Calicem immittit utriusque manus priores digitos duos, in quos Clericus vinum et aquam infundit*. Eos purificatorio detergit, dicens interim *Corpus tuum Domine*. Oratio haec in praesentia ad Sacerdotem tantum spectat, qui sub utraque specie Eucharistiam suscipit. Sumpta fuit ex veteri quodam *Post communio* Missalis Gothorum ante Carolum Magnum; ac tum quidem fidelium omnium nomine numero multitudinis dicebatur, quia fere omnes utramque speciem sumebant. Adnotandum insuper censeo, nemini licere in secunda hac purificatione solam adhibere aquam. De hac ablutione post medium saeculum XIII ita loquitur Alexander Alensis Part. IV *Summa Theologiae quaest.* X Tract. *de Officio Missae* P. II in fine pag. 181 vol. 2: *His peractis*, inquit, *Sacerdos abluit manus. . . . . ob reverentiam Sacramenti, et ut indignitatem suam memoret: et ut indignum existimet, ut manus, quae corpus incorruptibile contrectaverunt, corpus corruptibile, vel aliud immundum contingant: donec studiose laventur*. Trina vero Sacerdotis ablutio, *in principio, in medio, et in fine designat munditiam cogitationis, et actionis*.

CAPUT XXXIV.

DE COMMUNIONE POPULI.

I. Post Sacerdotis Communionem, si qui in Missa Eucharistiam velint suscipere, ad Altare accedunt, et *Confiteor* a Ministro, *Misereatur, et Indulgentiam* a Sacerdote recitatis, et dextera tenens Corpus Christi, semel dicit: *Ecce Agnus Dei, ter non sum dignus.* Tum unicuique porrigit Sacramentum, facto antea cum sacra Hostia Crucis signo, atque haec verba proferens: *Corpus Domini nostri.* Olim, observante Gavanto, *Confiteor*, ante Communionem dici non consueverat, et Brunus ritum hunc ab Ordine Mendicantium Saeculo XIII introductum existimat. Omittitur in Ordinatione Presbyteri, cum Episcopus eum communicat, idque quia *concelebrat Pontifici,* ut habetur in Pontificali Romano: ac Episcopus solum dicit: *Corpus Domini nostri* etc. et Sacerdos respondet *Amen.* Olim ante Communionem clamabat Diaconus *Sancta Sanctis:* ac si diceret, qui non est Sanctus non accedat. His verbis invitabantur devoti Christifideles ad communionem; et quidem munus hoc invitandi, Diaconis cum primis incumbebat. Etenim in Iacobi Liturgia Diaconus postquam elevavit *Discos,* et *Calices* ad distribuendum Eucharistiae Sacramentum populo dicit: *Cum timore, et fide, et charitate accedite.* Insuper Catechismus Romanus ex Tridentini Concilii Decreto editus Parte 2 Cap. 4 num. 61: *Diu in Ecclesia,* inquit, *mos iste fuit, ut Sacerdos ad populum conversus his ad sacram mensam fideles invitaret: Venite fratres ad Communionem.* Iesu Christi Domini profecto instituto, et exemplo; ipse namque quasi coelestis hospes convivas suos Discipulos ad sumendum divinas epulas invitavit illis verbis: *Accipite, et comedite, hoc est Corpus meum; accipite, et bibite, hic est Sanguis meus.* In Galliis, uti observat Martene *de antiquis Ecclesiae Ritibus* Tom. 1 Cap. 4 art. 10 n. 7 diebus solemnioribus, quibus universus populus ad Sacram Synaxim accedere tenebatur, idem ad Com-

munionem invitabatur his verbis: *Venite populi sacrum immortale mysterium, et libamen agendum, cum timore, et fide accedamus. Manibus mundis poenitentiae munus communicemus, quoniam Agnus Dei propter nos Patri Sacrificium propositum est, ipsum solum adoremus, ipsum glorificemus cum Angelis clamantes Alleluja.*

II. Ipsam autem Eucharistiam sumpturis tabellae quaedam spongia perpolitae a Ministris apponebantur, veluti Mensulae ut ex Chrysostomo, et Athanasio, observat Baronius Anno 57 num. 146 quibus hodie linteamina successerunt, ut si quid forte decidat, his accipiatur. At vero Sacerdos Sacramentum distribuens quid daret contestebatur dicens: *Corpus Christi:* et accipiens respondebat *Amen*, qua voce verum illud esse profitebatur. Tempore Gregorii Magni Sacerdos tradens Eucharistiam hac formula utebatur, ut in ejus Vita scribit Ioannes Diaconus Lib. II *Corpus Domini nostri Iesu Christi conservet animam tuam.* Quae formula fere eadem est, ac quam nunc adhibemus. Sacerdos praeterea Sacram Eucharistiam dextera, et intra digitos pollicem, et indicem tenens, ipsam communicanti ostendens; eumdem Sacramento benedicit, et signat eodem modo, quo se ipsum communicans signavit signo Crucis, secundum veterum procul dubio institutum, quo nihil in sacris praesertim transigebant, quin frontem Crucis signaculo munirent. Quoad ordinem Communionis hic erat, ut primo quidem Celebrans seipsum communicaret, deinde Presbyteros, si qui aderant: tum Diaconos, Subdiaconos, et Clericos, Diaconissas, et sacras Virgines, novissime populum, primum viros, postea mulieres. Idem in Calicis distributione servabatur, nisi quod Presbyteri per se illum sumebant, Diaconi a Presbyteris, reliqui a Diaconis, ut ex Ordine Romano, ut ex Graecorum Euchologio constat. Praemittebatur Communicantium exploratio et notitia, unde illa vox in quibusdam Liturgiis, *Agnoscite vos invicem.* Quod spectat ad locum, Celebrans in medio Altaris, alii Presbyteri in circuitu, Diaconi retro Altare communicabant, Subdiaconi et Clerici in limine Sanctuarii, sive in Choro; reliqui extra Cancellos. Hic ordo uti observat piissimus Cardinalis Bona diu permansit in Romana

Ecclesia, ut Latinorum Rituum Scriptores ostendunt; deinde paulatim tum Romae, tum alibi mutatus est. Concilium Toletanum IV Cap. 17 Sacerdotem et Levitam ante Altare communicare constituit, in Choro Clerum, populum extra Chorum. De situ communicantium, si de Graecis sermo sit, nulla est dubitatio; quia stantes divina dona percipiant; ita enim praescribunt ipsorum Ritualia, quibus consonant Sancti Patres; sed prono capite, et demissis oculis ut Cyrillus *Catechesi* V et Chrysostomus monent. Latinos etiam olim stantes, sicut Graeci, communicasse nonnulli ex antiquorum aliquot monumentis nituntur ostendere, ut Henricus Valesius, in *notis ad Eusebium* Lib. VII Cap. 9; Ioannes Thiersius, in *Dissertatione de Altaribus*; idemque a Monachis antiquitus actitatum ostendit Edmundus Martene *Commentaria in Regulam S. Benedicti* Cap. 35. Certe veteres Monachos erecto corpore communicasse docet nos *Magistri Regula*, quae haec statuit Cap. 21: *Post modicam*, inquit, *orationem erecti communicent, et confirment*. Hunc eumdem ritum comprobat imago, quae in Metropolitanae Remensis Ecclesiae Navi sculpta conspicitur, exhibens Sanctum Nicasium ejusdem Civitatis Antistitem venerabile Sacramentum laico stanti, et non genuflexo porrigentem; quod refert Hubertus Mony Decanus ejusdem Ecclesiae Remensis *Sermone 36 De Missae Mysteriis*, et ex eo Antonius Bellotte *Observationes in Ritus Ecclesiae Laudunensis Ecclesiae* pag. 657. Praescribit adhuc morem hunc Pontificale Romanum in Communione Episcopi recens consecrati. Summus Pontifex cum solemniter celebrat, sedens communicat, sumit unam partem Hostiae, et aliam in duas dividit pro Communione Diaconi, et Subdiaconi. Sumpto autem a Pontifice Iesu Christi Corpore Episcopus Cardinalis assistens porrigit ei calamum aureum, quo Sanguinis partem sugit, residuum dimittens pro Diacono et Subdiacono.

III. Olim Fidelibus sub panis, et vini speciebus distribuebatur; nunc vero sub solius panis accidentibus distribuitur. Communionem sub utraque specie ad initia Saeculi XII viguisse constat ex iis, qui tunc florebant Auctoribus, Algero nempe, qui tunc vivebat, et

de ea loquitur Lib. II Cap. 8 tanquam illo tempore usitata, Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo, Guillelmo de Campellis, Hugone Canonico Sancti Victoris. Plura exempla ad commonstrandam priorum Saeculorum usque ad id tempus disciplinam producit Clar. P. Mabillonius ex Actis S. Anscharii Bremensis Archiepiscopi, S. Odiliae Abbatissae, item ex Udalrici Cluniacensium Consuetudinum Lib. II Cap. 30, aliisque illius antiquitatis monumentis. Haec autem mutatio facta est primum a diversis Episcopis in suis Ecclesiis, deinde a Synodo Constantiensi canonica sanctione pro omnibus stabilita, nullo profecto spiritualis refectionis detrimento, ut fideles experiuntur; nulla Divinae Legis transgressione: quia Communio sub utraque specie, nec unquam antiqui Patres eam ad salutem necessariam esse docuerunt. De Communione sub utraque specie edidit libellum Iacobus Ben. Bossuet Episcopus Meldensis, in quo luculentissime probat contra Protestantes necessariam nunquam habitam fuisse Communionem sub utraque specie. Et re quidem vera id plene comprobatur ex primitivae Ecclesiae praxi, quae in primordiis suis licet qnandoque sub una, interdum sub utraque specie Communionem fidelibus elargita sit, sub una tamen tantum specie panis eamdem tradidisse expresse legitur in Actis Apostolorum Cap. II ubi de iisdem fidelibus dicitur: *Erat autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus:* deinde ibidem Cap. XX: *Una autem Sabbatorum, cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat;* quae loca communiter Sancti Patres intelligunt de Communione Eucharistica sub solis speciebus panis primis Christianis ab Apostolis, aliisque Discipulis distributa. Quod Christus Iesus in ultima Coena sub utraque specie Sacramentum hoc instituerit, et sub utraque itidem specie Apostolis dederit, non inde tamen bene infertur, fideles praecepto obligari divino ad illud sub utraque specie percipiendum. Consonat Tridentina Synodus cum Constantiensi Concilio, quo docemur Sess. 21 ex eo quod Christus Eucharistiam sub utraque specie instituerit, *non recte colligi utriusque speciei Communionem a Domino perceptam*

esse. Communione unius tantum speciei aeternam vitam conferri, habes ex Ioanne Cap. VI v. 52 et 59. *Si quis manducaverit ex hoc pane vivat in aeternum*. Et divus Paulus Epistola I ad Corinthios Cap. II v. 27 disjunctive ait: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini*. Insuper nullum extat divinum praeceptum quo adstringantur laici et Clerici, atque etiam Sacerdotes qui Missam non celebrant, ad accipiendum Sacramentum sub utraque specie. Plura enim et remotae antiquitatis praesto sunt monumenta, quae sub una specie Eucharistiae communicari consuevisse tam perspicue ostendunt, ut Protestantes, qui id impudenter inficiantur, oculis captos merito dixeris. Communionem sub una specie tantum usitatam olim fuisse probat mos ille, quo aegrotis Eucharisticus duntaxat panis ministrabatur. Sub una dumtaxat specie sacra Eucharistia refectus S. Ambrosius cum morti proximus esset; uti refert Paulinus Diaconus in ejus vita, sub una specie administratam olim fuisse Eucharistiam probat etiam infantium Communio. Unius speciei Eucharistia administrationem probat etiam domestica Communio, et veteres Patres cum de Eucharistia domi reservata loquuntur, nonnisi unius panis speciem memorant. Nec aliter communicabant Anachoretae in vastis solitudinibus. Ideo Synodus Tridentina a Spiritu Sancto edocta, ac ipsius Ecclesiae iudicium ac consuetudinem sequuta, declaravit et docuit laicos et Clericos non conficientes, nullo divino praecepto obligari ad sumendam Eucharistiam sub utraque specie. Quare gravibus, ac iustis causis adducta veterem consuetudinem sumendi Eucharistiam sub utraque specie, quae jam fere defierat altera commutavit sub una dumtaxat communicandi, atque hanc pro lege habendam decrevit.

CAPUT XXXV.

DE ANTIPHONA QUAE *COMMUNIO*, ET DE ORATIONE QUAE *POSTCOMMUNIO* NUNCUPATUR.

I. Versus ex Psalmis petitus, qui nunc a Sacerdotibus in Missis privatis post purificationem Calicis dicitur, et in Missa solemni cantari solet a Choro, olim

Antiphona ad Communionem dicebatur, nunc in editis Missalibus *Communio* nuncupatur, quia, ut observat Gavantus, canebatur interea dum populo Eucharistia distribuebatur. Hujus autem Antiphonae cantus in Ecclesia Occidentali vetustissimam habet originem. S. Augustinus *Retractationum* Lib. II Cap. XI aevo suo, Carthagine usurpari coeptum fuisse scribit. Simile quid factum fuisse in Galliis priscis temporibus monet Mabillonius *de Liturgia Gallicana*. Hujus vero Antiphonae canendae ritum in Romana Ecclesia explicant Romani Ordines; primitus Psalmus integer eo modo quo Antiphona ad Introitum cantabatur. Prisco ritu, si Antiphona ad Communionem ex Psalmo sumpta non fuisset, repetebatur Psalmus, qui cantatus fuerat ad Introitum. Id enim monet S. Gregorii Antiphonarius. Meminit autem de hac Antiphona Amalarius, Lib. III Cap. XXXIII qui censet, per eam fideles provocari ad gaudia resurrectionis. Praeterea haec Antiphona tamquam gratiarum actio post Communionem recitanda spectata fuit. Rupertus Lib. II *de Divinis Officiis* Cap. 18 antiphonam hanc ait *Communionem* dictam quae post perceptam Eucharistiam canitur, gratiarum actionem esse. Alternatim canebatur quisque versus Psalmi, ex quo erat composita. Cardinalis Thomasius edidit exemplum Psalmi Communionis, qui cantabatur in modum Antiphonae.

II. Lecta Antiphona redit Sacerdos ad medium Altare, illud osculatur, et conversus ad populum dicit *Dominus vobiscum*. Post haec rediens ad Librum legit Orationem, quae dicitur *Post communio*, quia statim post Communionem dicitur, ut Deo gratias persolvamus, cujus summa bonitas Divinorum Mysteriorum participes nos effecit, eumque rogemus, ut eorum fructum in nobis servet. Quae Oratio in nostris Missalibus vocatur *Postcommunio*, olim dicta *Complenda*, cum sit illa post communionem ultima Missae Oratio, de qua Guillelmus Durandus in Rationali Lib. IV Cap. 56: *Oratio*, inquit, *quae Postcommunio a pluribus nuncupatur, ideo sic appellata est, quoniam post Communionem, sive in signum, quod Communio expleta est concinitur.* Porro istae Orationes pro Communicantibus in-

stitutae sunt, quando omnes, vel plerique, qui aderant Sacrificio, communicabant. Quamvis autem mos ille desierit, nihil tamen in Orationibus immutatum est; sed ideo retentae sunt, ut sciamus quid olim factum sit, et ex ipso precationum tenore ad pristinum fervorem excitemur. Hujusmodi Orationem, Benedictionem vocant Rabanus, et Walafridus Strabo. Hujus autem Orationis conclusioni a populo, *Amen*, olim respondebatur. Num vero olim una tantum Oratio post Communionem diceretur, non est adeo exploratum. Est et alia Oratio, quae dicitur super populum, quam Amalarius Lib. III Cap. 37 ultimam benedictionem vocat, et potissimum in Quadragesima frequentatur, Diacono praecinente *Humiliate capita vestra Deo*. Certum est eam dici antiquissimo ritu, nam in Sacramentario Gelasiano extat. Quidam putant eam Orationem dictam fuisse in gratiam eorum qui non communicabant, ac propterea omittitur in Dominica, quia tali die populus communicabat; videlicet cum populus olim singulis Quadragesimae diebus communicaret, frigescente pietate, non communicavit nisi in Dominicis, aliis autem diebus supplebat Ecclesia per peculiarem Orationem, ab ipsa factam super populum non communicantem. Alii hanc recitatam fuisse existimant pro poenitentibus. Micrologus Cap. 51 *de Ecclesiasticis Observationibus: Orationem*, inquit, *super populum in Quadragesima ideo frequentamus, quia cum majorem conflictum in jejuniis et orationibus contra spirituales nequitias sumimus, necessario nos instantius Deo commendare debemus*. Iuxta nonnullos Scriptores Liturgicos Oratio haec vera fuit Postcommunio, et certe quemadmodum non una sed plures Collectae dicebantur ante Lectionem Epistolae, et super Oblata, ita multae dicebantur Orationes in gratiarum actionem acceptae Communionis: ad ultimam autem earum jubebatur populus humiliare capita sua Deo, ut jam jam dimittendus orationis fervorem et instantiam augeret. Aliam rationem affert Honorius in *Gemma animae* Cap. 67 dicens: *Statutum est, ut panis post Missam benediceretur, et populo pro benedictione Communionis partiretur: sed quia hoc in Quadragesima fieri non licuit propter jejunium, Orationem super*

populum dici Ecclesia instituit, ut per hanc particeps Communionis sit. De hoc enim Fideles semper solliciti fuerunt, ut secum invicem unionem, et communicationem servarent, vel Eucharistiae participatione, vel Eulogiae, seu antidori, quod loco sacri doni dabatur, perceptione, vel saltem mutuo Orationum consortio. Hinc in Festis solemnibus, ac Dominicis, in quibus non servabatur jejunium, nec dicebatur Oratio super populum, sed hujus loco distribuebantur Eulogiae. In Libro Sacramentorum Sancti Gregorii, et in nonnullis Missalibus manuscriptis sunt, in plerisque Missis etiam extra Quadragesimam hujusmodi Orationes super populum, quas ex veteri Anglicano Missali suae Bibliothecae Ecclesiasticae Tom. III p. 2 inseruit Cornelius Schultingius. Excepta autem hac oratione super populum, tot sunt numero Collectae ad complendum, quot initio dictae sunt: quibus recitans salutat populum Sacerdos consueta formula *Dominus vobiscum.*

CAPUT XXXVI.

DE ITE MISSA EST.

I. *Ite Missa est:* idem est ac *missio sive dimissio*, seu *abeundi concessa facultas.* Ita haec ipsa locutio: *Ite Missa est*, significat, *discedite*, *abite*, *dimissi jam estis,* quasi dicatur, egredi licet, abire potestis. Graeci quoque in fine Liturgiae Ἀπόλυψιν canunt, idest dimissionem. Nam peracta Communione Sacerdos dicit secreto Orationem pro gratiarum actione, postea Diaconus hortatur populum ad gratias agendas, eumque dimittit his verbis: *In pace procedamus.* Respondet Chorus; *In nomine Domini.* Deinde Sacerdos benedicit populum, et distributis Eulogiis facit ἀπόλυψιν, cujus varias formulas pro varietate festivitatum exhibet Euchologium pag. 922. Communis haec est: *Gloria tibi Christe Deus noster, spes nostra, gloria tibi.* Tertullianus, *de Anima;* et S. Cyprianus, *de Spectaculis;* de populo dimissione post Solemnia, scilicet post Missam loquuntur. Christianis autem saepe praecipiunt Canones, ne conventum deserant nondum expletis Missarum

solemniis, et ideo tempus quo abire liceret, Diaconi voce indicendum fuit. Dimissionem hanc Diaconus nuntiat Sacerdotis nomine. Romanorum Ordinum primi tres notant ad Pontificis nutum spectare, ut dicatur: *Ite Missa est*. Sacerdos, ex Romano Missali, Diacono nihil dicit, nihilque innuit, nisi quod ad populum conversus et ipse consistit. In aliquibus Galliarum Ecclesiis Sacerdos submissa voce ad Diaconum dicit: *Ite Missa est*. In aliis Diaconus genuflexus accipit a Sacerdote formulam *Ite Missa est*, eique Casulam osculans dicit: *Deo gratias*; ac deinde se in pedes erigens canit: *Ite Missa est* ad populum, dum Sacerdos dicit, *Placeat*. Amalarius Lib. III Cap. 36: *Dicit Diaconus* Ite Missa est, *singularis enim legatio Christi Missa pro nobis ad Patrem, habens judicia sua secum passionis..... O utinam quando audivimus a Diacono* Ite Missa est, *mens nostra ad patriam illam tendat, ut ibi simus desiderio, ubi desideratus cunctis gentibus nos expectat cum suo trophaeo*. Ad verba *Ite Missa est* respondet populus *Deo gratias* ad imitationem Apostolorum, qui postquam a Iesu Christo ad caelos ascendente benedicti fuere, reversi sunt repleti gaudio, laudantes, benedicentes, et gratias Deo incessanter agentes. Omnium sane Mysteriorum et operum Dei maximum ac praestantissimum nonnisi per gratiarum actionem absolvi potest; ita quippe servatur eximium illud Sacrae Scripturae monitum: *Date magnificentiam Deo nostro; Dei enim perfecta sunt opera;* nihil autem brevius, ac nihil etiam magnificentius quam haec grati animi significandi ratio: *Deo gratias*.

II. Iuxta ritus recentiores tamen, non uno semper, ac eodem ritu concluditur Missae celebratio. In Festis quidem et Sollemnitatibus, per verba *Ite Missa est* terminatur Missa: in aliis vero diebus, quibus in Missa non dicitur Hymnus *Gloria in excelsis* clauditur Sacrificium per verba *Benedicamus Domino*; quibus invitatur populus ad gratias Deo referendas pro completo Missae Sacrificio. *Ite Missa est* per Diaconum indicta habita est, ut signum gaudii; hancque ob causam dici desiit in Quadragesimae diebus, tum Dominicis ferialibus, Cardinalis Bona Lib. II Cap. 20 n. 2 absolute

censet tum potius dimissionem olim omissam fuisse, quando fideles omnes, Missarum sollemniis peragi, non statim abibant; sed permanebant in Ecclesia, donec recitatis Canonicis precibus, et Statione soluta, abire fas erat; deinde morem hunc extensum esse ad Missas minus sollemnes et quotidianas. Adiuvat hanc Cardinalis Bonae opinionem mos, qui olim vigebat in quibusdam Ecclesiis non dimittendi populum in prima Missa Nativitatis Domini, quia post recitandae erant Laudes. Porro dicta verba *Benedicamus Domino* recitantur a Sacerdote, non ad populum, sed ad Altare converso, uti ex Micrologo Cap. 46 notat Gavantus, ea ratione, quia ibi peculiari modo Dominus adest, a quo omnis fons vitae, et benedictio procedit. Eadem denique verba desumpta sunt ex Sacra Scriptura, vel ex Apostolo, vel ex Psalmista, aut ex Cantico, seu Hymno trium Puerorum. De formula *Requiescant* in pace loquitur Belethus. Dicitur ea in Missa pro Defunctis. Usus eam dicendi ex sola consuetudine generali natus est, vel quia tota Missa pro Defunctis in eo est, ut ipsis a Deo quietem impetret; vel quia post Missam non erat dimittendus populus, qui remanebat ad Cadaveris sepulturam, aliasque preces pro animabus Defunctorum. Porro illa verba *Requiescant in pace* ea dicit Sacerdos versa facie ad Altare, quia ut notat Gavantus sermo est de absentibus, idemque Sacerdos ipsa recitat verba semper in numero plurali, etiamsi pro uno tantum Missam celebret, cujus ritus meminit Durandus in *Rationali* Lib. IV Cap. 47 et ante ipsum Stephanus Eduensis de *Sacramento Altaris* Cap. 18.

CAPUT XXXVII.

DE POSTREMA BENEDICTIONE, ET EVANGELIO S. IOANNIS.

I. Dimisso populo per verba: *Ite Missa est,* vel dicto *Benedicamus Domino*, aut *Requiescant in pace,* Sacerdos inclinatus in medio Altaris recitat Orationem incipientem: *Placeat tibi Sancta Trinitas.* Oratio haec in Sacramentariis bene multis post Saeculum IX occurrit. Extat item in Missa Illyrici, et in aliis apud

Menardum. Sacerdos eam recitat secreto ; est enim pro ipso peculiaris Oratio; eamque dicit inclinatus, ut aequum est, ad Altare: siquidem ad Sanctissimam Trinitatem dirigit. Profitetur 1.° Sacerdos se suae servitutis ac subjectionis singulare specimen Sacrosanctae Trinitati exhibere voluisse. 2.° In ea orat, ut Sacrificium, quod obtulit, sit non solum sibi propitiabile, sed etiam iis omnibus, pro quibus illud obtulit. Etiam in Liturgia Chrysostomi Sacerdos orat pro omnibus, pro quibus illud obtulit Sacrificium. Absoluta Oratione *Placeat tibi Sancta Trinitas*, osculatur Altare, erigens se, elevat ad Coelum oculos, et manus, quas extendit, et iungit, caputque Cruci inclinans, dicit intelligibili voce *Benedicat vos Omnipotens Deus*, unum tantum edit Crucis signum ad significandam Christi Crucem. Benedictionem hanc omittit in Missis pro Defunctis; benedictio quippe solemnitatem habet, ut notat Durandus Lib. IV Cap. 51; nulla autem est solemnitatis in Missis Defunctorum. In veteribus Sacramentariis, in quibus Episcopales Benedictiones bene multae sunt, pro Missis de *Requiem* ne una quidem occurrit. Nihilominus in Dioecesi Clarimontii in omnibus indiscrimanatim Missis Benedictio tribuitur; et in variis antiquis Missalibus aderat Benedictio peculiaris pro mortuis, et re quidem vera in Missali Romano Venetiis impresso an. 1560 haec leguntur: *In Missa pro Defunctis Sacerdos dicat Requiescant in Pace*, deinde benedicit populum, quapropter evincitur talis Benedictionis suspensionem uti observat Merati non fuisse universaliter introductam, nisi post Romani Missalis recognitionem, et reformationem. Benedictio seu per Crucis signa tria, seu per unum collata fuerit, semper cum veneratione suscipienda est e Sacerdotis manu qui Christum Dominum et sumpsit, et exhibet. Missalia Parisiensia XIV et XV Saeculis scripta, et unum Bituricense an. 1446 praescribunt, ut in danda Benedictione Calix, seu Patena manu teneatur. Parisiensia edita ab an. 1481 ad 1615 Patenam tantum ponunt; et Missale Gothicum Calicem innuit, aliis usui erat Corporale, libenter omnibus aliquid adhibentibus, quod Christi Corpus tetigisset.

II. Usus benedicendi populum recentioris ritus est, teste Cardinali Bona Lib. II Cap. 20 num. 4. Olim quippe ante Communionem Episcopus largiri solebat, illi enim potissimum convenit populum benedicere; qui peculiari quadam ratione Iesum Christum Summum Sacerdotem, et Episcopum animarum nostrarum repraesentet. Cum autem in usu erant Pontificales Benedictiones, nulla in fine Missae praescripta erat: et in Missali Vaticano manuscripto num. 4743, in quo ritus Episcopalis Benedictionis fusius explicatur, hoc peculiariter notatur, quod quando haec solemnis Benedictio datur ante Communionem, non est necesse in fine Missae iterum benedicere. Atque hinc, ut putat Cardinalis Bona, factum est, quod tam in Ordine Romano, quam in antiquis Sacramentorum Libris nulla fiat mentio Benedictionis in fine Missae. Et sane in Sacramentariis Gregoriano, Gelasiano, et Leoniano non habentur, nisi Orationes super populum, post Communionem. Cistercienses et Praemonstratenses, nullam de hac Benedictione in suis Ordinariis fecere mentionem. Idem praescribitur in Ordinario Gullielmitarum an. 1274. Quod vero asserunt nonnulli recentiores ex Amalario, Lib. III Cap. 36; et ex Rabano Mauro Lib. I Cap. 33 datam olim hanc Benedictionem, antequam Diaconus diceret, *Ite Missa est*, error est, nam dicti Scriptores benedictionis nomine, quam a Sacerdote, consumato Sacrificio, datam populo dicunt suo tempore, non intellexerunt Benedictionem, quae nunc in usu est, sed designarunt Orationem illam, quae *Postcommunio* vocatur. Valfridus id aperte innuit Cap. 22; postquam enim dixit statutum in Aurelianensi Concilio, ut populus *ante benedictionem Sacerdotis non egrediatur de Missa*, haec subdit. *quae benedictio intelligitur illa ultima Sacerdotis Oratio*. Benedictionis usum in fine Missae introductum esse in aliquibus Ecclesiis Saeculo XI censet Cardinalis Bona innixus auctoritate Micrologi, qui prope annum 1090 vivebat. Mozarabes praeter benedictionem, aliam dant in fine Missae his verbis: *In unitate Sancti Spiritus benedicat vos Pater, et Filius*. Graeci saepe benedicunt, aliquando cum dicerio, vel tricerio cereo, scilicet duplici, vel triplici, aliquando sola manu signum

Crucis efformantes. Incongruum hoc loco non erit observare cum eruditissimo P. Cajetano Merati *Commentaria in Rubricas Gavanti parte* I Tit. 13 Col. 1. Quoad olim Presbyteri etiam ter populo benedicebant, ut nunc faciunt Episcopi. Hic ritus usque ad S. Pium V perdurasse videtur, qui facultatem Presbyteris abrogavit ter populo benedicendi in Missis privatis, quamquam concesserit, ut in Missa solemni priorem consuetudinem observarent. Tandem trina haec Presbyterorum benedictio prohibita est in Missali Romano, Clementis VIII auctoritate recognito, in quo disserte praescribitur, ut Presbyteri etiam in Missa solemni unam tantum Benedictionem impertiantur. De ritu vero suscipiendae Benedictionis, an, et a quibus flexis genibus sive stando suscipi debeat, extat Dissertatio Isaaci Habert adversus Franciscum Menardum I. C. ad partem XI *Liturgiae Patriarchalis Observ.* 6., in qua, diffuse agit de Benedictione.

III. Sacerdos, postquam a Deo Benedictionem populo precatus est, legit initium Evangelii secundum Ioannem. Hoc in novissima Missalis recognitione Pius V legi praecepit, cum antea certa sine lege ex sola consuetudine a quibusdam dici, ab aliis omitti pro cujusque arbitrio soleret, ut Paris Crassus testatur in Caeremoniali Summi Pontificis inedito Cap. 65. Qua de causa in quibusdam Missalibus, tam Romanis, quam aliarum Ecclesiarum, nihil de eo decernitur, sed dicta Oratione *Placeat tibi Sancta Trinitas*, osculatur, inquiunt, Altare, et recedat, dicens Canticum Trium Puerorum. In Dominicanorum Missali quod an. 1254 spectat S. Ioannis Evangelium inter preces occurrit, quas Sacerdos ob suam ipsius peculiarem pietatem post Missam edebat. In Rituali Casinensium, in Consuetudinibus Monachorum Germaniae, in Libro usuum Cisterciensium, nulla penitus fit mentio ejusdem Evangelii uti observat Martene *de antiquis Monachorum Ritibus* Lib. II Cap. 4. Zacharias Andrianus Brixiensis in *Expositione Missae,* quam edidit an. 1573 cum omnes ejus partes minutissime explicet, nihil prorsus dicit de Evangelio in fine: sed data Benedictione recitandum esse ait Canticum *Benedicite.* In Missalibus multis tamquam

gratiarum actionis initium reperitur. In variis Missalibus Saeculorum XIV XV et XVI legitur: *Exuens se Casula dicat:* Dominus vobiscum etc. Initium S. Evangelii. Meratus observat, eum, qui Missam solemnem celebrat in Sacello Pontificio, dictum Evangelium non recitare. Ordo Missae editus Romae an. 1502 a Ioanne Burchardo Praefecto Caeremoniarum Summi Pontificis, et Missale pro Regno Norvegiae impressum Hafniae anno 1519 Augustanum anno 1510, et alia quaedam typis excusa ante Pium V ipsum legi constituunt, priusquam Sacerdos ab Altari recedat. S. Ioannis Evangelium Christianus populus summa semper veneratione prosecutus est. S. Augustinus e S. Simpliciano S. Ambrosii Successore non semel audierat Platonium quemdam Philosophum dicere solitum, hujus Evangelii exordium dignum esse quod in omni conventuum loco aureis litteris describeretur, quo ab omnibus legi posset. Eum semper morem fideles religiose custodierunt, ut alicujus malicurandi gratia, Sanctum Evangelium suo ipsorum capiti impositum vellent. Legebatur enim in aliquibus Ecclesiis post Baptismum parvulorum. Paulus V in suo Rituali mandavit, ut aegrotantium capiti, dum inviserentur, imposita manu, S. Ioannis Evangelium recitaretur. Priores Evangelistae, S. Matthaeus, S. Marcus, et S. Lucas Iesu Christi Domini historiam ab ejus vel temporali nativitate, vel predicatione inchoaverant; at S. Ioannes qui post caeteros scripsit, ad ipsam ejus aeternam generationem ascendit, atque ita exorditur: In principio erat Verbum.

FINIS TOTIUS OPERIS.

INDEX

LIBER DECIMUS

DE FESTIS DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI ET BEATISSIMAE VIRGINIS MARIAE.

DE FESTIS BEATISSIMAE MARIAE VIRGINIS.

LIBER UNDECIMUS

DE SACRIS ALTARIS MINISTRORUM INDUMENTIS, ET DE VASIS SACRIS.

LIBER DUODECIMUS

DE LITURGIIS.

LIBER DECIMUS TERTIUS

DE SACROSANCTO MISSAE SACRIFICIO.

COMMISSIONE ARCIVESCOVILE

PER LA REVISIONE DE' LIBRI.

Nihil obstat
ROS. CAN.[us] FRUNGILLO
Censor Theologus

Imprimatur
LEOPOLDUS RUGGIERO
A Secretis.